~~P.11.9~~

X 1/16.

Ex Libris Bibliotheca Collegii Regii Medicorum Edinburg B. k.

GE. GOTTLOB RICHTER
EDICINAE DOCTORIS MAGNAE BRITANNIAE REGIS CONSILIARII AULICI ET ARCHIATRI MEDICINAE IN ACADEMIA GOTTINGENSI PROFESSORIS PRIMARII, CAET.

OPUSCULA MEDICA

ANTEHAC
N ACADEMIA GOTTINGENSI SEORSIM EDITA
NUNC VERO COLLECTA
STUDIO

IO. CHRISTIANI GOTTLIEB ACKERMANNI
MEDICINAE DOCTORIS.

VOLUMEN SECUNDUM

FRANCOFURTI ET LIPSIAE,
SUMPTIBUS IOANNIS GEORGII FLEISCHERI.
cIↃIↃCCLXXX.

VIRO
PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO
AC DOCTISSIMO

GOTHOFREDO WILHELMO MÜLLERO,

MEDICINAE DOCTORI DIGNISSIMO,
AC
REIPUBLICAE FRANCOFURTENSIS MEDICO ORDINARIO
MERITISSIMO,
FAUTORI ET AMICO SUO
FIDISSIMO ET CONSTANTISSIMO
ALTERUM HOC
OPUSCULORUM RICHTERIANORUM
VOLUMEN
IN NOVUM
GRATISSIMI SUI ANIMI
PIGNUS AC SIGNUM
D. D. D.
IPSIUS
AMICUS CANDIDISSIMUS
ET
CULTOR OBSERVANTISSIMUS
JOANNES GEORGIUS FLEISCHERUS.

VIR PRAENOBILISSIME, EXPERIENTISSIME ATQUE DOCTISSIME,

FAUTOR ET AMICE MAXIMOPERE COLENDE!

Sæpius quidem jam Tibi privatim, debitas meritasque perſolvi gratias pro ſingulari Tuo amore ac favore, & indefeſſo præſertim ſtudio, in tuenda mea valetudine, ſæpe ambigua & afflicta, & univerſæ meæ Familiæ ſanitate, aut cuſtodienda, aut reſtituenda, per complures jam annos, nobis officioſiſſime præſtito. Sed privato illo & tacito quaſi humanitatis & obſervantiæ officio haud ſatis, aut ſufficienter, contentus, commodam tamen ſerio optavi ac quæſivi occaſionem, gratiſſimum meum erga Te animum publice etiam declarandi, ut ita ſera quoque poſteritas aliquando intelligeret, non in ingratum, aut

officii immemorem fruſtra collata quondam fuiſſe iſta Tua beneficia.

Quum igitur fauſta illa occaſio, dudum quidem exoptata, ſeſe jam, ſua veluti ſponte, mihi offerret; eam certe protinus, ambabus veluti manibus, arripiendam cenſui, ſtatimque mecum conſtitui, *Alterum hoc Opuſculorum Richterianorum Volumen*, priori ſane & ſingulari Rerum ibi tractatarum præſtantia, & inſigni ſimul ſtili nitidioris elegantia, per omnia, prorſus compar clariſſimo mihique chariſſimo Nomini Tuo officioſiſſime dedicare ac conſecrare.

Accipe igitur hoc quidem Munuſculum litterarium a memet ipſa, amica mente manuque, ceu novum aliquod veteris meæ in Te, amicitiæ, fidei & obſervantiæ pignus ac documentum, ad poſteros quoque ob internam nempe ipſius operis præſtantiam aliquando tranſiturum, ac, prout ſpes blanda quidem at pæne certa affulget, diutius permanſurum ac duraturum.

Poſſem

Poſſem quidem nunc, forſan etiam deberem, aliquanto latius in Tuas præclaras certe laudes excurrere; namque hic ſpatioſus admodum ſeſe aperit omnino campus: Sed quoniam inter reliquas virtutes Tuas eximias, verecundia præſertim atque modeſtia altius eminet, adeo, ut ſemper laudanda tacite facere malis; quam laudata iſta publice, vel ſemel tantum audire; inde lubens nunc prudensque a laudibus Tuis fuſius quidem prædicandis, hic abſtineo, ne fictam ſcilicet fucatamque vilis adulatoris perſonam hoc certe loco, induiſſe videar, a quo foedo & abjecto quippe vitio me ſemper alieniſſimum fuiſſe, Tute quidem ipſe omnium optime noſti.

Neque ſane præterea opus eſt, laudes Tuas promeritas operoſe huc congerere, & in haſce arctiores certe paginas anxie cogere ac veluti conſtipare; quum ipſa noſtra *Respublica ampliſſima* quotidie quaſi, Te merito in oculis atque ore ferat, Tuum Nomen ſplendide celebret, Tibique hinc querneam veluti Coronam plectat, ob tot Cives nempe Tua præclara quidem opera atque ſin-

gulari medendi peritia, per tam longum annorum ſpatium, jamjam feliciter ſervatos, & in poſterum etiam, per Dei gratiam, adhuc ſervandos; hincque Tibi ardentiſſimis quidem votis ſerio exoptet, ut diu, quin immo diutiſſime, adhuc vivus interſis populo, ob publica nempe commoda, ſeroque tandem in Cœlum aliquando redeas, unde, ceu Genius aliquis ſalutaris ac tutelaris, olim huc veneras. Cui publico quidem voto, pio ſane, juſto ac ſincero ego quoque ipſe, unâ cum chariſſima mea uxore, ipſiusque patre, ſene illo venerando Wittebergenſi, Tui certe amantiſſimo, Liberisque ſimul meis, a Te per Dei gratiam, ſæpius jam ſervatis, lubentiſſime & candidiſſime hic ſubſcribo.

Vale igitur nunc *Vir præſtantiſſime* & *Experientiſſime, Fautor* & *Amice æſtumatiſſime!* Res Tuas ſemper proſperrime age, nobisque cunctis in poſterum quoque conſtanter & amanter favere perge: Scribebam Francofurti ad Mœnum, ipſis Calend. Apr. Anni, poſt reparatam ſalutem, CIƆIƆCCLXXX.

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

I.

G. G. Richteri Diſſ. de voce naturae, ſeu ſenſibus internis variæ corporis indigentiæ adſtrictis 1751. Reſp. Jo. Fr. Ackermann, *Waldkircha-Variſco*.

II.

Diſſ. de ſpe & præſidiis longævorum 1752. Reſp. Fr. Chr. Seip, *Hamelienſi*.

III.

Diſſ. de natura labe & præſidiis memoriæ humanæ 1752. Reſp. Georg. Fer. Wegener, *Holſato*.

IV.

Diſſ. de ſilentio medico 1752. Reſp. Henr. Balemann, *Holſato*.

V.

Diſſ. de iuſto febrium moderamine 1753. Reſp. Aug. Wilhelm. Berlin, *Pomerano*.

VI.

Diſſ. de ſalubritate fructuum horæorum 1754. Reſp. Gottl. Aug. Segnitz, *Luſato*.

VII.

Diſſ. de doctarum lucubrationum noxis 1755. Reſp. Jo. Bartholdo Jeniſch, *Oſterodano*.

VIII.

Diſſ. de ſtatu mixto ſomni & vigiliæ, quo dormientes multa vigilantium munera obeunt 1756. Reſp. Jo. Fr. Müller, *Oſterodano*.

IX.

IX.

Diſſ. de ſene valetudinis ſuæ cuſtode 1757. Reſp. Jo. Sam. de Berger, *Cellenſi.*

X.

Diſſ. de Cura magiſtratus circa valetudinem civium 1758. Reſp. Jeſaia Juda *Nicro-Ulmæ Franco.*

XI.

Diſſ. de coctionum præſidiis evacuantium abuſu everſis 1758. Reſp. Coſmann Ullmann, *Manhemenſi.*

XII.

Diſſ. de valetudine hominis nudi & coperti 1763. Reſp. Beyfuſs Anſelm. Schloſſ, *Mœno-Francofurtenſi.*

XIII.

Diſſ. de priſca Roma in medicos ſuos haud iniqua 1764. Reſp. Aug. Gottl. Richter, *Zorbiga-Miſnico.*

XIV.

Diſſ. de pleuritide vera ſingulari caſu illuſtrata. 1768. Reſp. Adriano Tattarinoff, *Moſcuenſi.*

DISSER-

DISSERTATIO

DE

VOCE NATURÆ,

SEU

SENSIBUS INTERNIS VARIÆ CORPORIS INDIGENTIÆ ADSTRICTIS.

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 16 SEPT. 1751.

RESP.

JO. FR. ACKERMANN.

VALDKIRCHA-VARISCO.

Hoc corpus noſtrum, quod interitus ſui cauſſas in proprio ſinu natas, & pedetentim creſcentes, vique ultima funeſtas effugere non poteſt, nititur tamen conſtanter ipſis præſidiis fabricæ in vindicias ſuas, ut noxium vel coquat, & iis dotibus, quibus internæ oeconomiæ conſulitur, inſtruat, vel immorigerum variis

viis expellat. Verum his novum auxilium accedit, attentis oculis longe admirabilius, dum ad omnem periclitantis corporis ſtatum certi ſenſus oriuntur, impendentium non ſolum malorum, ſed & armorum, quibus contra ea pugnandum eſt, indices. Hæc Naturæ vox eſt, quæ ignaros inſtruit, & incautos ſæpe a limine exitii revocat. Non niſi divina ſapientia, ærumnarum noſtrarum, quibus naſcendi ſorte ſubiicimur, miſera ſub prima corporum animarumque conjunctione tam vigiles ſociavit contra vitæ inſidias monitores. Nimis profecto oſcitanter rei difficultatem expendit, qui vel a corporum ſeparatim, vel animarum facultatibus hos ſenſus germinare poſſe ſibi perſuaſerit. Quid rei eſt, ſi deficit chyli reficientis commeatus, eſurire? ſi areſcunt fontes vitales, ſitire? ſi languentior eſt vel vehementior juſto humorum circuitus, frigere vel exæſtuare? ſi obſtacula hujus circuitus, in locis maxime vitalibus, naſcuntur, anxietates; ſi nervis, qui animarum & corporum miniſteria jungunt, vis infertur, dolores ſentire? Nulla adparet inter mutationes tunc in corpore obvias & ſenſus illos neceſſaria & domeſtica cognatio. Nihil hic commune eſt cum aliis ſenſibus, ſive externis, qui rerum, quæ extra nos poſitæ ſunt, commercia expediunt, ſive iis, quos vulgo ſenſus internos vocamus, qui ideas ab externis natas retinent, promunt ex arbitrio, comparant inter ſe, diſcernunt & varie dijudicant. Ab utrisque ſane his ſenſibus, quibus omnis humana ſapientia in vitæ noſtræ cultum neceſſaria adquiritur, par erat, ut ſuis locis plenius oſtendemus, binas alias ſenſuum claſſes diſcernere, quarum altera cuſtos ſanitatis ad varias corporis noſtri indigentias unice vigilat, altera amiſſam perennitatis ſpem quodammodo inſtaurans ad propagandam ſobolem blandis ſtimulis invitat. Nobis ex priori claſſe argumentum publicæ diſquiſitionis petere placuit, cumque late campus ille pateat, in fame ſitique, quibus ad reparanda corporis diſpendia, & dolore anxietateque, quibus ad animalium & vitalium functionum præcavendas mature noxas ducimur, paullo penitius evoluendis occupari. Ad hos enim quatuor ſcopulos ſalus corporis cum maximo diſcrimine allidit: hinc quoties Naturæ vox pedem retrahere jubet merito & reverenter auſcultat.

CAPUT

CAPUT I.

DE FAME.

§. I.

Fames igitur eſt Vox Naturæ; quæ corporis inter ipſos vitæ motus detriti ſtatum nuntiat, novasque per alimenta ſuppetias opportune efflagitat. Non alio tempore fames oritur, quam quo chylus in ſanguine conſumi incipit, vacuusque ventriculus eſt, & novæ coctionis viribus inſtructus. Tunc enim neceſſitas inſtat, acreſcentes ſub continuo motu humores & attrita vaſa novo blandi chyli acceſſu mulcendi reficiendique. Quam providæ ſollicitæque matris hæc Naturæ vox eſt! quæ ad illum indigentiæ noſtræ ſtatum vel invitos cogit attendere, & ſuavitate condit remedium: quaſi non ſatis meriti ſit, exhauſto corpori & in ruinas prono per ſtimulos famis conſulere, ſique illi idoneo victu compeſcuntur, vitæ durabilitatem impertire, niſi hæc opera, quæ collocanda in ſalutem noſtram eſt, per ſe etiam jucunda & illecebrarum plena eſſet.

§. II.

Sunt, qui famem ad ſenſum guſtus, ſunt, qui ad ſenſum tactus referunt. Vacat ratione, ad guſtum referre, cum aliud longe ſit, ſentire famem, aliud guſtare cibum, qui eum ſedat: quanquam utriusque ſuaviter, ut vidimus, in vitæ humanæ ſolatium conſpirent miniſteria. Neque ad ſenſum tactus cenſeo famem pertinere. Nullus quidem ſenſus ſine tactu & hinc nata nervorum mutatione fit: nec fames naſci poteſt, niſi ſit, quod ventriculi nervos plicasque ſenſibili tactu ſollicitet. Verum veluti viſum auditumque, guſtum & olfactum a tactu ſtrictius ſic dicto diſcernimus, quoniam ab eo æque quam inter ſe toto ſuo genio diſcrepant *a*); ita fames ab his omnibus diſtinctiſſimus ſenſus eſt, propriis

a) Quid enim ſenſus colorum, ſonorum, ſaporum odorumque vel inter ſe commune habent, vel cum tactu, qui gradus duritiei & mollitiei;

propriis etiam locis incluſus, more reliquorum ſub definito limite agentium, ut auris numquam colores, oculus nunquam ſonos ſentiat; etſi cauſſa colorum ſonorumque ad nervos utriusque organi æque adlabuntur. Quin & fami, quæ a cauſſa interna movetur, minor ac ceteris ſenſibus cum tactu cognatio intercedit, quippe quorum omnium, adeoque & tactus proprie ſic dicti una norma eſt, ab actione cauſſæ externæ naſci. Nimis enim improprie loquuntur, qui dum primas vias pro atrio corporis habent, inde externa eſſe, quibus fames gignitur, concludunt: quo ipſum etiam blandientis cibi adſpectum trahunt, cujus ſane nullum, niſi in homine jam eſuriente & jucundæ olim cœnæ memore blandimentum eſt. Præterea fames præ omnibus ſenſibus illis id ſingulare habet, ut, cum ſecundum leges functionum animalium in hominum ſanorum & vigilantium poteſtate ſit, exercere, quoties velint, ſenſuum miniſteria, videre, audire, olfacere, guſtare, tangere, & ſic cum inſigni profectu & oblectamento in externarum rerum notitiam ingredi; neutiquam res noſtri arbitrii ſit, eſurire. Diu enim interquieſcit ſemel ſedata fames, nec inter lautiſſimas dapes & condimentorum ignes tam ſubitu rurſus accenditur. Imo guloſus, qui fame non exſpectata opplet ventrem, ſemper neſcit, quid ſit eſurire. At, qui mavult neſcire, pauper & robuſtus, ſentit inuitus, quam latret vacuus & par novæ coctioni ventriculus, nunquam nutum domini exſpectans, ſed ſancitis per Naturam in attrito corpore legibus unice auſcultans.

§. III.

Igitur non niſi communi ſenſus notione fames cum tactu & reliquis ſenſibus convenit. Eſt enim, ut in compendio repetam, ſenſus longe alterius indolis, ſedes longe alias occupans, a nullo pendens hominum imperio, ſed unice ad ſtatum corporis indigentis, vel ab apice ſanitatis ſenſim deflectentis adſtrictus, hinc non niſi poſt inſigniora intervalla oriens, & cum moleſtia interpellans,

aſperitatis & lævitatis, caloris & frigoris diſtinguit? Neque hinc una res cum dolore eſt, licet ſubinde ſævior, dum matres fercula ex prole parare coëgit. *v. Comment. ill. Haller. in Inſtit. Bærhaav. T. I. p.* 338.

pellans, ſimul autem animo, quid in iſta indigentia corporis moliendum ſit, ſuborto cibi deſiderio ſuggerens. Quis non intelligit, novæ claſſis hunc ſenſum eſſe? quippe nunquam, niſi ſanitas, ſub diſpendiis corporis neceſſario reparandis, vacillare incipit, oriundum, nec apud ipſa bruta egentem interprete. Senſus quidem externi ingenti beneficio in commercium rerum externarum ducunt, & nos etiam, dum tuta ad huc omnia intra corporis limites ſunt, perenni & jucundo officio illarum rerum cognitione imbuunt, quæ dirigi in animi corporisque cultum a prudenti ratione poſſunt. At ſi neceſſitatis major habenda cura eſt, quam cultus & ornamenti, dixeris illis præſtare ſenſum famis. Hic enim facit ad ſuſtentandam vitam, illi tantum ad ornandum: hic percipit defectum, qui vitæ exitium minatur; illi percipiunt, quæ ambiguæ adhuc virtutis ſunt, & cum delectu ac ſub rationis moderamine ſalutaria evadunt: at & ſæpe perverſo uſu fomitem vitiorum & multarum in vita calamitatum conſtituunt.

§. IV.

Tanto æquius eſt, conſiderare jam uberius, in qua corporis conditione fames conſiſtit, quibus locorum terminis circumſcribitur. Occultior enim & tectior ejus ſedes eſt, quam ſenſuum externorum; hinc conjecturarum diſſidiis magis obnoxia. Priſcis viſa eſt fames conſiſtere in moleſto venarum meſaraicarum *b)* quoties exinaniuntur, ſuctu ex inteſtinis chylo vacuis. At cibus ſumtus

b) *Galeno* moleſtus ex ſuctu venarum ſenſus eſt proxima cauſſa famis, remota defectus alimenti. Vocat implendi deſiderium ex ſenſu penuriæ natum. Ventriculus a Natura pro nutricatus quaſi penu conſtructus, ſuctum, quem ex vacuefactis venis ſuſtinet, eo judice ad cibum conuertit. Ita ſibi ſuccedunt: vacuitas, vacuatorum naturalis adpetentia, ſuctus ventriculi, hujusque ſenſus & denique adpetitus animalis. *v. de ſympt. cauſſ. L. I. c.* 7. *Op. Iunt. Cl. III. p.* 18. *A.* Quæ ita illuſtrat. *Andr. Laurentius Op. Francof. p.* 236. ut partes exinanitas, quibus naturale tribuit deſiderium trahendi conveniens alimentum, ſugere e vicinis locis velit, hæc ex aliis, donec ad os ventriculi ſuperius terminetur ſuctus: nempe in reliquis locis ſenſum non eſſe, ſolum os ventriculi omnium partium ſuctum per inſigniores nervos ſentire, & cibum in medelam offenſæ adpetere. His inhæſerunt deinde plurimi, uno docentes

tus placat citius famem quam in chylum ſubactus ſuctum illum poſſit compeſcere. Non attingo ſtatum morboſum, in quo ſæpe fames canina ventriculo & inteſtinis plenis, faſtidium vero iisdem vacuis, poſt graves fluxus alvinos naſci ſolet. Qui ſtimulum mechanicum ſtubſtituunt, ſeu acre vellicans in ventriculo, vix ſolvent difficultatem, cur præſentem famem, ſine correcta vel expulſa illa acrimonia, evertat uno momento nunc adſpectus rei nauſeoſæ, nunc triſtis nuntius ſubito allatus, nunc motus inſolitus in navi vel rheda. Multi ſtimulum tantum acidum crepant, cum tamen ſalibus alcalinis vel amaris alcaleſcentibus languentem cibi adpetitum erigi in multis luculenter ſentiant. Nec liquor gaſtricus nec pancreaticus, quem eo nomine accuſant, notam acoris habent, etiam poſt longam inediam, quæ alioquin atrociſſimæ famis cauſſa eſt. Acidum vero lienoſum, quod per vaſa brevia vel alias latentiores vias in cavum ventriculi infundi ſomniant, nuſpiam in liene ſcrutantibus obvium eſt. Nec vaſa brevia, quippe venoſa favent ſecretioni, nec iter ad ventriculum, niſi vim ordini Naturæ inferre velis, ulla ratione adſtrui poteſt. Qui denique acidum ex reliquiis fermenteſcentium ciborum natum, famis fomitem adpellant, nequeunt ignorare, non niſi leviter inchoantis poſt paſtum mere vegetabilem fermentationis ſpeciem in ventriculo admitti poſſe: quod haud æque de paſtu animali vel mixto valet. Et quis corruptelæ ſpontaneæ ciborum, tanquam coctionis vitio, tanti momenti ſtimulum tribuat, qui totam vitam tuetur? Propius a vero abſunt, qui interiorem vacuefacti ventriculi ſuperficiem mutuo oppoſitorum laterum contactu trituque ſenſum famis, quippe in loco ſenſibili & nervoſo, excitare putant. At cur non copia potulentorum ſedat famem?

ore, partes inanitas & alimento egentes ſugere ex venis, has ex hepate, hepar ex ventriculo. Explodunt recentiores tum vacua in eſurientibus vaſa, tum ſuctum & hujus in ventriculo terminum. Et quis neget, in plethoricis ſæpe vigere, in exhauſtis poſt magnas dejectiones languere famem. *v. I. Bohn. Circ. anat. phyſiolog. Progymnaſm. VIII. p.* 155. *& C. I. Langii* Op. med. *p.* 77. *ad Obſ.* 2. At *Io. de Gorter Exerc. med. III. p.* 10. hanc ſuctus, quem veteres ſtatuerunt, ideam non una ratione excuſat.

famem? quippe æque ac cibus latera collapſi ventriculi a mutuo contactu removens? Cur in cynorexia plenus etiam ventriculus eſurit? Movit illa res eruditiſſimos viros, ut translata a primis viis ad ſanguinem culpa hic penuriam blandi chyli, & inde inductam ſenſibiliorem nervis irritationem famelicos reddere exiſtimarent: inprimis cum gratus alimenti halitus jam leniat famem, ut in DEMOCRITO ſuffitus recentis panis. Non eſt, cur huic lenimini famelicus diu confidat. Illud autem hic maxime regero, intenſiorem febrium acutarum motum cito in ſanguine blandum chylum conſumere, fame tunc potius ſuppreſſa quam excitata. Clariſſimus GORTERVS, *c)* eximius de hoc argumento ſcriptor, ſenſum famis duobus locis tribuit, nempe partim nervis cerebri, chyli in ſanguine penuriam ſentientibus; partim ventriculo ad nova alimenta accipienda & ſubigenda jam idoneo.

§. V.

Non nimis juſte ſeparantur, quæ in naturali quodam & neceſſario vinculo ſunt. Ventriculum inſontem in hoc negotio declarare nimis frivolum eſt. Ab illo enim ut pendent coctionis præſidia, quibus reficiendum corpus eſt; ita ad eundem pertinent ſtimuli, qui id officii in iſtis locis poſtulant. Vacuus & ſuis menſtruis armatus ventriculus par eſt novæ coctioni, illo præciſe tempore, quo corpus novo alimento egere, & chylus in ſanguine deficere incipit. In hoc igitur ſtatu, quid veri & perennis ſtimuli occurrat, diſpiciendum & pro cauſſa famis habendum eſt. Si ventriculum ut vacuum conſidero, dubium non eſt, ſenſibilium laterum contactum mutuo frictu ſtimulare: ſi conſidero menſtruis armatum, ad coctionem juvandam idoneis, ut ſaliva, lympha gaſtrica, pancreatica, bile, novas intelligo in ſtimulum vires accedere, quas motus periſtalticus ventriculi propius ad ſenſibiles laterum plicas adplicat. *d)* Senſibilius hic orificium ſiniſtrum trans-

c) In Exerc. med. III. §. 25. p. 20. ſequ.

d) Iuga mollia flaccida in cavo ventriculi pendula cum papillis nerveis moleſte adfici cenſet *Bœrhaavius in Comm. Ill. de Haller. T. I. p.* 273. hinc a jugorum illorum defectu inediæ patientiam in ſerpentibus & piſcibus fortaſſe pendere conjicit *Illuſtris de Haller* l. c. p. 340. n. 25.

tranſfert ad os & linguam hujus ſtimuli ſenſum: unde ubertim ſaliva adfluit, & viget guſtus ad diſtinguenda ea, quæ ſcopo nutritionis ſatisfaciunt. Omnia illa menſtrua, licet nec acidæ nec alcalinæ indolis ſint, ſed ſalſæ leniter & ſaponaceæ, novis ſecretionibus accedunt fortiora, & mucaginem laterum abſtergendo ſenſum acuunt. Bilis & ſuccus pancreaticus minus ex duodeno per pylorum in ventriculum cibo diſtentum adfluunt, quam vacuum laxumque, hic vero nervos per abſterſa jam latera ſparſos, adeoque nudiores & omni vi magis expoſitos luculentius vellicant. Haud plenus ventriculus, haud ſanguis chylo refertus, hos facile parere ſtimulos poteſt. Nam ibi vis menſtruorum per ingeſta diſpergitur & obtunditur; hic ex ſanguine chyloſo, quidquid menſtruorum ad officium primæ coctionis ſeparatur, accedit blandius, ac ſtimulo hebetiori. Ita exſurgere fames non poteſt, quam ſi interni humores, conſumto chyloſo & gelatinoſo, acreſcere vi ipſius motus vitalis, & eodem tempore vires novæ coctionis in ventriculo per acriora menſtrua inſtaurari incipiunt. Tam ſapienter Natura indigentiam corporis cum ſtimulis illis conjunxit, nec fluctuantis noſtræ rationis decretis ſalutem noſtram expoſuit.

§. VI.

An igitur, ſi fames urget, ei ſemper auſcultandum eſt, tanquam voci Naturæ, quam æmulari morbus non poſſit? An etiam, ſi remitit, parum; ſi penitius exſtinguitur, nihil offerendum eſt? Videntur hæc fere ex dictis prono alveo fluere. Ceſſat per Naturam fames, ſi chyli vel alimenti in corpore ſatis eſt. Ceſſat etiam diu inter cauſſas, quæ chylum & alimenta ſero conficiunt: uti fit in quiete & otio corporis, ſomno largiori & intermiſſis exercitiis. Ita, ſi ſolitarum excretionum vigor languet, diminuitur etiam internus humorum attritus, qui chyloſum ſubigit. In melancholicis videas dierum non ſolum & hebdomadum, ſed & menſium inedias tolerari; quia corpus eorum inter torpentes motus & ſpiſſiores humores nullius fere mutationis capax eſt, & excretionibus propemodum nullis exhauritur. At vacuus eorum, inquis, ventriculus eſt, nec veroſimile videtur, chylum & ali-

moniam

moniam tamdiu in ſanguine ſubſiſtere. Nos non vacuum ſolum ventriculum, ſed & acriorum menſtruorum viribus armatum in fame requirimus. Hæc vero menſtrua ex ſpiſſo melancholicorum & parum meabili ſanguine parcius, vel cum majori viſciditate, quæ minus ſtimuli habet, ſecernuntur. Alentium in ſanguine partium lentiſſima eſt inter tam debiles motus conſumtio. Abſonum vero puto, famem ſtomachicis excitare velle, quoties corpus nullam ſui reparandi legem ſub conſuetis ſtimulis imponit. Cur vero, pergis, toties in morbis, maxime acutis, fames exulat, ubi attritus & jactura ingens? Ut hic amiſſa reparentur, cur ſilet Naturæ vox? cur ſenſum famis negat? Haud inficior, alendum etiam tunc eſſe corpus. Quam diu autem vires morbi depravant alimentum, & coctionem ejus impediunt, potior cura incumbit, contra cauſſas morbi pugnare, tanquam obſtacula naturalis famis. Silet hæc, quia cibi, quos poſtulat, extra vires coctionis poſiti non corpus alerent, ſed morbum. Ex ſanguine inflammatorio in acutis vel nulla fit pro viribus coctionis ſuſtentandis ſecretio menſtrui, vel tantum corrupti & faſtidium potius parientis: quod etiam de ſtatu cacochymico multorum ægrotantium valet, corrigendo prius, quam bene de ingeſtorum coctione ſperes. Inter hæc vero ſitis urget, quæ omnino tantum alibilium partium & morbi genio oppoſitarum inter potulenta admittit, quantum ſiſtere ad tempus detriti corporis ruinas poteſt. Patet, quam inepte agant, qui omnes culinarum ſuarum delicias, omnia propriæ gulæ blandimenta ægris ſuis, vel nuperrime convaleſcentibus, liberali manu offerunt, quorum in debili corpore non coctio ſed corruptela ſequitur, revocans fugientem morbum vel præſentem confirmans.

§. VII.

Sunt aliæ cauſſæ, quæ deſtruunt adpetitum cibi, ubi hæret ſæpe medicus, eorumne votis adnuat, qui revocari eum cupiunt? Cur animi pathemata, terror, mœror, proſternant famem, nolim cum Cl. Gortero *e)* menti defectum chyli in ſanguine obſcu-

e) Exerc. med. III. §. 30. p. 13.

ſcurius ſentienti tribuere. Sufficit, inter illa animi pathemata languere circa ventriculum opus ſecretionis, hinc ignaviorem ſecretorum menſtruorum ſtimulum eſſe, & nervos ipſos ventriculi, in quos ſpiritus minus quam ante derivantur, hebetius ſentire. Propterea nihil cibi in hoc ſtatu ſumendum eſt, uno alioquin bolo tanquam inſigni pondere gravari ventrem ſenties. Auditus vel adſpectus rei nauſeoſæ, vel inſolitus motus in navi vel rheda, famem ex cauſſa non multum diſſimili adfectorum nervorum lædunt, quorum turbata officia & inverſum ſpirituum motum ſopire medicus debet, non ægris ſub torpente coctione epulum inſtruere. Morbi maxime dolorum pleni, ex conſenſu nati, adfligunt crebro ventriculum, & famem opprimunt, vix niſi rebus in prima ſede morbi pacatis reſurgentem. Si retinentur evacuanda, ut in alvo adſtricta, perſpirabili retento, lotio ſuppreſſo, vis inimica introverſa inquinat etiam humores coctioni deſtinatos, ſub deletæ famis indicio. Par eſt, tunc abſtinere a cibo, retentorum noxas corrigere, & vias excretionum liberare. Quodſi ipſi ventriculo phlegmone, eryſipelas, ulcus, ſcirrhus vel alia infeſta inſident, non famem ſolum ſapiens Naturæ inſtitutum inhibet, ſed & temere oblata per vomitum quaſi ſuccenſens erroribus rejicit. At ubi fluctuat iners pituita vel corrupta bilis in ventriculo, præit vomitu in exemplum. Non obſcura hæc Naturæ vox eſt, doctum tamen & attentum interpretem requirit. In plurimis morbis chronicis, acutis, malignis, eadem contingunt; quandoquidem liquida coctioni ſervientia ab interno humorum fomite impuro, ſæpius ulceroſo & putri, contaminantur. Sanioſa bilis ex corrupto hepate exundans horrendo faſtidio ægros mulctat. Unde ſimul diſcimus, non omnes, qui ſenſibiles ventriculi nervos irritant, ſtimulos famem provocare, ſed tantum nativos illos, domeſticos & moderatos, ac ſalutari coctionis ſcopo unice dicatos.

§. VIII.

Hos, qui imminutum, vel abolitum cibi adpetitum, immo cum horrore conjunctum ſentiunt; aliorum cedere conſiliis, & vim

vim ſibi inferre *f*), obtruſamque ſorbere offulam, improbo. Si enim Naturæ vox non ſuaſerit per famem *g*), quid in tantæ auctoritatis ſilentio erit alienis perſuaſionibus fidei? Nec tamen inficior, contra cauſſas læſi adpetitus, qui diu abeſſe ſine ſtrage virium non poteſt, eſſe pugnandum. Si ventriculus laxitate fibrarum & atonia laborat, ut ſtimulus, qui ſenſiles ventriculi partes vellicat, vigore motus periſtaltici nequeat ſatis ad eas adplicari, tonicis erit opus. Si iners pituita tegit nervoſas partes, ut ad eas non penetret ſtimulus, ſolvere pituitam & detergere convenit, torpentesque ſub ea nervos ſalinis & amaris excitare. Si ipſe ſtimulus a ſaliva, liquore gaſtrico & bilioſo pendens nunc deficit, nunc aquoſis nimis dilutus enervatur, nunc viſcidis obvolutus torpet, quis non intelligit, hæc menſtrua ab iis vitiis, quibus vel hebetantur vel inquinantur, liberanda eſſe? Facile etiam patet, cur laxi & obeſi, cur aquoſi & pituitoſi, cur pigri & otioſi ob hebetiores ſtimulos parum cibi adpetant, eo autem magis famelici ſint macilenti, exercitati, acrioribus nec tamen corruptis men-

f) Objicere poſſis, quod apud *Galenum* occurrit *in Hippocr. L. III. de morb. epidem. Comment. III. ad t.* 58. In peſte diuturna ait omnes periiſſe, qui faſtidio laborarunt, plurimos enim mori quam comedere maluiſſe: at fortiores, qui vim ſibi facerent, cibo oblato uſos fere omnes ſuperſtites fuiſſe. Siccine contra Naturæ ſenſum agere fas erat? Reſpondeo, exitialis in ventre corruptelæ, quam hic agnovit *Galenus*, effectum fuiſſe faſtidium: fortioribus nec tantam corruptelam nec tantum fuiſſe faſtidium, cujus proinde parvo gradui reſiſtere magna lucta non fuit, inprimis cum ſi creſcentis ſenſim adpetitus obſtacula tollerentur. Neque enim dum cibum, qui faſtiditur, coqui vel alere nego id volo, in omni morbo, qui ad ſenſum faſtidii abſtinent a cibo, vel ad ſenſum adpetitus opplent ventrem, evadere. Sine dubio variæ exitii vel ſalutis cauſſæ utrumque ſtatum morbi comitari poſſunt.

g) Merito ſilet, ſi e. c. ex cibo naſciturus eſt morbus, vel vires coctioni impares ſunt, ut in moerore, languore, cachexia &c. *v. Comment. Illuſtr. de Haller T. I. p.* 339. Infinita eorum exempla ſunt, qui longam inediam tolerarunt. *v. Henr. ab Heers Obſ. med.* 27. *Io. Rhod c.* 2. *o.* 54. & 55. *F. Loſſii Obſ. med. L. I. c.* 21. *Petr. Foreſt. L.* 7. *Schol. Obſ.* 28. *M. Donat. Hiſt. mirab. L. VII. c.* 1. *G. F. Hildan. o.* 33, *c.* 5. *C. Stalp. van der Wiel obſ. rar. Cent. I. Obſ.* 25. *c.* 2. &c.

menſtruis præditi, ac robore ventriculi diaphragmatis & inteſtinorum gaudentes, unde major ad loca ſenſibilia vellicantis cauſſæ vis ſentitur. Multa hic vitia anatome in defunctis manifeſtat, quæ ſæpe ſpem medelæ ſuperant, ut ſunt viſcerum univerſa labes, maxime hepatis, lienis, pancreatis & inteſtinorum, ſæpe fiſtuloſis ulceribus & putri colluvie ſcatentium; vel domeſtica ventriculi mala, cujus nunc fundum copioſus adeps preſſit, nunc os grave ulcus exedit, nunc cavum ſpurci & corrupti humores, nunc lapilli, nunc ſcirrhoſa, purulenta ſimiliaque tubera obſederunt *h*). Medici hic judicium in colligendis ſignis & præſagio formando elucet. Intelligit, recte quieſcere famem, & quidquid ingeritur, corrumpi ac lædere, niſi dictis vitiis prius mederi poſſit.

§. IX.

Contraria rerum facies, dum fervet in aliis adpetitus cibi, haud mutat judicium noſtrum. Negamus frena, quæ ipſa laxavit Natura, voraciſſimorum hominum deſideriis injicienda eſſe. Reperiuntur guloſi incredibilis voracitatis; at ſine ullo ſanitatis ſuæ detrimento *i*). Si enim robore ventriculi & copia ac virtute menſtruorum præditi coquunt non minus, quam adpetunt, iniquiſſime ad communem frugalitatis legem revocantur. Lactantibus aliis, per hiberna aliis itinera, aliis per continuos labores exhauſtis, aliis ex longo morbo reſurgentibus *k*) intempeſtive profecto temperantiæ & jejuniorum ſevera nimis præcepta traduntur. Sæpe ipſos morbos inexplebilis cibi aviditas comitatur; nec malo omine, cum illos evadere, qui in longis morbis vehemen-

h) *v. Th. Boneti Anat. pract. T. II. L. III. o.* 1. *ad* 17.

i) Infinita ſunt voracium exempla, quorum multa cum lepida cenſura collegit *Iuſtus Lipſius in Epiſt. miſcell. Cent. III. Ep.* 15.

k) Diſquiſitionis enim medicæ non eſt, quid loculi ferant. Viderint ipſi quid tenuiori ſuæ ſorti conveniat, & atro pane, lardo, ac leguminibus contenti fugiant ſimul exercitatum nimis, quod famem acuit, vitæ genus. Sufficiunt multis viliſſima, ut mendico apud *Io. Bened. Grundelium*; qui tantum lactucæ recentis a terra evulſæ & illotæ ſine ſale, aceto & oleo, præſente medico illo devoravit, quantum decem famelicis ruſticis ſuffeciſſet, imo poſt abitum medici per horam adhuc his lautitiis ventrem infarſit. *v. Eph. N. C. Dec. III. A. IV. o.* 81. *p.* 175.

mentem cibi adpetitum ſentiunt, GALENUS *l*) teſtetur. LEON. FAVENTINUS *m*) Prutenos ſcribit febre correptos octies in diem cibos poſtulaſſe, & ALEXANDER BENEDICTUS *n*) in morbo peſtilentiali quater de die cibum ſibi ipſi ſumendum fuiſſe refert. Medicus ad id attendit, an illa voracitas aliquid inſoliti & noxii ſecum vehat, velut a lumbricis eſt roſio ventriculi, a bulimo deliquium animi, a cynorexia moleſtus vomitus. Primo loco anthelminticis pugnat; ſecundo cardiacis & hujus claſſis odoramentis; tertio iis, quæ expellendis vel corrigendis alienæ indolis ſtimulis conveniunt, hisque tonica & adſtringentia ſubjungit. Non igitur obluctatur famelicis, ſociat tamen comitantium malorum, quæ coctionem turbant, remedia. Mulier immodica adſumens & coquens, nec ſaturata, ſed de morſiunculis ventriculi conqueſta convaluit catharctico vermem XII. cubitorum & ultra ejiciente, teſte TRALLIANO *o*). Fas ſine dubio eſt majorem ſentiri famem, ubi nutritionis opus multiplicatur; non quod Natura de vermibus eorumque victu ſollicita ſit, ſed quod famem intendere non deſinat, antequam chylus ad diſpendia interna reparanda intro venerit. Medicus tamdiu fert, ne vermes ſolidas partes corporis conſumto chylo arrodant *p*), donec ipſi licuerit per artem a ſocietate communis pabuli vermes excludere *q*). Crebrior famis hujus ratio eſt ſalivæ, liquidi gaſtrici, ſucci pancrea-

l) *In comment. VII. in Aph. VI.* ubi *Hippocrates* conſtans cibi faſtidium in longis morbis damnat.

m) *De Medic. morb. c.* 34.

n) *L. XXII. Pract. c.* 20.

o) *L. III. c.* 3. Mirati magnitudinem aliqui, malunt duos cubitos legere. At *Gentilis* & *Simon Genuenſis*, fideliſſimi interpretes, noſtram lectionem confirmant. Simile narrat *Io. Mich. Paſchalis L. I. Meth. med. cur. morb. c.* 33. de puella, cui famelicæ pariter vermis XII. cubitorum catharctico excuſſus eſt. Etiam *Geſnerus L. III. Epiſt. ad Fabric. p.* 90. ſe non ſemel vidiſſe lumbricos XIII. cubitorum expulſos ſcribit. Conf. *Zac. Luſitanum de Medic. princ. Hiſt. L. II. Hiſt.* 68.

p) Ut *Aetius Tetrab. III. Serm. I. c.* 40. memorat.

q) Colluviem pediculorum *Th. Bonetus* notat repertam in voraci puero. *Anat. pract. L. III. c. 2. o. 9. p.* 735.

creatici vel bilis copioſior ad loca coctionis acceſſus. Gerh. Blasius *r*) duplicem ductum pancreaticum in famelico & Andr. Vesalius *s*), inſertum pyloro ductum bilioſum reperit. Galenus *t*) quoque voraces vocat, quibus atra bilis in ventriculum fertur. Tumet ſæpe ventriculus acceſſu tam acrium menſtruorum; tumet hepar copia bilis, quam illuc iteratis ſuppetiis mittit. Unde Io. Argenterius *u*) experientia certum dicit, maxime edaces eſſe, quibus magnum hepar obtigerit. Alii immenſæ magnitudinis ventriculos in famelicis repererunt *x*). Horum certe in coquendo viribus ſi internæ reſpondet nutritionis & conſumtionis vigor, & inter hæc robur valetudinis illibatum perſiſtit, non eſt, cur in illis urgentiorem famem ſiniſtris ſuſpicionibus contamines, & tam luculentam Naturæ vocem interpelles. Qui vero non coquunt, ſed anguntur, & vel animo linquuntur, vel evomunt ingeſta, horum non tam convenit exſtinguere adpetitum, quam ab illa peregrini ſtimuli labe & coctionum impedimentis vindicare.

§. X.

Nunquam vero corporis conſervandi curam mirabilior vox Naturæ inſtruit, quam ubi in contumaciſſimis morbis remedium ſuggerit, & contra prædominans vitium humorum inſpirat adpetitum oppoſiti. Quartanarii pituitoſi nunc haleces ſalitos, nunc copiam vuarum adpetunt, quibus tenax illud & lentum, quod obſtruit

vaſa,

r) *Obſ. med. XV.*

s) *Op. L. V. c.* 3.

t) *De plenitudine c. XI. op. Iunt. Cl. VII. p.* 81. *G.* Aquam nigram in ventriculo voracis *Libavius in Hiſt. med. Horn.* deſcribit. Meminit *Dan. Sennertus* ſtudioſi, qui habitu corporis nigro laborabat, non ſolum de die, ſed & nocte comedentis ac bene digerentis, craſſa etiam, ut panem a ruſticis emtum & crudas hortorum radices, præferentis. *Op. T. II. L. III. P. I. S. II. c.* 4.

u) *In art. parv. p.* 609. Sic & *Th. Bartholinus* grandius hepar guloſis tribuit, *v. Anat. L. I. c.* 4. *p.* 127.

x) *Th. Bonet. An. pr. l. c. S. II. O.* 1. *Ant. Pozzis in Eph. N. C. Dec. I. A. IV. O.* 30. *p.* 31. id refert ad errata Naturæ in una parte, & ſupplementa in alia.

vaſa, efficaciſſime ſolvitur. In morbis acutis, ſpreta carne, quæ olim in deliciis fuit, aquoſa & acida, ut lac ebutyratum; in lapſu virium, ſub dubia criſi, vinum rhenanum, & alia cardiaca, quæ reſurgentis Naturæ conatus fulciunt, poſtulantur. Puellæ pallidæ & frigidæ, in quibus acidum abundat, cretam, calcem, carbones, vel ferri rubiginem, in quibus nullæ ſunt gulæ illecebræ, vorant, & ſic ignotum hoſtem ignoti remedii deſiderio vincunt. Si rationes ab his aegris, rudibus ſæpe & omnium rerum ignaris quæris, neque compertam olim iſtorum virtutem & priſco vitæ uſu ſibi familiarem, neque laudes aliorum & perſuaſiunculas citant; ſed ruere ſe, quo interno inſtinctu rapiuntur, ad aliena ſæpe & inſolita, ultro fatentur, & medico, cui ceteroquin confidunt, diſſuadenti nunc magna animi impotentia repugnant, nunc ſimulato obſequio furtim negata rapiunt, & in ſtuporem imo pudorem medici ex ſummo morbi diſcrimine evadunt. Hæc norma naturalis ſenſus bruta etiam plenius inſtruit, quippe ratione, quæ novum homini conſilium promittit, carentibus. Recte talem inſtinctum in morbo exſpectabant veteres *y*), & quæ peteret aeger, non cunctanter offerebant. Th. Sydenham circa finem continuarum febrium aegris etiam incongrua ſpecie petentibus indulſit. Faciles fortaſſis plerique erunt medici, ſi deſiderium aegri indicationibus morbi reſpondet: at dum ſalita ſæpe & fumo indurata in ipſo coctionis & virium languore poſtulant, vel alia, quæ morbi vires alere videntur, hæſitare eos, imo moroſius reluctari videas. Verum ſuperant molimina Naturæ ſolertiam conſilii medici, & cum certiores ſemper medendi leges a juvantibus ſumuntur, res eſt compertiſſima, nullam facile ex tali indulgentia perniciem in aegris eſſe ſecutam. Gravida apud Nic. Tulpium *z*) nil adpetiit, præter acetaria cruda & rhombos Rigenſes, ſale ac fumo induratos, idque per ſex menſes

y) Hinc *Hippocrates* deteriorem etiam cibum & potum, modo jucundiorem, vult ſalubrioribus ſed injucundioribus præferri. *Aph. Sect. II. A.* 38. Quo illud refer: *quoscunque cibos aut obſonia aut potus aegroti concupiſcunt, exhibeto, ſi non corpori damnum inde acceſſurum eſt. De affect. n. XLII.*

z) *Obſ. med. L. II. c. 20.*

ſes avide & ſine noxa. Alia *a*) ante partum haleces mille & quadringentos comedit. Patet, neque in depravato adpetitu Naturam male per famem conſulere. In eo tamen prudentiam medici laudamus, qui eorum, quæ morbus poſtulat, & corporis fert conditio, gnarus, anomalæ fami auſcultat quidem, at tempus, delectum, quantitatem, modum totumque in uſu regimen cautioribus cancellis circumſcribit. Nec improbo certe, modo in ejus poteſtate ſitum ſit, ſi famis exceſſum iis temperet, quæ corpus ab immenſa illa perpetui commeatus indigentia liberant, & ſub juſto moderamine virium coquentium & diſſipantium onera ſuſtentandæ vitæ levant. Nempe ſecundum HIPPOCRATEM *b*) nec ſatietas nec fames, nec quicquam bonum eſt, quod Naturæ modum excedit.

CAPUT II.

DE SITI.

§. I.

Sitis etiam diſtinctus & ſui organi ſenſus eſt, cujus moleſtiam levat potus. Major illa moleſtia eſt, quam in fame; at & majus in potu quam cibo oblectamentum. Ille certe, qui regnum pro potu obtulit, faſſus eſt, ſe majus ſupplicium ignorare. Maxima inter hunc utrumque ſenſum cognatio eſt ratione indigentiæ corporis, quam mutua opera conſolantur & neceſſaria ſupplementa, ſine quibus hæc compages corporea dehiſcit, quotidie in ſanis expoſcunt: ut mireris, JO. BOHNIO *c*) ſitim fami contrariam & ſem-

a) *ibid. c.* 24.

b) *Aph. S. II. A.* 4.

c) *Circ. anat. phyſiol. prog. VIII. p.* 118. *&* 119. ubi cauſſam ſitis ſemper præternaturalem judicat, qualis ſiccitas & acrimonia: hinc colligit, non ut famem, ſic ſitim naturalem dari. Nobis nec famem nec ſitim placuit aliorum more in naturalem & præternaturalem diſpeſcere, cum & in ſanitate & morbo una & conſtans ſit conditio; in fame nimirum defectus

ſemper præternaturalem videri. Non enim exinde, quod ARISTOTELES famem adpetitum calidi & ſicci, ſitim frigidi & humidi dixit *d*), ſi modo recte dixerit, mutua pugna magis quam mutui miniſterii moderamen elucet. GALENO *e*) ut prima pars famis ſenſus ſuctus in ſtomacho eſt, altera implendi deſiderium; ita & ſitis eidem ſuctus eſt, ſed alterius cauſſæ, deſiderium, ſed alterius remedii. Ambas has cupiditates in uſum corporis conſervandi ſocias, & cum PLATONE *f*) evidentiſſimas vocamus, velut non minoris evidentiæ moleſtus utrorumque ſenſus eſt. Eſuriens igitur in cibum avide, avidius ruit in potum ſitiens: uterque, ſi hoc ſtimulo careret, medicis eadem inter luculentiſſimas ſanitatis rationes ſuadentibus, moroſius ſæpe, ut in aliis fieri ſolet, repugnaret. Adeo nimirum neceſſe erat, grati potius vel ingrati, quam præſtantiſſimarum rationum vinculo hominem ad ſalutis ſuæ cuſtodiam adſtringi. In eo autem ingens ſine dubio ſanitatis momentum ſitum eſt, ut fluida ſint & blanda, quæ vitali motu circumaguntur. Si fluida ſpiſſeſcunt, blanda acreſcunt, totus ille humorum circuitus, cum omnibus coctionum, ſecretionum & excretionum præſidiis, laborat: in quo tanto diſcrimine & interna dilutionis ſumma indigentia, ſenſu omnino opus erat, cujus moleſtiam ferret nemo, ſuavitatem autem in remedio poſitam ultro adpeterent omnes.

§. II.

Indigentiam voco internæ dilutionis, quæ ſitim unice accendit. Ut flexilitas ſit ſolidis, motus fluidis, vis humectans pervadere omnia debet, expedire pro tranſitu vias, diſtribuere alimoniam

defectus ſolidi alentis, in ſiti defectus humidi alentes partes coquentis repurgantis & diſtribuentis. In aegris conjuncta eſt functionem læſio; in ſanis imminet, ſi ſatisfacere his ſtimulis cuncteris.

d) *L. II. de anim. c.* 3. Ubi famem vocat ἐπιθυμιάν ſeu ὄρεξιν θερμȣ̃ καὶ ξηρȣ̃; ſitim ψυχρȣ̃ καὶ ὑγρȣ̃.

e) Primam partem famis vocat τῆς μυζήσεως αἴσθησιν; alteram πληρώσεως ἔφεσιν. L. I. *de ſympt. cauſſ. c.* 7.

f) L. IV. de rep. ἐναργεςάτας vocat.

moniam, detrita eluere, extrema etiam & cutanea vaſa, quæ aeris externi contactus promtius exſiccat, perſpirabilia conſervare. Sedes in ſtomacho eſt, ad fauces protenſa, non tam a ſuctu aliquo pendens, quam ſenſibilioribus ejus loci nervis, aſpera illa ſiccitate, cum flexilem mollitiem poſtulent, offenſis. Velut hauriunt omnes corporis partes ex ventriculo fluida, ita deperditorum primus ſenſus hic naſci debuit, & novam corporis rigandi neceſſitatem indicare. Ob communionem membranæ nerveæ, quam partes in ore ſitæ cum ventriculo habent, uberem non modo lympham miniſtrantes, ſed & primæ coctionis opus inter ipſas guſtus delicias inchoantes, non eas hic penitus excludimus *g*). Ex arido illo oris, linguæ, faucium, narium & oculorum ſqualoré ac ſordibus, quanta in toto corpore penuria liquidi tenuioris ſit, eo facilius judicatur, quod his locis præ aliis naturalis & perennis mador ſit, nec niſi in extrema ſiccitate his fontibus ſui rivuli deficiant. Merito igitur a G. Baglivio *h*), ut hæc loca in morbis ſollicite inſpiciamus, commonemur.

§. III.

Quodſi jam nemo facile negat, ad blandi humidi in corpore inopiam ſitim oriri, ac juſtæ dilutionis legem naturali inſtinctu imponere, vix aberrare a vero mihi videor, ſi huc referam, quicquid aliarum cauſſarum auctores tanquam diverſæ originis recenſent. Inter has prima eſt interna humorum minus meabilium indoles, ex qua plethorici ſitiunt: quam ego ſitim non facile extra liquidi diluentis penuriam quæſierim. Vaſa enim plethoricorum

g) Huc maxime *Io. de Gorter* reſpicit, quia in ſanis nunquam hæ partes ſine ſiti areſcunt, & quia ipſa collutio oris præſens ſitis levamen adfert. *Exerc. med. IV.* §. 6. *p.* 7. Verum ut merito eos rejicit, quibus ſedes ſitis in duodeno eſt, ubi bilis & ſuccus pancreaticus miſcentur; ita nervos in ventriculo & ejus orificio adfectos minori jure præterit. Mera collutio oris nunquam tollit ſitim, licet arida vaſa reſorbeant aliquid, niſi deglutitio accedat. Non ſitiunt cameli, inter longa itinera, ob veſicas aqua plenas ventriculi, hinc diu irrigui. conf. *Comment. Ill. Halleri in Inſt. Boerhaav. P. I. p.* 341.

h) *Op. L. I. c. IX. p.* 77. *it, c. XIII. a.* 135.

ricorum mole ſanguinis diſtenta premunt minora, quæ lympham ſecernunt: hinc nunquam ſecretis abundant. Ipſe vero ſanguis ſub vaſorum tenſorum debiliori tono languidius pulſus ſubſiſtit facilius, &, ut ſolet in quiete vel mora, ſub molecularum antea ſeparatarum coalitu ſenſim ſpiſſeſcit. Manifeſtior res eſt in morbis inflammatoriis, ubi totum corpus diſſipato tenui in ſiccitatem humorum, ad leges conſueti motus non meabilium, incidit. Altera cauſſa, etiam potioris momenti, eſt acrimonia tam ſalſa quam alcalina & oleoſa, in quibus ſingulis quid juſtius quam defectum blandi humidi arguimus? Aqua enim propria indole lenientiſſima, tot acrium ſtimulis ſuſceptis, nomen blandi humidi exuit, & alit ſitim, cujus extra hunc acrium complexum medela eſt. Vigilat Natura, ne acre, quod ipſe motus vitalis evoluit, in nobis ſubſiſtat, genitumque protinus expellit, præſertim cum lotio, quod acriora ſalia & olea per attritum nata ex ſanguine conſtanter eluit. Qui condimenti multum ex ſalibus, aromatibus, cepis, raphanis ſimilibusque ingerunt, ſitire tamdiu ſolent, & ad potum impelli, donec vel coctione victus ſit ſtimulus, vel tenax acrimoniæ per emunctoria expulſus. Idem contingit, ſi interni humores a blanda ſua indole per varias ſæpe in ſinu natas corruptelarum cauſſas deſciſcunt. Potus tenuis & aquoſus, quem ſitientes hic adpetunt, pleraque alia ſoluit, inprimis ex ſalium familia. At ubi oleoſa tenacitas accedit, velut poſt comeſta pinguia, intenſior ſitis ac pertinacior non cedit ſimplici aquæ, niſi acido ſapone armatæ. Ructant eo tempore acre amarum, quod fauces urit, & in ipſo igne ardet, ob communem tamen amaroris & flavedinis notam non ilico bilioſum vocandum erat, cum bilis ſapo ſit aquoſis promtius auſcultans, non merum oleum. Conſtat vero blandiſſima olea, ut ipſum butyrum in ſartagine diu frixum, flavum, acre, amarum, mentiri ſpeciem bilioſi. Neque vero hic loci tanquam crebram ſitis cauſſam excludo acrimoniam bilioſam, in multis febribus, dum primo incendio deflagrant, circa præcordia accumulatam. Galenici, ut evincerent, omnes febres in calore, licet aliquando latentiori, conſiſtere, ad ſitim illam in ipſo frigore multarum febrium moleſtam provocabant. Juſtius ſorditiem illam corrupti, putris & bilioſi humoris ad præcordia

hærentem pro cauſſa ſitis cum HELMONTIO agnoſcimus, haud certius ceſſaturæ, quam uſu purgantium & emeticorum. *i*) Sunt hodie inter antiſtites medicinæ, qui hoc fonte argutius inſpecto, pleraſque & mali moris febres, maxime cum nauſea, halitu putri & amaro, ſitique immodica, ſæpe etiam cito ingruentibus deliriis, phreniticorum inſtar, ſtipatas, iteratis emeticis, quibus ſaburram illam excutiunt, miro ſucceſſu in ipſis quaſi incunabulis jugulant, & potu acidulo reliquias conficiunt. Nimis ſalutem ægrorum negligunt, qui indulta mora ſordibus illis aditum ad interiora & graviores in ſede vitali injurias permittunt. Sive enim hoc, quicquid eſt excrementitii, ab ingeſtorum corruptela, ſive inquilinorum maxime circa hepar purgamine, & novis ex calore & ſtaſi intra loca, quæ ipſe aer adluit, vitiis naſcatur & colligatur; certiſſimum puto, crebras eſſe hujus originis febres, imo paucas ſine ſuſpicione latentis hic labis tractandas, quod dudum TH. SYDENHAMO *k*) ſuboluit.

§. IV.

Haud multis ſpeciatim proſequor cauſſarum illarum farraginem, quibus ſiccantur interni humorum fontes, & minus meabiles ac ſub perenni attritu acriores ſitim intendunt. Palam eſt, aerem calidum, æſtum ſolarem, ſomnum ſub eo captum, hiante inprimis ore, magna corporis exercitia, labores, vigilias, cantus, curſus, vocis contentiones in nobis copiam humidi diſſipare. Inter cibos ſicca & acria, fumo durata & muria macerata, condita,

i) Alvum ducentia inquit *Io. de Gorter*, mirum eſt videre in tali ſiti unica vice tollere ſitim, quam multus placare non potuit potus. Hoc vocat, ex ventriculi cruditate ſitire, in morbis etiam chronicis: v. *Exerc. med.* IV. §. 23. & 24. p. 27. & 28.

k) *De febr. cont. Lond. ab a.* 1662 - 1664. *Op. Ed. Leydenſ. p.* 57. Emeticum in febrium initio laudat, ut aegrum ab horrendis ſymptomatibus, quæ ortum ex humorum in ventriculo locisque vicinis colluvie ducunt, præmuniamus: grandeſcere alioquin cum aegri periculo morbum, ac longævum evadere, nutritum pravis illis humoribus, quippe ex foco illo jugiter pertranſeunti ſanguini malam auram adflantibus. Imo quovis morbi tempore vult adhiberi, ſi ab initio neglectum ſit emeticum, modo vires ferant.

dita, aromatica, ut allia, cepæ, ſinapi, eryſimum, raphani; inter potus meraciora fermentata, vina inprimis vetuſta, dulcia, ſpirituoſa omnia huc pertinent. Interne bilis, pituita ſalſa, ſerum ſcorbuticum peccare, ſtaſes, ulcera, cancri tetro ad ſitim ſtimulo ſanguinem inficere poſſunt, ut in phthiſi. Nec oſcitanter ad excretorum damna reſpicimus, magnas nempe alvo, lotio aliisque viis dejectiones, ut in diabete, qui ob ſitim dipſacus vocatur. Inde etiam hujus loci ſunt purgantia, ut euphorbium & ſcammoneum aliaque, quæ corpori copioſam lympham haud impune detrahunt. Habent lactantes, quæ pluribus infantibus ubera præbent, cur ſua etiam corpora exhauriri metuant. Denique venena adiicio, immenſæ ſitis fomenta, ut ictum anguium, qualis dipſadis *l*). Nulla vero cauſſarum frequentior eſt, quam febris, quæ per motuum augmenta omne tenue majori vi diſſipat. Non ſunt magnopere natæ hinc ſiccitatis ſigna colligenda, cum gradus variæ ſitis optimum hic interpretem agat. Nec tamen male poſt recenſitas cauſſas prægreſſas ſimul os ſiccum, aſperum, glabrum, a collutione ſtatim rurſus areſcens, oculi ſqualidi cum lemis in angulis, ſputum tenax vel nullum, alvus ſtipata, lotium parcum, acre, rubrum, mador in cute nullus, æſtus interni, anorexia, reſpiciuntur. Cogniti mali nullæ induciæ ſunt, inſtant concretiones ſanguinis & funeſtæ obſtructiones, ſimulque ex acrimonia, maxime biliofa & oleoſa, peſſimi genii inflammationes. Neceſſe enim eſt in hac ſiccitate lædi humorum tranſitum, præſertim per minora vaſa, reſorbentia preſſa minus ſuſcipere, exhalantia minus evacuare; circa anguſtias arteriæ pulmonalis anxietatem, circa vaſa encephali deliria & ſopores oriri; maxime vero tenera vaſa ſub auctiori motu acrium humorum inter dolores & hæmorrhagias rumpi, unde ulcera, gangrænæ, ſphaceli.

§. V.

l) Morſus ille levis & vix dolens, at quam mirabilis inde juvenis Tyrrheni in caſtris Catonis ſitis!

Quas poſcebat aquas ſitiens in corde venenum!

Lucan. Pharſal. L. IV. v. 737. ſequ. *Galenus* ſiti periiſſe meſſores ſcribit, qui vinum, in quo vipera vel dipſas ſuffocata fuerat, biberunt *L. I. de ſympt. cauſſ. c.* 7.

§. V.

Sitis diminuta ſub integro functionum exercitio remedii nihil exigit. Laxa corpora, qualia in prima ætate maxime feminarum ſunt, humido non ſolum abundant, ſed &, ſi ab iis cauſſis, quæ tenuia diſſipant, alienam vitam agunt, vel etiam ſub cœlo humidiori vivunt, raro omnino egebunt potu, & vel ſolis ſucculentis cibis deperdita liquida facile reparabunt. F. PLATERUS Marchionis meminit, raro & parum, imo nihil bibentis, idque a teneris *m*). JO. SCHENCKIUS *n*) Neapolitanum quendam nunquam bibiſſe notat, & APOLLONIUS *o*) olim ANDRONEM ARGIVUM per omne vitæ tempus ſiti potuque caruiſſe, etſi cibis ſiccis ſalſisque veſceretur, commemorat. Ad fabulam propius accedit illud PLINII *p*), quosdam concretis oſſibus & ſine medulla vivere, quorum hoc ſignum ſit, nec ſitire nec ſudare. Sunt, quibus nec febris ſitim peperit, nec aſcites, quorum illud C. G. SCHELHAMMERUS *q*), hoc ANT. VALLISNERIUS *r*) teſtantur. Tuſſientes in acutis minus ſiticuloſos HIPPOCRATES *s*) vocat, quoniam per ipſam tuſſim lingua mollis & humecta evadit. Recte tamen ſitim, quæ contra morbi rationem nulla eſt, damnat PROSPER ALPINUS *t*) & ſemper in morbis moderate ſitire probat. Pejus eſt ſitis ſilentium, ſi reſolutis nervis

ἀναι-

m) *L. I. obſ.* in quo magna conſuetudinis vis adparet. Ita *Iulius Viator* eques Romanus ob aquas ſubter cutem a medicis a bibendo retractus naturam fecit conſuetudine, atque in ſenecta potu omni abſtinuit. *Plin. H. N. VII.* 18.

n) *Obſ. med. p.* 324. *O. V. ex Cœlio. L.* 13. *c.* 24. Miram quoque a potu abſtinentiam *P. Borellus* habet in Cent. II. O. 68. & Cent. IV. O. II.

o) *C. XXV. Hiſt. mirab.* ex *Ariſtotelis* libro de ebrietate.

p) *H. N. L. VII. c.* 18. *Solinus Lygdamin Syracuſanum* in exemplum adfert. *c. I. p.* 7.

q) *Eph. N. C. Dec. III. A. V. & VI. O.* 224. *p.* 518. in febre epidemica Kilonienſi.

r) *Eph. N. C. Cent. III. & IV. O.* 24. *p.* 50.

s) *Aph. IV.* 54.

t) *De præſ. vit. & mort. aegrot. c. XVI. p.* 270.

ἀναισθησία *u*) ventriculi peccat: peſſimum ſi cauſſa delirii nata ſenſum naturalis indigentiæ opprimit. Igitur in prioribus illis caſibus diminutæ vel abolitæ ſitis juſtam adpellamus & Naturæ conformem abſtinentiam a potu, quippe qui laxis, frigidis, otioſis, ſub levi exceſſu nocet. In poſterioribus, ubi jam mens laborat, & per nervos ſoliti ſenſus non propagantur, ſpes ſalutis fere decollat, nec ſub amplis cyathis reſurgit, iis exceptis, quibus leviter & per interualla mens vacillat, & obſcurus remanet ſenſus, qui oblatos potus non penitus detrectat. Nec tamen improbamus, ut etiam ſumme & conſtanter deliris præter potus, epithemata fomenta & clyſmata, ſcopo humectandi æque, quam revellendi, conſtanti opera admoveantur, ne etiam inter adulti morbi progreſſus, extra ſpem auxilii poſitos, objici medicis poſſit, non tentaſſe ſalubria.

§. VI.

Aucta ſitis, qualis maxime in acutis ſub quodam quaſi internorum viſcerum incendio ſævit, vt bene potus neceſſitatem ſentit; ita momentum ſalubritatis iniquæ quorundam ſuſpiciones immerito vellicant. Asclepiades, (*x*) qui non tuto ac celeriter ſolum, ſed & jucunde ſanare voluit, quantum ab hac norma receſſit! cum vires ægri luce, vigilia, ſiti convellendas eſſe ratus (*y*), ne os quidem eluere primis febrium diebus ſineret. Ipſe Celsus (*z*) Ascle-

u) *Cauſſa*, inquit *Galenus*, *cur ſitis deficit*, *eſt vel ſolutio morbi*, *vel exſtinctio virtutis*, *in I. Epidem. Com. II. t.* 75. Vel non adeſt defectus humidi, vel non percipitur.

x) Is alioquin ob frigidam in morbis datam ingens ſibi nomen comparaverat, ut ex *Varrone Plinius H. N. L. XXVI.* c. III. refert.

y) *De medic. L. III. c.* 4. Ubi quidem non vult vires aegri convelli, at credit minui materiam, quæ naturaliter digeritur, ubi nihil novi accedit. Ipſe vult nec potare aegrum, nec nimium ſiti cruciari, os igitur tantum ſiccum & fœtidum elui.

z) *De medic. L. III. c.* 6. negat potum primo, etiam, ſi ſitis non urget, altero die *Fr. Philelphus* ſecutus hanc doctrinam ſcribit, febrem ſuam ſe depuliſſe aliquando abſtinentia a potu. Certe illum ſitis gradum, cui nec ſapientiſſimus reſiſtit, vix videtur expertus. Hic confer. *perill. Gerh. van Switen Comment. in aph. Boerhaav.* T. *II. p.* 212.

Asclepiadi juſto addictior promittit ægro, quieturam eſſe ſitim, ſi febris quieſcat, deſiturum autem celerius ſitire, ſi non biberit. At quid magis illi morbi ſtatui convenit, quam ſicca humectare, acria abſtergere, & iis, quæ meabilia non ſunt, fluidius interponere? quid certius illam opem præſtat, quam potus? & quomodo vltro deſinat febris exſiccare, acria evoluere, ſpiſſa denſare, niſi perpetuam undam ſuffundis? Quanto æquior Hippocrates in febribus nil niſi potus tenues, acidulos, ptiſanas, oxymel & ſimilia ad votum ægrorum plena manu indulſit? Elapſo ſæculo, quo alexipharmacis pugnabant, & chemici inprimis polychreſta ſua elixiria aquoſis enervari metuebant, funeſto errore & multis prægreſſis ſæculis ſopito damnabant potum, & exſucca ægrorum corpora remediorum ſuorum igne torrebant magis, inhærentes adulto errori, etiam cum ægros, laxatis obedientiæ frenis, potu clanculum & liberaliſſime hauſto convaluiſſe, tam multiplici experientia convincerentur. Hæc iis ſalus anomala viſa, quæ regulas medendi non labefactaret. Bene noſtri ævi medicis iſte rigor improbari cœpit.

§. VII.

Igitur ſitientibus potus exhibendus eſt, quem Natura poſcit, non excluſo tamen prudenti artis moderamine. Ipſe quidem pro corporum & morborum varietate differt, at ſemper ejus baſin conſtituit aqua, quippe omni ſpiſſitudini, ſiccitati & acrimoniæ oppoſita. Quis ſub æſtivis caloribus vel meraciorem cereviſiam, vel generoſius vinum ſimplici aquæ præfert? At fas eſt, humoribus in iſta ſiccitate degenerantibus & in putre ruentibus non aquam modo, ſed & acidis, ut pauxillo vini rhenani vel ſucci citri mixtam propinare. Acida enim, licet acerrima, ſitim non gignunt, aquam vero ſtaſi ſua ſubinde corruptibilem corrigunt, inſecta necant, & armant contra alcalinum & putre, in ſicciori corpore ſub continuo tritu exſurgens. Nemo valde ſitientium eſt, qui illud aquæ cum acidis connubium non enixiſſime poſtulet. Eximiæ hic virtutis ipſum acetum eſt, quo diluto, tanquam ſummo remedio Hippocratico, nihil certius ſitim refrenat. Hinc milites Romani in fervidis regionibus, cum aquas corruptas repe-

rirent

rirent, poſca illa unice utebantur. Hoc etiam acetum in oxymelle ſpiſſa certius penetrat & diſſolvit, putria corrigit & eliminat. Qui nitroſa addunt, non tam blandiuntur guſtui, quam vires augent, quæ putri reſiſtunt, viſcidum attenuant alvumque laxant (*a*). Nova miſcelæ ratio in farinoſis latet, maxime hordeaceis, cum certum ſit, mollia farinoſa partim ipſa acria involuere, partim aquam, ne cito nimis & ſine fructu elabatur, remorari, partim acore ſuo, in quem tranſeunt, putri reſiſtere. Gratæ ſunt hoc nomine Italorum deliciæ ex emulſis ſeminibus & nucleis, addito ſucco citri. Nec lac probe dilutum damnamus, cujus alioquin pars cremoracea in corpore calente facileranceſcit, caſeoſa etiam, quippe animalis naturæ magis particeps, in putrem corruptelam citius tendit. Hoc vero minus in lacte, cui triplum vel quadruplum aquæ miſcuiſti, metues, vel ſi HIPPOCRATIS (*b*), lac in ſiti vetantis, ſcrupuloſior animo reverentia inſidet, tenue lactis ſerum acidulo ſapore gratum & putridis præclare oppoſitum, vel etiam lac ebutyratum commendabis; cum utrisque vis ſit diluendi, ſolvendi, ſitim caloremque levandi, & putredinem, quo ille æſtus febrium præcipiti gradu tendit, inhibendi. Neque eſt, quod fructus horæos, ceraſa, ribeſia, mora, aliaque petentibus neges, quorum aquoſus, acidulus & nitroſus ſuccus detergit leniter, vias lotii & alui lubricat, & idoneum excernendis vehiculum præbet. Syrupi etiam inde parati vel gelatinæ ſe gratia non minus quam ſalubritate ſitientibus commendant. Atque talia non temere efflagitat ſitis, artis vero prudentia ſic dirigit, ut parce & frequenter debilioribus offerat, ad præcauendum vomitum, nauſeam, anxietatem, flatus & remoram neceſſarii ad interiora tranſitus. Ideo etiam non ſoli potui confidunt medici, ſed omnes partes vi morbi ſiccatas & rigeſcentes, quo aditus datur, crebro rigant & molliunt. Nunc aquam hordei cum melle, aceto, ſale prunellæ & vino rhenano ad os colluendum præſcribunt, nunc ſpongias tepidis ejus-

a) *Car. Muſitanus* ſitim a quacunque cauſſa venientem lapide prunellæ in aqua ſoluto mirifice exſtingui cenſet. *Trut. med. L. III. c. 6.* Idem remedium erat in ſiti immani *Laz. Riuerii.*

b) *Aph. V.* 64. ubi diſerte lac τοῖσι διψώδεσι dare vetat.

ejusmodi liquidis immerſas ad nares, aures, axillas, inguina, vel etiam epicarpia, epitarſia & ipſa hypochondria poni jubent; nunc balneis & clyſmatibus copiam liquidorum, quæ omni potu plus diluunt, ad intimos corporis receſſus diffundunt. GALENUS *c*) teſtatur, ex itinere & calente ſole ſitientes & balnea ingreſſos ſtatim levamen ſenſiſſe, os humidum, cutem mollem. Clysmata vero eluunt novo commodo putre illud & corruptum in primis viis collectum, quo ſitim accendi diximus, ſimulque cum reliquis ſalutares ſuppetias intro per venulas mittunt. Interne ſemper moneo, quoties ſitis & debilitas concurrunt, ne copia clauſis orificiis ventriculum obruat & diſtendat, moderatum præbere potum, ſexta vel decima vini rhenani parte conditum: ſic enim ſub celeriori tranſitu ſitis citius ſedatur. In chronicis vero non prohibemus aliquid ſpiritus vinoſi vel aromatici miſcere, ut vias quibus potulentum cito elabitur, ſtringat. Videas, opificibus ex labore ſitientibus familiare eſſe, pauxillum ſpiritus vini ſumere & ſic ſitim non ſolum magis quam potu, ſed & ſudores, quibus diffluunt, compeſcere. In laudes effuſior CAR. MUSITANUS (*d*) nil potentius in toto Naturæ orbe contra ſitim ſpiritu vini cenſet, quaſi ætherea vi mutet & infringat acria. Diætam ſitientium qui inſtruere vult, non opus habet carnes earumqne juſcula, oua, aromata & ſimilia, quæ lædere poſſint, diſſuadere, inuiſa his ægris nomina. Opportunum vero erit ex doctrina HIPPOCRATIS (*e*), monere illos, ut os claudant, taceant, auram ſubfrigidam cum potu admittant. Blanda ſubinde olera, ut lactuca, endivia, portulaca, tragopogon, acetoſa, recens glycyrrhiza, ab hac virtute ἄδιψος dicta, facile conceduntur.

§. VIII.

Quæritur, frigida ſitientibus, an calida potio magis conveniat? GALENUS, qui copiam caloris & inopiam humidi in ſiti arguit,

c) *VI. de morb. vulg. c. 6. Op. Cl. III. p.* 194. *E.* ait ſiti carentes ſitire lotos, at ex itinere & ſole ſitientes non amplius, ubi ſe laverint, ſitire. Illos vult ſæpe, hos ſemel lavari. *De marc. c. 7. fin. Op. Cl. III. p.* 48. *A.*

d) *Trut. med. L. III. c. 6.*

e) *Epidem. VI. S.* 4. *Ed. Lind. T. I. p.* 806. 58.

arguit, primam in refrigerando operam, alteram in humectando poſuit. Non ſolum, inquit, audacter dedi in cauſo, ſed & ægrotantis familiaribus dixi, moriturum, niſi frigidam biberet: & omnes, cum Deo dictum ſit, evaſerunt *f*). Ita dabat olim PETRONAS *g*) frigidam ad laborantium arbitrium. Sane ſi optio penes ſitientes ſit, frigidi potus copiam præ calido ſibi fieri plerique poſtulabunt. Nulla re præſentius ſitis lenitur judice ROSINO LENTILIO *h*), nec ulla hic noxa eſt ſub prudenti moderamine metuenda. G. C. SCHELHAMMERUS *i*) ſervum ſcribit in ſummo æſtu febris ardentis ultra decem libras aquæ frigidæ avide & clanculum hauſiſſe, altero mane exſtincta febre ſanum fuiſſe repertum. IO. LANZONUS *k*) dyſenterico ſitientiſſimo, ut loqui vix poſſet, plenos frigidæ cyathos, quos petierat, haud ægre indulſit. ANT. VALLISNERIUS *l*) figulo inter colica tormina ſitienti ne glaciem quidem negauit potui miſcendam. Utrique res ex voto ceſſit. PAULUS a SORBAIT *m*) paralyſin potu liberali frigido in illuſtriſſima Domina vicit, & C. F. PAULLINI *n*) tertianam in ſe ipſo inter

f) *de ſimpl. med. fac. c.* 30. *Op. Cl. V. p.* 7. *E. it. de conſuetud. c.* 1. *Op. Cl. II. p.* 60. *B.* Alio loco ubi hecticis balneum ſuadet, ſi tunc aliquid eryſipelatoſi ſubeſt, a balneo quidem abſtinere jubet, at aquam frigidam, cum morbus conſiſtit, agoniſtice bibere, i. e. affatim & frigidiſſime. *de marcore c.* 8. *Op. Cl. III. p.* 48. *A* Ut vox illi ſolemnis, *febris tanquam febris aquam frigidam ſemper remedium eſſe*, *meth. med. L. XI. c.* 9. ita duo maxima ſynocharum præſidia venæ ſectionem & frigidæ exhibitionem adpellat. *meth. med. L. IX. c.* 5. *Op. Cl. VII. p.* 17.

g) *Galen. de ſect. opt. ad Thraſyb. c.* 14.

h) *Eph. N. C. Dec. III. A. III. append. p.* 97. *ad obſ.* 96.

i) *De meth. cur. febr. P. III. S.* 3. *p.* 186.

k) *Eph. N. C. Dec. II. A. IX. O.* 53. *p.* 84. conf. *ibid. O.* 146. *p.* 336. ubi *I. I. Vicarius* ruſtici curam in dyſenteria epidemica deſcribit, in ſummo virium lapſu repentis ad fontem, & quoties ſitis reſurgeret, iterato bibentis & ſic convaleſcentis, conf. *Isbr. Diemerbrœck obſ. & cur. med. O.* 29.

l) *Eph. N. C. Cent. V. & VI. O.* 10. *p.* 139.

m) *Eph. N. C. D. I. A. II. O.* 49. *p.* 87.

n) *Obſ. phyſ. med.* 32. confer de ſalute ex frigore *G. Francum Eph. N. C. D. II. A. IX. O.* 200. *p.* 359. *G. D. Mayerum ibid. C. I. & II.*

inter ſimiles potus & ſociata corporis exercitia reſtinxit. Et nonne ipſe Celsus, potus paulo ante rigidior cenſor, in febris ardentis ſummo incremento aquam frigidam etiam ultra ſatietatem bibere ſuadet *o*)? Nonne Hippocrates in febre bilioſa & doloribus ventris frigidam laudat *p*)? Sane in continuis putridis, ubi ſanguis in olidum deliquium tendit, minus metuenda a frigore coagula ſunt. Hic dum adpetit æger gelidum potum, alio rejecto, plus eſt ineluctabili deſiderio quam fallacibus ſæpe artis regulis tribuendum: modo hanc cautionem admittat æger: ut nec potum extreme gelidum, nec plenis poculis hauriat, quod maxime ſitientes puerpuræ notent, ex judicio Io. de Muralto *q*). Nos de humectando magis quam refrigerando ſolliciti, & non ignari, æſtum ad ipſa humida, quæ ſtimulos acrium eluunt, cedere, nec ipſi igni exſtinguendo aliquid magis quam aquam conuenire, tutiorem ſemper putamus potum egelidum imo calidum, qui citius penetrat, efficacius diluit, & ſitim certius ſedat. Adſuetus æger facile conſentit; ita enim adſueti calidiorum regionum incolæ calida infuſa, ut Thee & Coffee bibunt, frigida adſpernantur. Sane ſi attactus frigidi aëris ſubito admiſſus ita lædit æſtuans corpus, ut judice Th. Sydenhamo *r*) plures inde pereant, quam peſte, gladio & fame ſimul, quid non eveniet, ſi gelidus potus, qui tali aëre longe tardius frigus ſuum, adeoque nocendi vim exuit, interna æſtuantia loca perenniori offenſa attingit? Novimus ſanguinem in frigida promte coagulari, quid non fiet in ardente febre, ubi ſanguis per ſe in coagulum pronior? Cogitemus, tranſitu per œſophagum ſtringere frigidum potum accumbentia vaſa intercoſtalia, in ventriculo etiam accumbens he-

par

O. 139. *p.* 281. *Mart. Kerger. de ferment. S. III. c.* 3. *p.* 244. *I. Schenck obſ. med. L. VI. p.* 733.

o) *De medic. L. III. c.* 7. tunc vomitum exſpectat, vel cum aliis ſudorem ſub ſomno. Excludit a frigida tuſſientes. Et ſane ſolo frigidæ potu ardentiſſimas febres in totum ſe exſtinxiſſe auctor etiam eſt *Paul. Aegineta. L. II. c.* 30.

p) *Ibi L. III. de morb.* 36. hic *Epidem. V.* 18.

q) *Eph. N. C. D. II. Vol. V. O.* 34. *p.* 62.

r) *Obſ. med. circa morb. acut. S. VI. c.* 1. *p. m.* 258.

par & majora vaſa s). Non erit certe, cur nimis illud medendi genus laudemus, quod ipſe GALENUS t) adeo laudatum, ad ſtatum tamen declinantis morbi & ſigna coctionis reſtrinxit, alioque loco frigidum potum, qui mediocris confert, immodicum lædere ait. Non quidem cum CAR. MUSITANO ſtatuimus, viſcera non aliter quam candentes ſilices adſperſa aqua diffringi & diſſilire; at certe maximum ſemper ab extreme oppoſitis diſcrimen impendet. P. FORESTUS u) ipſum VALERIUM CORDUM Romæ febre ardente correptum periiſſe, quod gelidam ſitiens in itinere bibiſſet, oculatus teſtis narrat. Cui congruit, quod ANT. BENIVENIUS x) ſcribit, juvenem in ſumma ſiti febris ardentis frigidiſſimam aquam bibiſſe, & inter paucas horas periiſſe.

§. IX.

Nec deeſt tamen argumentis color, quoties obiiciunt, non ſitire interdum, qui potu egent, ſitire, qui eo læduntur. Hydrophobi enim cur fugiunt aquam ſibi ſalutarem? hydropici cur adpetunt ſibi noxiam? Nonne inde colligi poteſt, aliud ſubinde vocem Naturæ ſuadere, quam proſit? Fugiunt hydrophobi, quo frui non licet, & GALENO judice adpetunt omnino potum, verum ex corrupto mentis judicio, vel potius ob ſuffocationis, ſi bibere moliuntur, periculum tremunt ad conſpectum aquæ, inſtar TANTALI, cui eorum, quæ offeruntur, uſus negatur. Sæpe illi queruli de ſiti ut hydrophobus apud RHASIN y), poſtulant aquam

s) Ut ſcite monet *perill. Gerh. van Swieten Comm. in Aph. Bœrh. T. II.* §. 640. *p.* 214.

t) *de temperam. L. III. c.* 3. Ejus cautelam rite ſecutus *Amatus Luſitanus* ægro linguæ nigræ & aridæ gelidam ab aliis negatam dedit, quam ille vomuit, ſudavit, evaſit. *Cur. XVIII. cent.* 4. Quod in mercatore ſub vigore ardentiſſimæ febris repetens trecentos aureos accepit *cur. III. cent.* I.

u) *L. I. O.* 13. *in ſchol. p. m.* 14. Ubi conditiones offerendæ frigidæ ex *Galeno* & ſuis obſervatis bene limitat.

x) De *abd. morb. & ſanat. cauſſ. XVI. p. m.* 221.

y) *L. VIII. ad Almanz. c.* 10.

aquam ſollicite, ſpe compulſi illa fortaſſis frui ſe poſſe, ſed prævalente impedimenti ſenſu, oblatam tanquam ſordidam & vermibus aliisque vitiis ſcatentem damnant, & aliam cum omni munditie exhibitam nouis cenſuris eludunt; vel ſi aliquando bibere moliuntur, couvulſis faucium muſculis conuincunt omnes, non tam odio potus quam deglutitionis vitio ſe laborare. Nec in hydropicis fallit Natura, dum ſitim accendit. Nam ſanguis per vaſa adhuc means, exiguus, acris & tenujori parte, quæ ſeceſſit, orbatus indiget blando humido. Non male tamen medicus paludem corporis exiccat prius ope evacuantium & tonicorum, caute ſimul adſtrictis faſciis, antequam potum permittit, qui ſine hac cautione arefacta loca non rigat, ſed morboſam colluviem novo ſeceſſu auget. Ergo Naturæ nutum medicus non negligit, vel potulenta corpori ſalubria fore dubitat, ſed prius in remouendis hujus ſalubritatis obſtaculis verſatur, & virtutem potus ſine fructu iterum elabi poſſe prohibet. Nimirum Natura homines ratione præditos illo variæ indigentiæ ſenſu inſtruxit, ut propriæ ſalutis curam ſimul ingrederentur. Monſtrat auxilii genus attentis, qui ſegregare noxium ſciunt, iis aperit vias, qui obvias in his ſalebras vitare norunt. Domos condere, intra quas a cœli injuriis tuti lateamus, noſtræ ſolertiæ reliquit Natura: at ſaxa, ligna, cæmenta, quibus hæc ſtrues coit, ſuppeditat. Quæ omnia confirmant ſententiam, nunquam fallere Naturæ vocem in ſiti & fame, ſemper tunc corpus potu vel cibo indigere; plus tamen ambiguitatis in homine quam brutis remanere, ut ſit, in quo aegri vel medici ratio ſe exerceat. Ita ſentit ſitientiſſimus magna ſibi potus menſura opus eſſe; at hanc prudentia medici ſic miniſtrat, ut per intervalla & ſine exceſſu caloris vel frigoris præbeat, non ignarus, ut arida ſucculento ſuo vigore potiantur, ſenſim irroranda non imbre quodam demergenda eſſe. Permittit bilioſis potum acore ſuo gratiſſimum; ſed primarum viarum ſaburram prius expurgat, quod compendium viæ ſit evacuare, longum ſolius correctionis molimen. Idem in illis præſtat, quorum alvus diu obſtructa mittit introrſum corruptorum ſtimulos. Intelligit, poſt magnas dejectiones per alvum lotium, ſudores, copiam tenuiorum elapſam adeoque reſtituendam eſſe; verum memor, facile in his corporibus,

bus, quæ ita perpluunt, potulenta iterum elabi, partes etiam, quæ tranſmittunt, humidis magis relaxari, illa, quæ cohibent ſeceſſum & juſto gradu adſtringunt, præmittit. In chronicis dum crebra ſitis urget, nullo prægreſſo corporis motu & calore, vel ingeſtorum acrium vitio, cruditas ſtomachi & languor coctionis adparet, creſcens ſub potulentis, niſi poſt evacuantium & ſtomachicorum uſum. Frenum illud ſitis & famis, quod varius interdum vitæ ſtatus requirit, hic non attingo z).

CAPUT III.

DE DOLORE.

§. I.

Dolor, ut contra cauſſam ejus pugnes, permoleſto ſenſu inſtat, nullis hunc rigorem muneribus lenit. Natura merito indulgentior erat in fame ac ſiti, cujus cauſſas effugere non licet. Sævior eſt in dolore, cujus cauſſæ vix ſine culpa & erroribus noſtris ingruunt. In hac tamen adparente ſævitia, quæ ſenſum ſimul auxilii negat, piæ & ſollicitæ matris veſtigia non deſunt. Magnopere enim noſtra intereſt, ne nervos, quibus commercium animæ cum corpore ſubſiſtit, vis inimica laceret aut deſtruat, nosque illa parte, qua homines ſumus, exuat. Non eſt, cur a dolore

z) Commeatus frumenti in caſtris deficiens, vel alios præmens annonæ charitas. & moleſtæ per ſterilia loca migrationes, cogunt ſæpe remedia contra ſitim famemque quærere. *Plinius H. N. L. XXV. c.* 7. Scythicen, quæ glycyrrhiza eſt retentam in ore ſitim ſedare ait, & cum eo *Theophraſtus Hiſt. L. IX. c.* 13. Scythas undenos vel duodenos dies ſic vitam tolerare ſcribit. In Aſia dum exercitus per ſteriles campos ducuntur, militibus contra famem folia tabaci præbentur. His in trochiscos formatis tradit *Monardes* Indos ſitim & famem compeſcere, quoties per loca deſerta & inhoſpita migrant: unum ad tempus trochiſcum ori induunt, ſi diffluxit, alterum, ſic ſine jactura virium quatriduo cibi potusque inopiam ferunt. Nautæ idem exſpectant a fumo tabaci per os & nares admiſſo. Vis nempe tabaci narcotica hebetat ſenſum ventriculi.

dolore poſtules, ut in tanto periculo modeſtius interpellet. Veluti fas eſt, in vicinarum ædium incendio ipſas cubiculi fores diffringere, hominique in utramque aurem dormienti ſomnum vi quadam excutere, nec dubitare licet, quin ille ſui rurſus compos, lucrum illud temporis, quo ſaluti ſuæ conſulere, certe partem ſupellectilis vindicare poteſt, ingentis meriti loco habiturus ſit, & e contrario alteri leniter iteratoque & inter diſpendia temporis excitanti tam noxiam verecundi officii mollitiem exprobraturus; ita gratiæ agendæ ſunt dolori, qui in corpore oritur, nunquam aſperius monenti quam in eo adfectorum nervorum ſtatu, cui celerrime pro animalium functionum integritate ſuccurrendum eſt. Silet enim deinceps ſponte, ſi eo invaluit infeſta vis, ut deſtruxerit nervum. Quid enim opus contra hoſtem, qui ſpolium jam abſtulit, imbelles, armisque, quibus recuperent, deſtitutos excitare.

§. II.

Nihil alienæ rei, ut fit in reliquis ſenſibus dolor repræſentat animo, ſed in ſimplici perceptione conſiſtit, cujus ſumma moleſtia nos cogit inquirere, unde veniat, & quibus cedat remediis. Scrutantibus, unde veniat, palam fit, ſemper violentam nervi, cujus ortus in cerebro eſt tenſionem præcedere, & nunquam dolorem naſci, quin tenſionis illius injuria in communi terminetur ſenſorio, quod inviolabiles animi inter & corpus commercia leges comprehendit *a*). Hoc ut multa perſuadent, ita maxime illud, quod ſuſpenſa ad tempus cerebri in nervos ſuos actione, ut in epilepticis & apoplecticis, ipſisque ſumme ebriis, uri, ſecari, & lacerari corpus ſine dolore poſſit: cum eodem tempore nervi, quos

a) Contra naturam doloris in tenſione nervii poſitam opponit *cl. Gorterus*, quod ſiccatus & calloſus nervus non ſentiat ſub quacunque tenſione, ſentiat vero compreſſus, ubi nullum a tenſione inſtat ſolutionis momentum. Ipſe ſpirituum fluxum per fibram nerveam impeditum arguit. Nos in illis tenſionis gradibus, qui dolorem pariunt, nervos intelligere tono naturali & influo ſpiritu haud deſtitutos, palam eſt, at preſſio talis nervi ſine partium tenſione non fit. *v. Comp. med. Tr.* 17. §. *LII. p.* 52.

quos neceſſe eſt ex alio fonte, quam obſtructo illo ſpiritus miniſtrare, vitæ functiones ſuſtentent, illam vero vim non ſentiant. Nervus igitur tantum a cerebro ortus ſentit, ſique premitur, ligatur, deſtruitur, ſtatim ſubjecta pars, cui ille ſolus proſpicit, omni ſenſu privatur. Neque vero, quidquid horum nervorum eſt, tenſioni ſemper ac dolori obnoxium reor, cum multi eorum laxe & per gyros, & extra offenſam decurrant. At illi, qui per perioſtium diſperſi nunc ab oſſe ſubjecto in morbis venereis tumente distrahuntur, nunc cochleis externa carnificis manu admotis ad os durum ut tibiæ premuntur, ſine dubio acutiſſime ſentiunt, nec minus majores nervi ſemiſciſſi, quorum paucæ fibrillæ integræ tractionem antea inter plures diviſam nunc ſolæ ſuſtinent, Maxime in acutis morbis ad vaſa fibris ſemper nerveis contexta reſpicio, quæ nunc influens boni humoris copia in plethoricis, nunc pravus humor in cacochymicis, nunc pulſus cum impetu ſanguis inflammatorius in pleuriticis, diſtendit magno ubivis cum dolore. Quæ rodunt, ut acria, & vulnerant, ut arma, non excludo, modo non ſit momentanea ſolutio, ſed virium ſolventium quædam ſucceſſio. Terminus enim & doloris & tenſionis nervi diſruptio eſt. Atque ex his cauſſis natos dolores comitatur jactatio corporis in ſitu mutato lenimen quærens, & dum ſub hoc tenſio nervi remittit, aliquando inveniens. Adſunt vigiliæ, quod ſomnus, qui cerebri quies eſt, irritatis perpetuo nervis turbetur. Magnos dolores etiam febris *b*), calor, gangræna, & ipſa aliquando apoplexia *c*), crebræ præterea in tenerioribus convulſiones ſequuntur. Eo igitur minus dolorem accuſare licet, quod in remoto diſcrimine ſatis lenis, nec niſi in præſenti urgentiſſimo periculo gravis & ſævus monitor ſit. Poteris tam fideli corporis cuſtodi una ex opio offula os totum obturare, ut obmuteſcat: Ita vero morbi inſidiæ opprimunt ſecuros, & ſub lenitatis ſpecie occultius occidunt.

§. III.

b) De febre ex dolore *v. Hippocrat. Præn. Coac. n. XXXI.*

c) *Eph. N. C. D. III. A. III. O.* 157. *p.* 278.

§. III.

Dolorum remedium, cujus ſenſum Natura quaſi erroribus noſtris iratior, non ut in fame & ſiti inſpirat, difficilioris indaginis eſt. Sed acuit ingenium ipſe dolor, quem a tenſione illa nervorum oriundum dum perſpicit medicus, facile concludit, vel eos laxandos eſſe, vel communionem cum cerebro abolendam, vel ipſi cerebro, ſeu ſenſorio communi, ſtuporem inducendum. Prima medela dum laxat tenſas fibras, hæ jam flexiliores ſuſtinent vim diſtendentem ſine ſolutiones periculo. Hinc vapor tepidæ aquæ laxans omnia & molliens dolentiſſimis locis levamen adfert. Blanda & tepida olea ore clyſmate & fotu admiſſa, dolores nephriticos, colicos, iliacos, mirabili ſucceſſu placant. Sic cataplaſmata ex mollientibus farinis, ut lini cum cremore lactis, mirifice demulcent. Aliquando tamen plus latent nervi, quam ut vis illa ſalutaris ad eos pertingat, nempe nunc intra dentium latibula, nunc cava oſſium, nunc ſub ſcuto illo cartilagineo in paronychia. Hic igitur dicta remedia par auxilium non promittunt, neque in dolore cancri ulcerati, cujus ſub tali fotu putredo & fungoſitas oritur. In acutis, ubi impacti humores aucto impetu vitali vaſa nervoſis fibris inſtructa diſtrahunt, non modo de iis opportune laxandis cogitamus, ſed & materiam, quæ diſtendit, minuimus, motum, qui urget, reprimimus, utrumque præſidio ſectæ venæ, quæ hinc omni ævo in vehementia dolorum adhibita eſt. Aliquando acrium ſtimuli compeſcendi ſunt & variæ viæ, quæ vel leniunt acre vel educunt vel diſcutiunt, ingrediendæ. Tenſiones a tumore, fractura, luxatione, plerumque chirurgicam manum, ut remittant, poſtulant.

§. IV.

Præſtat hæc prima medela, quippe cauſſis dolorum oppoſita; altera par meritum non habet, quæ nervum dolentem premit, ſecat, urit, & communionem cum cerebro tollit. Si dolenti denti nunc acre deſtillatum oleum, ut caryophyllorum, inſtillant, quod tactu igneo nervum exurit, nunc ſpecillo ignito ad Severini præceptum eum deſtruunt, nunc empiricorum more, pol-

lice

lice ſub lobum auriculæ impreſſo, ramum ſeptimi paris, cujus propagines per maxillam ſuperiorem ſparguntur, ſenſui ineptum reddunt. Erit his dolori conſultum, ſed caries dentis ſequitur, ſic etiam aliis locis perit functio partis. Sæpius ut hoc fiat, neque e re eſt, neque loci conditio fert, ubi ad narcotica confugimus, quibus vis ſentiens ipſius cerebri hebeſcit. Aliqui vino vel ſpiritu vini ægrotum in ſopores coniiciunt, alii ſolis papaverinis pugnant, ex quibus Aſiaticum, nomine opii celebre, varia doſi opprimere ſenſum ad gradum uſque apoplexiæ poteſt. Mancam ſine opio medicinam Sydenhamus ſtatuit *d)*: prudens uſus atrociam doloris lenit quidem hoc medicamine, at ſimul remedia ipſi morbo opponere pergit, in acutis maxime venæ ſectione, purgantibus, antiphlogiſticis utitur, nec unquam ſine victu humido & laxante, præmiſſisque evacuantibus præbet remedium tam ſuſpectæ apud multos fidei.

CAPUT IV.

DE ANXIETATE.

§. I.

Dum vita ipſa in primo motuum fonte laborat, acerbiſſimo ſenſu anxietas infeſtat, quod intenſiori & celeriori remedio opus ſit. Pro gradu obſtaculi, quod ſanguinis in corde egreſſum inhibet, urget hic ſenſus, & ne quis ſui curam negligentius habeat, efficaciſſimis ſtimulis impellit, ut ſupplices ſæpe magis manus talis æger ad medicum tendat, quam capitis damnatus ad judices. Spernunt multi mortem, at illam morientium luctam extimeſcunt *e)*. Omnes fere morbi, niſi illi, qui uno momento accidunt, vel funeſtis ſoporibus opprimunt, ſub illis angoribus cordis motum ſuffla-

d) Op. S. IV. c. 3. Ed. Leyd. p. 186.

e) Seneca ſimile in ſe expertus, *aliud, quicquid eſt*, inquit, *ægrotare eſt, eſt, hoc animam agere. Ep. ad Lucil. LI.*

ſufflaminant. Hæret itaque cauſſa in anguſtiis arteriæ vel aortæ vel pulmonalis, & intercepto hic viarum tranſitu obluctatur ſanguini, quem cordis dexter vel ſiniſter ventriculus repreſſis viribus in ſpatia ſibi negata expellere nititur. Nervos cerebri propagines animalibus, cerebelli vitalibus functionibus præeſſe multi ſtatuunt: hinc quoties illis magna tenſio inſtat, dolores, his anxietates oriri. Sufficit nobis ad illud unice obſtaculum attendere, quod in aorta vel pulmonali natum cordis actionem ſuo renixu ſenſim ſuffocat. Frequentius id contingit in arteria pulmonali. Nam ſanguis per pulmonem trajectus fit inde per reliquum corpus meabilior. Certe ſi aliquando cordi ſiniſtro obex naſcitur, fieri ſecus non poteſt, quam ut brevi poſt etiam cor dextrum, pulmone non evacuato, obicem ſentiat. Quid ſit, quod cordis ſanguinem expellentis reprimat molimen, facile in dictis vaſis, quæ aditum huic ſanguini præbere debebant, nunc craſſo, pituitoſo, inflammatorio humore obſeſſis, nunc ſpaſmo correptis, nunc a cauſſa externa, ut ſcirrho, compreſſis reperimus. Continua tunc jactitatio, loci ſitusque impatientia, anhelitus, debilis pulſus adſunt cum frigore extremorum, ad quæ ſanguinis calor non diffunditur, hærens circa vitalia, & nec aëri inſpirato ſub anheloſo reſpirationis molimine, nec cordis actioni facile cedens. Ita vel ſuccumbit virtus cordis ad tantum renixum, vel ruptis pulmonum vaſis gangræna imminet, vel ſi viæ aliquando aperiuntur, ſanguis qui tamdiu circa cor ſtagnavit, concrementi polypoſi aliquid inter deliquia & palpitationes cordis, vel vaſa aneuryſmatica & varicoſa relinquit. Tot mala celeri & opportuno artis præſidio effugere diriſſimus anxietatis ſenſus impellit.

§. II.

Sunt, qui impeditum ſanguinis tranſitum per venam portarum ex cauſſis ſimilibus pro altero fonte anxietatis habent, & ut pulmonali opponant, hypochondriacam vocant. Id quidem veriſſimum eſt, ſanguinis ſine nova vi cordis per anguſtias venæ portarum preſſi difficilem per hepar trajectum eſſe, maxime in hypochondriacis aliisque ad ſpaſmos proclivioribus, quos ſæpe ſubita & intolerabilis corripit anxietas. Verum nihil obſtat, quo-

minus

minus hoc vitium ad ipſum obſtaculum cordi ſiniſtro natum referam. Quoties enim venoſus ille viſcerum abdominalium ſanguis in vaſa hepatis oppleta & diſtenta, vel etiam conſtricta, ſe evacuare nequit, ſubſiſtit a tergo ſanguis arterioſus, per cœliacas & menſentericas pulſus, adeoque ſanguini per aortam in has arterias influenti major reſiſtentia naſcitur, ipſique jam cordi ſiniſtro, ſe ægrius a contentis liberanti, certe in alios aortæ ramos cum majori moleſtia urgenti. Quæ forte ratio eſt, cur in hypochondriacis ob humores in emulgentia jam vaſa magis preſſos copia lotii poſt prægreſſam anxietatem ſecedat. In hac ſpecie anxietatis pulſus & reſpiratio paullo liberior, ſenſus in hepate obtuſus, at gravis in ſtomacho & ramorum nervi octavi decurſu eſt, ſanguis vero venoſus hic in celeriorem corruptionem pronus, facile hepar, tanquam molle & friabile viſcus, ſtaſi ſua peſſundant, & poſt icterum putres vomicas & olidas dyſenterias relinquit. Sunt quoque, qui anxietatem a ventriculo & inteſtinis flatu diſtentis derivant, minus quidem, at metuendam tamen. Nemo non videt, etiam ſub his tumoribus obſtaculum motus ad loca vitalia naſci.

§. III.

Medela originem maxime anxietatis diſtinguit, quæ vel a ſpaſmo vaſorum eſt, vel farctu humorum. Prior cauſſa in iis, quibus mobilius nervoſum genus eſt, tam crebro occurrit, ut partem dimidiam morborum chronicorum ad hanc claſſem referat Th. Sydenham *f*). Leves animi turbæ mirabiles ſæpe ſpaſmos producunt. Quam tremiſcunt teneræ puellæ ad inſolitum fragorem! Ad quam ſpirituum *ἀταξίαν* domeſtica ſingulis locis mala ſurgunt, & morbos fere omnes mentiuntur, & medicum, niſi attentum facile fallunt. Hanc tamen mali radicem unum exſcindit medendi genus, quod ſolidorum fluidorumque firmiorem compa-

f) *Diſſ. epiſtol. ad G. Cole, Op. p.* 387. Paucas ait feminas excipi, niſi labore duratas; imo multos viros vitæ ſendentariæ eodem morbo tentari. Varietatem multiformem vocat, ſub qua nullos fere non æmulatur adfectus, quibus ſubjicimur.

compagem reſtituit. Colligimus, eo opus eſſe, ſi nimis ſenſibilis eſt corporis ægrotantis temperies, ſi tenera ſolida, mobilia fluida, non febres ſed animi motus præcedunt, inter validas & ſubitas humorum evacuationes, maxime copioſi & tenuiſſimi lotii, ex quo vel ſolo latentem hoſtem TH. SYDENHAM cognovit *g*). Influens in nervos intercoſtales, diaphragmaticos, abdominales ſpiritus convellit ſæpe truculenter corpora tam ſenſibilia, maxime ubi acria peccant, tanquam crebræ ſpaſmorum cauſſæ. Has in primis viis emetico vel purgante, in ſecundis lotio vel ſudore inter varia correctionis molimina ejicimus. Subinde ſedandi ſunt animi fluctus; ſæpe enim ſyncope ad adſpectum rei nauſeoſæ cor inter extremos angores debilitat. Quam anxii ſunt, quorum in morbis animos metus & periculi repræſentatio dejicit! Præ reliquis laudamus, quæ vaſa nimis contractilia laxant, & impetum liquidi nervoſi anodynis & narcoticis compeſcunt. Hic multis potu calido, pediluviis, ſpiritu ſalis ammoniaci, liquore cornu cervi ſuccinato & moderatis opiatis dextre conſulimus. Periculi in omni hoc ſtatu minus eſt, creſcente licet ad animi usque deliquium anxietate. Nempe in hoc ipſo ſtatu deliquii, quo cerebrum nec ſanguinem accipit, nec ſpiritus ſecernit, hi ad locum ſpaſmi deſinunt determinari *h*).

§. IV.

Altera anxietas, cujus origo eſt viſcidum inflammatorium, ex ſignis inflammationum & comite febre diſtinguenda, contrariam medendi rationem poſtulat. Acerbum præſagium eſt, ſi cauſſa in pulmone infarcto hæret, & cor in tale obſtaculum agens exprimit liquida, denſat reliqua & natam ſibi reſiſtentiam auget, ut in peripneumonicis. Decocta hordei cum nitro, oxymelle & ſimilibus, ſub venæ ſectionis, fotuum & clyſmatum auxilio, mul-

rum

g) *l. c. p.* 398.

h) Habent hyſtericæ ſenſum inſtantis ſuffocationis, dum muſculi gulae ſpaſmo conſtricti aerem in tubo oeſophagi retinent, calore loci expanſum, tumentem & vicina prementem. At ſub inſtante deliquio exploſis ructibus & ſoluto ſpaſmo reviviſcunt, quæ in limine mortis verſari videbantur.

tum promittere ex hiſtoria morborum acutorum, qui plerique ſub ultimis & funeſtis incrementis in veras peripneumonias tranſeunt, edocemur. Talia vero, quæ hic ingeruntur, cum anxiorum pulmones leni etiam copia obruantur, calide & per intervalla propinare, tenuem quoque mollientis decocti halitum cum reſpiratione ad pulmones admittere oportet: de quibus hic ſpeciatim dicendum non eſt. Oppleto in anxietate hypochondriaca hepate, maxime uſu ſalium aperientium & decocto radicis graminis, vel etiam ſero lactis, & præ multis anima rhabarbari, quæ vera hepatis anima eſt, ſubvenimus. At hæc generatim tantum attingo, quoniam nimis longum eſſet ad ſingula horum morborum momenta medendi propriam methodum accommodare.

DISSERTATIO
DE
SPE ET PRÆSIDIIS LONGÆVORUM,

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, A. 1752.

RESP.

FR. CHR. SEIP.

HAMELIENSI.

Non erat, cur THEOPHRASTUS moriens Naturam accuſaret, quod cervis & cornicibus, quorum id nihil intererat, vitam adeo diuturnam tribuiſſet, hominibus brevem, hinc cœptis pro nobiliori ſcopo perficiendis imparem *a*). Nec enim cerva *Dianæ*, a *Leocyde* viſa, quæ a Trojanis temporibus cunabula repetiit *b*), nec cornix *Heſiodi* enneagera *c*), nec *Alexandri* elephantus, ad *Apollonii* tempora ſecundum PHILOSTRATUM ſuper-

a) CIC. *Tuſc. quæſt. L. III. p. m.* 378.

b) PAUSAN. *Arcad. L. VIII. deſcript. Græciæ p. m.* 208. In ejus torque inciſæ litteræ erant:
Hinnulus excipior ſolvente Agapenore Trojam.
Νεβρὸς ἐὼν ἑάλων ὅτ' ἐς Ἴλιον ἦν Ἀγαπήνωρ p. 245.

c) Periit *Heſiodi* liber, qui cornici novem noſtras ætates, quadruplum cervis, triplicatum corvis tribuit, fabuloſe, ut putat ipſe PLINIUS *H. N. L. VII. c.* 48. Sic etiam MACROBIUS fabuloſa vocat, quæ de corvis & cornicibus traduntur. Quod animalium, addit, nobis cognitorum hominis annos æquat? *Saturnal. L. VII. c. 5. p. m.* 594.

perſtes *d*), nec ille *Seleuci* apud AELIANUM, qui ad *Antiochorum* imperium perduravit *e*), & alia hujus farinæ exempla, plus ſunt, quam lepidæ fabulæ, quarum odor obtuſas, haud emunctas nares recreat *f*). Idem de iactata quarundam arborum longævitate judicium valet *g*). Sint vera, certe infra ſapientum hominum vota ſunt. Facit vitæ cupiditas, ut quantum ejus providentia

d) De vita *Apollonii Tyan. L. II. c.* 12. *Edit. Olear. p.* 62. Eum nomine *Ajacis* Soli dedicavit ALEXANDER. Indigenæ computarunt annos quinquaginta ſupra trecentos ab ea pugna, qua hic elephas pro *Poro* adverſus *Alexandrum* ſtetit. Aetatem quoque ducentorum vel trecentorum annorum tribuit elephanto, ſed aliena fide, ARISTOTELES *Hiſt. Animal. L. VIII. c.* 9. *Oper. T. II. p. m.* 388. Ex eo PLINIUS *H. N. L. VIII. c.* 10. idem refert. AELIANUS *L. IV. c.* 31. *de Nat. animal.* vivere εἰς διπλῆν ἑκατοντάδα ſcribit. Majorem ætatem *Oneſicritus* fingit apud STRABONEM *Geogr. L. XV. Ed. Caſaubon. p.* 485. Hinc in multis numis *Auguſtorum*, ad ſignificandam perennitatem domus, picti ſunt pro ſymbolo elephanti currum vehentes.

e) *de Nat. animal. L. IX. c.* 58. Nititur teſtimonio *Iubæ* regis, qui etiam de elephanto patris ſui Lybico multorum ſeculorum ſcribit: alium *Ptolomæo Philadelpho* fuiſſe ait, qui ad multas ætates vixit.

f) Recte ARISTOTELES nullum animal homine vivacius cenſuit, *de generat. animal. L. IV. c.* 10. Elephantos excipit, quos coire vicennes, utero geſtare annum & dimidium imo biennium, hæſitanter ſcribit. Si juſta concluſio eſt, non ſeneſcere, quorum præpropera Venus & præceps fœcunditas eſt; poſſis hic ſubdubitare, modo verum tradant Geographus *Amaſæus* aliique, parere poſt octavum menſem elephantos, & *Plinius H. N. L. VIII. c.* 5. ac *Solinus c.* 25. mares jam quinquennes coitum appetere, feminas decennes fœtui opportunas eſſe. Sed hæc in plena luce obſervationum non ſunt. Judicium STRABONIS l. c. p 485, vitam elephanti & longævi hominis convenire, vero proximum eſt

g) *Petr. Bellonius* ipſe viſus ſibi eſt in Bethlehemitico itinere vaſtam vidiſſe terebinthi arborem, ſub qua diva virgo quieſcere conſuevit, cum ex Bethlehem Hieroſolymam proficiſceretur. *Obſ. memorabil. L. II. c.* 87. Qualis fuit ficus, ſub qua lupa rumen præbuit *Romulo* & *Remo*. Hanc *Tacitus* ſcribit poſt octingentos & quadraginta annos (*Lipſius* triginta numerat) areſcentem in novos fœtus revixiſſe, *in fine annal. XIII. Edit. Gronov. p.* 557. Plura de longævis arboribus collegit in *Hiſt. Ludic. Balth. Bonifacius L. X. c.* 4, 8, 9, 13.

tia indulſit, momentaneum multis videatur. Hinc cum EURIPIDE ἡμέραν μίαν, cum DEMOCRITO στιγμὴν χρόνου cum TORQUATO TAXO ῥιπὴν ὀφθαλμοῦ, quæ licentia eſt ingeniorum, humanam vitam adpellant *h*). Sane ii, quibus per luxum & negligentiam tempus defluxit, in limine mortis vix ſentiunt ſe vixiſſe, nullius rei geſtæ, quæ memoriam conſoletur, ſibi conſcii. At nunquam hic ſapienti viro cum Natura lis erit, qui omnem conceſſi ævi menſuram iis, quibus ſalus ſua curæ eſt, ſufficere putabit, ut ad meliorem vitam præparentur. Mireris, has querelas non impedire, quo minus alii longævorum exemplis ſpem ſuæ perennitatis alant. Ajunt tranſcendi ſeculum, imo plura, idque a totis fere populis *i*). Noſtram hic unice attentionem excitat, quæ ratio ſit, cur longævitatis, etiam luculentis ſatis exemplis conſpicuæ, (licet illos ſuavis imaginationis terminos non attingat), occultiora præſidia aliis quaſi ultro ſe offerant, aliis cum ſtudio & auſteriori vitæ cultu ambientibus penitus negentur. Scopus hic eſt, præſidia & Naturæ

h) Sic eam *Sophocles* umbram, *Aeſchylus* umbram fumi, *Pindarus* umbram ſomnii, *Homerus* folium deciduum, *Antiphon* carcerem diei, *Phocylides* turbinem, alii ſagittam prætervolantem, algam in mare marceſcentem, bullam, ſpumam, ſavillam, adpellarunt. Videas hominem, ut ille cenſuit,

ſpatio brevis horæ
Infantem, puerum, juvenemque virumque ſenemque.

i) Collegerunt exempla longævorum multi, ſed admixtis plerumque fabulis. Non reſpicio longam primorum hominum ætatem, quæ jam poſt tres generationes ab orbe aquis ſubmerſo parte quarta circiter decrevit. Rara paulo poſt res fuit, centenarios videre. Gentium ſcriptores in mirabiles narrationes proni, nihil certa fide habent, quod centum annos longe excedat. Huc enixus eſt *Marcus Valerius Corvinus*, *Pius Metellus*, *Quintus Fabius Maximus*, *Appius Claudius* & alii. vid. *Valerii Maximi L. VIII. c.* 13. *de Senect. memorab.* Nec de *Maſiniſſa*, *Georgia Leontino*, *Xenophilo Chalcidenſi* aliisque res dubia eſt, nec noſtro ævo, ubi ſimilia exempla incidunt, adeo mirabilis. Longævorum cenſus & faſti ſub *Veſpaſiano* ſunt intra annos centum & quinquaginta ſeptem. At ſi *Seras* annum ducenteſimum excedere STRABO ſcribit, & *Aetolis* ſimilem ætatem *Hellanicus Epeis* tribuit: ſi *Litorium* quendam trecentos, *Landonem* ſexcentos vixiſſe aiunt, alii etiam veterum ſcriptorum ſexcentos, nongentos, vel quod *Oneſicritus* de *Hyperboreis* dixit apud *Amaſæum*, millenos annos comminiſcuntur, penes ip-

turæ & Artis, hæc in poteſtate noſtra, illa extra eam poſita, diſcernere a ſe invicem, & quid diviſis, quid conjunctis viribus, in ſolatium vitæ humanæ, quæ nemini mancipio datur, ad tempus promittant, ſuis momentis ponderare.

CAPUT I.

DE PRAESIDIIS LONGAEVITATIS EXTRA HUMANAM POTESTATEM SITIS.

§. I.

Aſperius paulo quorundam judicium eſt, multos inter perpetuos vitæ errores ad ultimæ ætatis metam pervenire, alios cauta ad ſuperſtitionem usque rerum noxiarum & ſalutarium obſervatione perdere operam, & ſubito interdum inter fortuitos rerum humanarum caſus abripi, immo ab ipſa illa ſollicitudine, quæ ad rerum uſum timide & molliter ducit, enervari citius & opprimi. Abſit, ut vitæ ſtadium, quod emetimur, nihil ſalebrarum attentis oculis aperire, & vagos ac inſtabiles vacillantium greſſus occultis auxiles dirigerii, adeoque ſupinæ negligentiæ & improbæ inglu-

ſos auctores, & fortaſſis ſolos erit fides. *Xenophon* in Periplo regem inſulæ *Lachmiorum* octingentis vitæ annis donavit, & ne pater ejus parum benigne acceptus videretur, ei quoque ſexcentos adſignavit, quæ verba ſunt VALERII MAXIMI *l. c. p. m.* 721. Confer *Plinii H. N. L. VII. c.* 48. Inter novos exemplorum collectores legat, qui velit, *Theod Zwinger. Theatr. vit. hum. Vol. XVII. L. II. p.* 2454. *ſequ. Euſeb. Nierenberg. Hiſt. Nat. L. VIII. c. VIII & IX. p.* 136. *P. Borell. Hiſt. med. phyſ. Cent. II. Obſ.* 39. *p.* 138. *& Cent. III. obſ.* 10. *p.* 202. *Thom. Barthol. Hiſt. anat. rar. Cent. V. Hiſt. XXVIII. p.* 47. *Balth. Bonif. L. XVIII. Hiſt. ludicr. c. VI. p.* 709. *C. F. Garmann Mirac. Mort. L. I. Tit. VI.* §. 6. *p.* 214. *Roſin. Lentil. Eph. N. C. Decur. III. A. V. & VI. Append. p.* 123. *& alia infiniti fere numeri.*

ingluviei ac luxui patrocinari putemus. Fallit judicium, quod ad ſimplicem rerum eventum, non ad diſcordes tot intervenientium cauſſarum vires, quæ vix perſpicaciſſimis oculis in ſuo nexu & impedimentis adparent, oſcitanter reſpicit. Non habent profecto, cur artem ſuis præſidiis & cautionibus bene inſtructam irrideant, qui ejus præceptis ſusque deque habitis pede inoffenſo ad tempus progrediuntur. Peculiaris aliqua, quæ iis contigit Naturæ indulgentia, & corporis contra multas offenſas durabilioris beneficium, vel non diu perſiſtit in illis bonorum ſuorum prodigis, vel certe ultimam, quam propitia Natura deſtinaverat, vitalis curſus metam adire prohibet: cum e contrario illi, quibus inerme corpus, & imbecillia in ſui tutelam arma ſunt, ad omnes ſcopulos vitæ magis attenti, & parcis Naturæ muneribus frugaliter ac ſobrie utentes, ſæpius annorum numero multos præcedentium ſuperent.

§. II.

Spes prima longævitatis eſt a parentibus. Quemadmodum hæreditatis jure multi ad nos morbi tranſeunt; ita eidem ſumma debemus valetudinis nobis per Naturam conceſſæ præſidia. Patrum noſtrorum avorumque longævorum ſeries merito ſpem alit, illud quod eorum valetudinem ſtabilivit, in noſtris quoque primordiis radices egiſſe. Sine dubio autem robur illud, quo per parentes ejusmodi potimur, fortuitum eſt: at non hoc infinitis vitæ erroribus robur illud infringere, ut ad eosdem ætatis terminos durabile non ſit *k*). Fortaſſis ægros debileſque non immerito publica lex a coniugio arceret, qui ſui ſimiles relinquunt, cum multis malis hæreditariis conflictantes, & ad nulla patriæ præſtanda officia, ob perpetuas corporis imbecillitates, idoneos. Hos certe, tanquam inutiles patriæ cives, excluſiſſet olim

ex

k) Illuſtre exemplum hæreditariæ hujus longævitatis præbent *Melchiores Sebizii*, avus, pater & filius: vid. *Ioh. Iac. Baieri epiſt. ad Iac. Pancrat. Brunonem, de longævitate medicorum p.* 13. *Conr. Bartholdus Behrens* quinque ordine *Burchardos*, ex domo *de Steinberg* recenſet, ad venerabile ſenium enixos. *Eph. N. C. Decur. III. A. III. O.* 196. p. 206. *it. Decur. III. A. III. O.* 116.

ex republica ſua PLATO *l*), ipſi *Herodico* indignatus, quod artis ope vitam imbecilliorem aleret, morti ſimilem, civibus moleſtam. Neque vero, ut longam alicui vitam ominemur, ad longævos tantum parentes reſpicimus, ſed & illam horum ætatem, in qua apicem quaſi florentiſſimæ valetudinis attigerunt. Caducæ fruges ſunt tum tenellæ arboris tum ſenilis. Quibus ſub ortu contigerunt parentes tricenarii vel quadragenarii, in vita ſimul exercitata, & a conſuetis corruptelis immuni conſtituti, ii certe habent, cur de tali natalium ſuorum opportunitate gaudeant. Maxime parentes hic reſpicio, qui nullo Veneris præmaturo uſu vires ſuas attriverunt, exemplo veterum Germanorum, ad quorum proceritatem & robora dum TACITUS *m*) attendit, cauſſam agnoſcit ſeram juvenum Venerem eoque inexhauſtam pubertatem. Plus de prole ſua merentur tam vegeti ſanique parentes, ſub raro & hinc fervidiori congreſſu. Quod ille Philoſophus imitatus ſemel quotannis uxorem amplexus eſt, & ex hoc amplexu vegetam ſemper prolem ſuſtulit. *Lycurgus n*) olim, ut Veneri ſtimulos adderet, levis infamiæ notam recens nuptis inprimi voluit, ſi commercia mutui amoris non verecundius tegerent. Cenſor ille mulctavit patrem, qui præſente communi filia oſculatus uxorem fuit *o*). Furtiva quaſi Venus ut longe flagrantior, ita

l) Vocat medicinam, quæ morbos potius fovet, quam aufert, παιδαγωγικὴν τῶν νοσομάτων ἰατρικήν. *Polit. III.*

m) *de moribus Germ. c. XX.* §. 4. Conf. *H. Conring. de habitus corporum Germanorum antiqui & novi cauſſis.* Hinc & *Spartanæ* mulieres, quæ ante annum vigeſimum ſecundum vel quintum nubere non ſolebant, generoſiorem & nobiliorem fœtum ediderunt, quam *Romanæ*, aut *Athenienſes* aut *Thebanæ*, quæ ætatis anno decimo ſecundo vel quarto nubiles erant. Vid. *Fr. Baco de Verulam. Op. p. m.* 518.

n) Confer. *Herm. Bœrhavii prælect. Acad. in inſtitut. ex Edit. Ill. Halleri T. VI. p.* 267.

o) *Ammian. Marcellin. L XXVIII. c. IV. p. m.* 574. Fuit *Cato*, qui *Manlium* ſenatu eam ob cauſſam mouit. v. *Plutarch. in conjug. præcept. Op. T. II. p.* 139. *D.* Sed addit: τοῦτο μὲν ἴσως σφοδρότερον. Ita HIERO EPICHARMUM Poetam mulctavit, quod indecorum quidpiam præſente uxore dixiſſet. *Plutarch. in Apophth. Op. T. II. p. m.* 175. *C.*

ita fæcundior eſt. Communis ſententia huc ſpectat, infantes parentum, qui clanculum & inter attentorum oculorum impedimenta guſtant amoris delicias, longe vegetiores iis eſſe, qui languida Venere nati ſunt *p*). Ipſum corpus parentum, velut non omni tempore ad hæc vel illa munia æque diſpoſitum eſt, ita etiam hic probe exſpectat læta momenta, in quibus viribus ſuis abundat. Natura primam operam conſeruando corpori impendit, alteram propagando. Non niſi prius propriis neceſſitatibus probe perſpectum ſit, huic vacare impendio poteſt. Nunc corpus noſtrum coctiones ſuas peragit, nunc ſecretiones, quæ novum functionum vigorem inſpirant, nunc ſomno diſſipatos ſpiritus recuperat, nec ullo magis, quam matutino tempore promere aliquid poſſe videtur, ex quo nullus penuriæ ſenſus relinquitur. Hinc matutinam Venerem, inter abundantes refecti corporis vires, & illæſa coctionum & ſecretionum, quippe tunc peractarum, opera, coniugum amplexibus maxime propitiam judicamus. Neque in diebus ſolum, ſed & variis anni temporibus latet aliquid, quod corpora nunc majori nunc minori robore inſtruit. Vernum tempus ut totam Naturam recreat & inſtaurat; ita in plerisque animalibus torpentem aliis menſibus Venerem renovat. Homini certe, cui in hoc negotio plus indulſit Natura, ſuadendum omnino eſt, ut inter laxiora uſus Venerei vincula, eligat inprimis tempus, in quo reiuveneſcentis totius Naturæ facies arridet, & quaſi a communi fomite æſtum inſpirat *q*). Patet certe in examine ſanorum, plerosque

p) *Fr. Baco de Vervlamio* tamen, ut merito amorem conjugalem meretricio anteponit, ita ei alacritas illa in generatione liberos corpore robuſtos & agiles producere videtur, non longævos, propter acrimoniam & incenſionem, ut vocat, ſpirituum. *Hiſt. vit. & mort. Op. Edit. Hafn. p.* 518.

q) De verno tempore animantibus, herbis, ipſisque Diis genitali Collumella *L. X. de cultu hortorum*, ſic pulchre diſſerit.

v. 196. Ingenera, nunc ſunt genitalia tempora mundi:
Nunc amor ad coitus properat, nunc ſpiritus orbis
Bacchatur Veneri ſtimulisque cupidinis actus
Ipſe ſuas adamat partes & fœtibus implet. — — —
— — — — — — — — — — —

roſque illorum vere conceptos, & tribus ante æquinoctium vernum menſibus natos eſſe. Non inficiamur, hoc perpetuæ veritatis non eſſe, nec ſi dictorum aliquid deſit, ſtatim robur aliis præſidiis nixum labefactari; nec tamen dubium eſt, ſi junctim plura momenta vitalis virtutis in uno homine concurrunt, illum, ſi reliqua vitæ commoda, quæ ſuæ poteſtatis ſunt, ſapienter dirigit, nec fortuiti caſus interpellant, ſpem ſuam longe juſtius enutrire. Id inde ſequitur, cum in parentum prudentia & moderatione magnum momentum vegetioris ſobolis poſitum ſit, ut probe expendant, quid hic ſui officii fuerit. Certe SOCRATES haud temere eos increpuit, horum, quæ in prolis ſuæ ſalutem conferre poſſint, immemores, qui plus curent egregios pullos educere, quam ſanos liberos gignere.

§. III.

Hoc loco referimus, quæ geſtationis & partus interuallo contingunt. Gravidis vegeti corporis & tranquilli animi, ac moderato exercitio utentibus vitales magis fœtus promittimus, caducos autem, ſub molli & inerti vita matrum, quales ſæpe in aularum ſplendore prodeunt. Non nimios motus ſuademus corporis, ad abortus periculum creſcentes, circa ultimos inprimis menſes, ubi cautionis plus requiritur. At nunquam plenus otii & quietis uſus indulgendus eſt *r*). Ex MARONIS conſilio equas agitare debent, qui

& v. 209. Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus
Ver agit: Hinc hominum, pecudum, volucrumque cupido
Atque amor igneſcit menti, ſævitque medullis,
Dum ſatiata Venus fœcundos compleat artus,
Et generet varias ſoboles, ſemperque frequentet
Prole nova mundum, vacuo ne torpeat ævo.

Similia carmen veteris Poetæ habet, quod *P. Pythoeus* ad *Iuſt. Lipſium* miſit in hujus *Elect.* L. I. c. 5.

Ver novum, ver jam canorum, ver natus orbis eſt.
Vere concordant amores, vere nubunt alites — —
(Amor) occultis gubernat procreatrix viribus
Perque cœlum, perque terras, perque Pontum ſubditum
Pervium ſui tenorem ſeminali tramite
Imbuit. juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.

r) *Georg. L. III.*

qui fortes deſiderant pullos equinos. Idem faciunt, qui canes pugnaces & ad curſum vegetiores deſiderant, ut gravidarum matrum exerceant corpora. Plenum & elaboratum alimentum ſic fœtibus cujuscunque generis præbetur: quos alia animalia multo plures geſtare poſſunt, mulier raro, nec niſi cum noxa aliqua fœtuum, dimidio jam commeatu vel arctiori fruentium, quod etiam ſpem longioris vitæ jam in utero reſcindit *s*). Præterea neceſſe eſt ad robur vitalis fœtus, ut integris novem menſibus matris utero geſtetur. Imo erit eo robuſtior, quo diutius illa alimonia robuſtæ & ſanæ feminæ fruitur, & tunc externæ mutationis injurias eo vegetius ſuſtinebit.

§. IV.

Fas eſt, illa commoda, quæ ex dictis reſultant, certis ſignis, attentioni noſtræ obuiis, diſcernere magis & ſub examen revocare. Habent ejusmodi homines, quibus Natura per parentes tam ſingulari munere proſpexit, lentum & æquabile molis ac virium incrementum, ad annum vigeſimum quintum ætatis vel aliquando ultra. Longævos cenſemus, in quibus nulla ſunt celeris incrementi veſtigia *t*), licet de his ſub exiguo temporis interuallo notatis multi intempeſtiue adplaudunt. Quid enim aliud ſub præcipiti corporum incremento reſtat, quam ut eo citius in occaſum vergant, floſculi inſtar, mane orti, veſperi occidui. Tres ſunt ætatum termini, uno creſcimus, altero ſtamus, tertio decreſcimus. Reſpondent ſibi mutuo hi termini, ut, ſi primus magnum ambitum habeat, ſimilis fere ſit, niſi fortuita ingruant, ſecundi & tertii menſura. Conſtans obſervatio etiam in aliis animalibus docuit, quæ lente creſcunt, durabiliora eſſe. Pone, creſcere alium per annos viginti quinque, alium per annos quindecim. In illo omnia lenta erunt, in hoc præmatura omnia. Ille ex infirmioribus annis inter raras mutationis notas emerget, hic cito & inter ineptas amicorum gratulationes robur ætatis attinget. At ſi vene-

s) Conf. *Fr. Bacon. de Verulamio Hiſt. vit. & mort. in Op. p.* 504.

t) Ita Fr. Baco de Verulamio ſenſim grandeſcere pro ſigno longæ vitæ habet; ſi ad ſtaturam magnam, pro magno, ſi ad minorem, pro ſigno tamen. *Hiſt. vit. & mort. in Oper. p.* 504. *Id p.* 519.

venerit illi ad idem robur, hic erit in limine ſenii. Illi naturale erit, ſtare & perſiſtere tot annis, quot crevit, in robore ſuo, & ſimili deinde lentoris gradu decreſcere: quo ipſo ad annos ſeptuaginta quinque accedit. Hic ſub eodem calculo jam tricenarius decreſcere incipit vel diminui. Sunt certi ab ortu ad occaſum gradus. Qui uno anno tantum progreditur, quantum alter binis, duplo citius ſeneſcit *u*).

§. V.

Sed propius ſignum, ſub quo longævos cognoſcimus, totius corporis habitus offert *x*). Latus thorax nobiliſſimarum functionum liberius exercitium, cordisque & pulmonum vitale robur promittit. Cranium capax, a parte potiſſimum occipitis animalium functionum vegetiorem uſum ſpondet. E contrario abdomen, in quo ſanguinis unda, extra virtutem cordis poſita, facilius ſubſiſtit, compreſſum vires naturalium functionum ſuſtentat felicius, & deſcenſu diaphragmatis, oppoſitisque muſculorum abdominalium nixibus, latebras illas hærentis ſanguinis fortiori motu repurgat, & corruptelas ex ſtaſi metuendas præcavet. Hinc ipſam cutem externam duriuſculam & internis motus cauſſis reſiſtentem, ut magnum momentum conſidero, quod attritum humorum juvat, vim circulationis & ſecretionum fulcit, & tonum ſolidorum, intra quæ dilatata ſtagnantium humorum colluvies eſt, tuetur & conſervat. Refero huc artus toroſos hirſutosque quippe luculentos indices, muſculorum hujus loci vi & actione omnem in externis farctum & moram ſanguinis inhiberi, venoſum fortius ad cor repelli, arterioſum in vacuatas venas admitti, & hac lege vigorem juſti circuitus ſuſtentari. Illud eſt, cur

u) Non eſt plane de nihilo, inter patriarchas fuiſſe nullum *Methuſalah* (adde *Iaredum*) longæviorem, at & nullum lentius eam ætatem attigiſſe, qua parens fieri poſſet. Neque vero dubitem, illo ævo, quo nihil vetabat, primo Naturæ ſenſui & ad id operis ſtimulo obſequi, ſub initiis pubertatis conjugia inita eſſe, eaque ob primæva adhuc robora, conſtantiori lege fœcunda.

x) *v. H. Bœrhav. Inſtit.* §. 884. 5.

cur viris nativum robur longiorem vitam, quam feminis promittat, modo intemperantia illi ſexui frequentior impertitis a Natura privilegiis haud iterum exueret *y*). Sane candidas illas genas, grato rubore ſuffuſas, male interdum interpretamur, tanquam florentiſſimæ ſanitatis internuntios, cum huic colori, ex relaxatis adeoque debilioribus vaſis pendenti, nimis fidendum non ſit, & Fr. Baco de Verulamio *z*) recte, damnato nimio in juventute rubore, pallorem a longævis requirat. Rubentia vaſa creſcente impetu vitali facile rupta effundunt vitalem laticem ſimulque vitam, ſi id in teneris cerebri vel nobiliorum viſcerum vaſis contingit. Melius ſe res habet, ſi tonus externarum partium impetum illum coercet, & ſuo ſe elatere contra injurias dilatantis violentioris cauſſæ defendit. Tales homines piloſi plerumque & ſetoſi ſunt, certe par præſidium non promittunt molles, rari & in laxis corporibus tenues pili *a*). Idem Baco etiam præmaturam canitiem, modo ſine calvitie ſit, pro ſigno longævitatis habet *b*). De eo autem, parvum an procerum corpus longævius ſit? non multum laboramus, cum in juſto ſolidorum vinculo & fluidorum craſi, ſive intra magnos ſive parvos corporis limites ſubſiſtat, verum & durabile robur conſtituendum ſit. Hoc autem in corpore inprimis muſculoſo & nervoſo eſt, gracili magis quam adipoſo *c*). Jam Hippocrates *d*) docuit, craſſos admodum ſecundum Naturam citius mori, quam graciles: ſine dubio quod adeps vaſis incumbens meatum ſanguinis difficiliorem reddat, laxet etiam partes & tono ſuo deſtituat, ſub violentiori autem motu copiam illam ſecreti olei latici humorum iterum af-

fundat

y) *v. Kornmanni mirac. viu. p.* 234.

z) *Hiſt. vit. & mort. in Oper. p.* 513.

a) Georgius Segerus ſenem vegetum centum & quindecim annorum nominat, vix quidem binis ulnis brabanticis cum ſeſqui quadrante majorem, at barbæ tam prolixæ, ut quinque quadrantes talis ulnæ longitudine æquaret. *Eph. N. C. Decur. I. A. III. obſ.* 163. *p.* 295.

b) *Hiſt. vit. & mort. in Oper. p.* 518.

c) ib. *p.* 519.

d) *Aphor.* 44. *Sect. II.*

fundat, immeabilem fere & peſſimæ corruptioni obnoxiam, internique æſtus incendia augentem. At in gracili corpore major vaſorum renixus reprimit ſtagnantem colluviem, corporisque functiones & agilitatem magis conſervat.

§. VI.

Sed nulla re manifeſtius præſidia illa durabilioris corporis ipſis ſenſibus noſtris ſe ingerunt, quam functionum facili, promta & conſtanti exercitio. Maxime attendimus ad vitales functiones, pulſum & reſpirationem. Pulſus lentus, plenus, æquabilis, fortis, conſtans, neque ab hac norma inter majores corporis vel animi motus magnopere deflectens, eximium docet & perenne corporis robur. Videas viciſſim, quibus ex levi cauſſa pulſus mutatur, a morborum mortisque periculo non longe abeſſe. Sane, ſi dicto pulſui reſpiratio reſpondet plena, facilis, æquabilis, & tam lenta, ut vix in vigilante & quieſcente ſentiatur, quemadmodum inde pulmonem meabilem & pro tranſitu cedentia vaſa, & bonos fluxilesque per eum humores cognoſcimus: ita dubium non eſt, quin ab his, quæ in præſidium corporis a corde & pulmone fiunt, totius corporis vitalitas, tanquam a primo fonte, pendeat. Scite in barbaris regionibus, dum ſervi emuntur, ut ſciant emtores in anteceſſum, quid ſibi promittere laborum ab iis queant, pulſus & reſpirationes intra datum tempus ſollicite notant, deinde curſus magni conficiendi legem imponunt, unde ſi nulla remanent vel exigua mutati pulſus aut reſpirationis veſtigia, ſolidiſſimum de viribus & durabilitate corporis judicium petunt, nec metuunt ſumtus. Quandoquidem vero vegetiſſimi corporis ratio id poſtulat inprimis, ut cito exeant de corpore, quæ nihil ad ejus ſalutem conferunt, ideo alvi, renum & cutis officia in excernendis ſuperfluis vel noxiis merito attendimus. Alvum tardam & ſiccam non ideo laudamus, quod excernendorum molem minuat, quam quod coctionis majorem vim prodat. Nam ex iisdem ingeſtis quo plus chyli conficitur, eo minus colligitur fecum, magno intenſioris coctionis indicio, quæ diminuta parum

 trans-

transmittit chyli, plus igitur indigeſti per alvum eliminat *e*). Nec minus vigoris indicium eſt urina parca & cocta, & ſudor rarus. Nam in robuſtis corporibus ingeſta ſic attenuantur, ut potius perſpirent, in debilioribus minus ſubacta craſſiori, adeoque ſenſibili, forma elabuntur. Si vigori excretionum accedit voracitas cum facili coctione, quam nec calor, nec tumor, nec ſomnolentia ſequuntur, etiam inde colligimus, inter æqualia impendia & diſpendia corporis nullos ex ingruente penuria morbos metuendos eſſe. Et cum maxime amiſſas vires illa reſtituant, quæ ſomni tempore & placidiori ejus motu præparantur, dubium non eſt, de iis optime nos ominari poſſe, quorum ſomnus & profundus & reficiens eſt, a quo alacres & ad conſuetas operas hilares, ac magno novarum virium adparatu conſurgunt. Sub quo ſi ſine ſenſu laſſitudinis graviſſimis etiam laboribus diu ſuſtinendis ſufficiunt, quis non clare intelligit, iis, quæ in functionum exercitio impendere debent, abundare corpus? Nec vero tolerantiam ſolum laborum, ſed & caloris, frigoris, imo crapulæ aliorumque in vita incommodorum attendimus. Sane qui ab his omnibus parum vel nihil afficitur, non temere poſt Deum viribus ſui corporis confidit. Ipſi fuerunt medici, & inter hos CELSUS, qui ideo voluerunt nullis legibus ſanum adſtringi, ſed corpus ad omnes mutationes adſuefieri. Inter hæc motum animi moderatum requirimus, ut omen longævitatis majoris fidei ſit. Aiunt, ſtupere plerumque ingenio longævos *f*). At quamvis non negemus, magnam nervorum & cerebri mobilitatem, quæ ſubtilioribus cogitationibus inſervit, haud convenire robori partium, quod pro longævis requirimus; opus tamen non eſt, ut in hanc ſpem hebetudini cuidam & tarditati, ſive ingenii, ſive affectuum, patrocinemur. Moderata durant, & vires intellectus,

quæ

e) Hinc ſi bini ſunt, quorum alter ſub eadem cibi potusque menſura bis de die vel ſæpius, alter vix ſemel per biduum egerit alvum, hunc quidem fortiorem judicamus, cujus viſcera plus chyli & ſanguinis ad reparandas corporis vires intra datum tempus ex definita ingeſtorum copia generant.

f) *Fr. Baco de Verulamio* in hoſpitali Bethleem ad ſuburbia Londini, pro cuſtodiendis & alendis phreniticis inſtituto, teſtatur crebro inveniri mente captos admodum longævos. *v. Hiſt. vit. & mort. in Op. p.* 515.

quæ non acutius penetrant, penetrabunt tamen ſimili ſucceſſu conſtantius *g*). Totus ille ambitus virium animæ in commercio cum vigente corpore conſideratus, laudem in conſtantia, non celeritate functionum, reperit. Videas homines lento gradu incedentes plus viæ uno die emetiri, quam qui agiliores longe ſub celerrimo curſu exhauſti perpetua quiete & virium refectione egent. Per errorem videntur nobis in apice ſanitatis conſtituti, quorum ſumma mobilitas eſt. Nam viuida illa agitatio & acrimonia mentis atterit cito corpus, quod ut duret, blandis lentisque motibus, quorum tranquilla anima comes eſt, eget.

§. VII.

Si indolem humorum in iisdem ſcrutamur, quibus in omni actione conſtans vigor eſt, & juſta ſpes longævitatis; ſanguis occurrit floridus, blandus, tenax, talis nempe qui inter munera vitæ & labores non cito nimis ob tenacitatem diſpergitur, nec ulla acrimonia ſcatet, quæ lædere in motu per tenera vaſa poſſit. Sunt, qui ſanguinem tenuem & floridum laudant, a quo cito nimis diſcuſſo conſtantiam ſanitatis & virium nemo exſpectat. Potius lentorem aliquem cauſſæ diſſipanti reluctantem poſtulabit, nec tamen tantum, qui vaſa, quæ tranſire debet, commode permeare impediat. Ex his liquet, cur robuſti inter vehementiſſimas operas & corporis exercitationes nullis ſudoribus diffluant, diffluant vero ſub minimo motuum gradu tenera & debilia corpora, quibus vis deeſt compingendi humores, & phthiſicorum exemplo, ſub ipſa quiete nocturna ſudor erumpit. Hoc charactere, quo ſanguis, ceteri humores gaudere debent, tenaces ſimili lege, intra ſua tamen vaſa meabiles; præterea blandi, quod hic facilior ſit lædendi ratio, porro copioſi, qui omnibus vitæ muniis & neceſſitatibus inexhauſto rivo proſpiciant; ſimul autem modice alentes, quod omnis tutior alimonia ſit, quæ corpus non obruit; parum denique oleoſi, cum olea ſub attritu calentis corporis nimis in corruptiones obſtructionesque vergant.

§. VIII.

g) Huc pertinent, quæ idem *Baco* dicit de ſenſibus externis, quos in longævis non acutos nimis eſſe debere cenſet. *l. c. p.* 519.

§. VIII.

Quæ ſi fuerit humorum vaſorumque conditio, functionum facile ſuave & celeris laſſitudinis expers exercitium ſine dubio proſperrimum declarabit valentiſſimi corporis ſtatum. Tale corpus nihil in toto ambitu ſuo injuriarum ſentit, ingeſto etiam ultra ſatietatem cibo non gravatur, ſub ingreſſu chyli in ſanguinem nullas ſentit moleſtias, nullam ſomnolentiam, & omnia ſua miniſteria læte peragit. Poſſis tales, ut vulgo ſolent, omnium horarum homines adpellare, qui certe in fuuctionibus ſuis nullo temporis delectu egent, ſemper ſuppetias virium ad nutum ſuum paratas eſſe, imo jucundo ſtimulo ad munera ſua invitare, ſentiunt. Dubium non eſt, quin humoribus & vaſis dicta lege diſpoſitis juſta fiat omnium liquidorum diſtributio, ſecretio, excretio, nutritio, quibus ſua lege integris omnis ſanitas cum quadam conſtantia nititur. Hi inter validos etiam motus non dolent, rubent, tument, calent: qualia ſigna ſi adſint, morbi inſidias imminere, jam Hippocrates docuit. Hoc corpus velut commodum animæ hoſpitium eſt, ita hoſpes anima tranquillioribus motibus adſueſcit, non ad iram, non lætitiam, non triſtitiam effuſior, quippe quibus affectibus corpus, ut a tinea veſtis, conſumitur. Beati ſunt, quibus moderatior illa & corporis & animi in motibus ſuis congruentia contingit. Color externus lætus, viuidus, calor moderatus, perpetua ad ſenſum levitas comitantur indivulſo ſatellitio ejusmodi homines. Viget fames, coctiones brevi abſolvuntur, nihil excernendorum ſubſiſtit, ſomnus, quidquid vigiliis exhauſtum eſt tempeſtive reparat. Inter quæ commodorum momenta illud nobis præcipuum videtur, quod armat corpus contra morborum cauſſas, illorum ſemina cito exſtinguit, adultiora etiam mature compeſcit. Notum eſt, debilia corpora ſtatim laborare, ſi quid novi accidit, ad umbram quaſi injuriæ. Laudata vero corpora admiſſas etiam graviores morborum cauſſas, ope tot viſcerum in mutuas vindicias tendentium, noxia inhibent cito ſua virtute, & ſuis quaſi armis exuunt. Non loquor de illa corporum reſiſtentia contra certos morbos, quæ omnibus contigit: qua ratione debiles & hydropici ad peſtem & morbos acutos,

quibus

quibus flos juventutis opprimitur, minus proni ſunt, ſicciores facilius virus venereum tolerant, quam obeſi, & omne corpus in certos morbos proclive, ab aliis alienum obſervatur. Verum hoc loco intelligo illam corporis indolem, quæ inter tot præſidia ſanitatis, ſi non omnibus, maxime ſi epidemicos ſpectes, pluribus tamen morborum cauſſis quotidie obviis efficaciſſime reſiſtit. Quotidie exempla occurrunt multorum ſub iisdem erroribus vitæ degentium, quorum alii id plane impune ferunt, alii leviores offenſas ſentiunt, alii in ipſo vitæ diſcrimine verſantur. Quis non iis, qui primo loco ſunt, læta ominatur?

§. IX.

Ex dictis patet, maxima longævitatis præſidia in illis corporum beneficiis latere, quæ ab ortu accepimus. Mirantur multi, etiam inter medicos, qui ignorare tutelam corporis ſui & tela adverſus morbos non debebant, haud paucos brevioris vitæ reperiri, idque ſæpius in artis opprobrium vertunt: quod tamen ex iis, quæ enarravimus, mirum videri nequit. Sunt multi judice I. I. Baiero *h*), qui ab incunabulis debiles & valetudinarii, ideo, ut corpori conſulant, medicinæ ſtudium amplectuntur, cujus ope multas quidem vitæ ſalebras fugere diſcunt, ſed nunquam nativa illa robora, quæ Natura negavit, recuperant. Id nunquam ſolers vitæ regimen efficere poteſt, ut ultra periodum illam, qua vitalis roboris & temperamenti ratio pertingit, protrahat vitam: ſatis habebit meriti, ſi præcipites ruinas in ipſo hoc tramite avertit. In errore verſatur Claudius Deodatus, qui ſolis remediis diæteticis vim tribuit, vitam uniuscujusvis diu & ſalubriter ſine diſcrimine protrahendi. A qua etiam ſpe longe magis medicamentorum jactata vis abeſt. Illuſtre Cornari exemplum, qui ſolis diætæ legibus infirmiſſimum corpus ad ſummam ſenectutem deduxit, non tam id probat, corpori ejus novercam Naturam male conſuluiſſe, quam offendicula ſanitatis, ſub primam ætatem nata, prudenter per vitæ ſobrietatem: & alias vigilis ſollicitique hominis cautiones, ſublata ſenſim eſſe. Habemus tamen, cur in præceptis, quæ longa ſeculorum obſervatio ſtabili-

h) *In epiſt. de longævitate medicorum. p. 6.*

ſtabilivit, egregiam vim conſtituamus vindicandæ a perpetuis inſidiis vitæ & ad longiores terminos, quam quos nati inter ſumma longævitatis præſidia, at ſui negligentes, ſperare poſſunt, prorogandæ. De qua re nunc dicturi ſumus ſeorſim.

CAPUT II.

DE PRAESIDIIS LONGAEVITATIS IN POTESTATE HUMANA POSITIS.

§. I.

Nemo facile eſt, qui vitæ amorem non ſentit, qui non ejus, quamdiu licet, continuandæ ſtimulum imis præcordiis comprehendit, & cauſſas morborum ac mortis, etiam inter ingentes vitæ ærumnas, haud amoliri nititur. Iuvenilis ætas ſui vigoris gratique cum rebus externis commercii memor ad ultimos vitæ humanæ terminos votis ſuis eluctatur, nec quam triſte ſit malorum contubernium, quod ſenes comitari ſolet, ſatis ſecum, inter illas præſentis vitæ illecebras, perpendit. In eo conſentiunt omnes prudentiores, quidquid offendiculi eſt humanæ valetudini metuendum, cognoſci ſolerter & ſtudioſe arceri debere. Etiam qui medicas ſcientias non tractant, ad nocentia tamen & juvantia, ipſo vitæ uſu diſcenda, non ſegniter auſcultant. TIBERIUS *i*) ſtupidos eſſe credidit, qui poſt triginta annos medico conſultore egerent, hoc eſt, qui tot annis, quid corporis ſui valetudini congrueret, quid adverſaretur, non attendiſſent. Verum non eſt illa cognitio tam facilis, ut obtineri aliud quaſi agendo poſſit. Sunt multa hujus rei momenta, quæ attenti etiam medici oculos fugiunt,

i) Rexit *Tiberius* valetudinem a trigeſimo anno ſuo arbitratu ſine adjumento conſiliisque medicorum, quæ verba ſunt *Suetonii cap. LXVIII.* 8. *Tacitus* ait *Annal. VI.* 46. eluſiſſe medicorum artes, & eos, qui poſt trigeſimum annum, ad internoſcenda corpori ſuo utilia vel noxia alienis conſiliis indigerent. *Plutarchus* de ſexagenariis dixiſſe ſcribit, ſimulque improbat. *Op. Vol. II.* p. 794. B. id. p. 136. D.

unt, nedum illius, qui cautæ experientiæ conditiones & fallacis interpretationis errores neſcit. Sunt, qui uſum voluptatum, ſi conciliare cum præceptis medicis nequeunt, hæc potius inſectari, tanquam ambigua nimis & futiliter moroſa, quam ab illarum ſcopulis retrahere pedem aſſolent. Non quod adeo levis res iis videatur, inoffenſa valetudine frui, ſed quod inter errores etiam ſuos, quorum noxas non protinus ſentiunt, ſalvos ſe fore & immunes ſperent.

§. II.

Qui minus negligenter negotium illud tractant, & vera valetudinis ſuæ adminicula, ad longævitatem ducentia ſcrutantur attentius, in definiendo vitæ regimine, aëris, quem hauriunt, toti corpori circumfuſi, ſalubritatem primo loco expendunt. Non eſt, cur dubitent, aërem ſaluberrimum eſſe, qui gravis, ſerenus, ſiccus, temperate calidus, craſſioribus halitibus defæcatus, magnæ & ſubitæ mutationis expers, a purioribus locis ſpirat, & leni vento, ne ſitum ex quiete contrahat, agitatur *k*). Sed hæc talia ſunt vitæ commoda, quorum delectus in poteſtate noſtra non omni ex parte poſitus videtur. Subſiſtere cogimur, quo nos viæ providentiæ ducunt, non loca ſemper eligere ſub ſalubriori cœlo licet. Igitur eo aëre, ſub quo fortunarum ſedes ſurrexit, quamvis non omnium ſaluberrimo ſic utendum eſt, ut quidquid eidem noxii adhæret, a contactu noſtro provide removeamus, & quidquid commodi habet, convertere in præſidium valetudinis noſtræ diſcamus. VARRO claſſem Romanam Corcyræ pene totam morboſam ſapienti conſilio ſeruavit, aquilone novis feneſtris admiſſo, & iis obſtructis, quæ auſtro patebant *). Si ſtagnorum paludumque halitu inficitur aër, ſtolidum eſſet, iis præciſe locis ædiculam &

k) Quo nomine *Braſiliam* laudant, & valetudinarios ex aliis regionibus huc adlatos cito ſanitatem recuperare ſcribunt. Ita ſibi multi Paradiſum concipiunt, & hodie etiam itinerum ſcriptores enarrant, *Meſopotamiæ* & *Babyloniæ* incolas longioris vitæ eſſe.

*) De his & ſimilibus *v. C. B. Behrens ſel. diætetic. S.* 1. *c.* 3. *p.* 12.

& focum inſtruere. Non eſt locorum, quæ inhabitantur, una facies, quin fugere decliviora, opaciora, ſordidiora, & eligere, quæ aeris & ſolis acceſſum minus impediunt, providis liceat. Quid opus eſt, illorum viciniam petere, qui immundis artibus utuntur, coria præparant, ſebum coquunt, cannabin in aqua macerant, carbones foſſiles aut glebas bituminoſas tractant? Si non omnes effugere licet aeris ambientis injurias, licebit ſæpius emendare. Sic ſquallido & nebuloſo cœlo domi latere, & ſtruem lignorum in camino accendere ſolemus, ut aer alio aditu exituque interclusus ſupra ignem intrando exeundoque depuretur. Sunt quædam vitæ neceſſitates, quæ imbribus & grandini, & cujuscunque generis inquinamentis, nos ſtatis temporibus communi lege exponere videntur. Sed cautus & ſuæ valetudinis ſtudioſus nulli inhiat lucro, ſub illis majoris damni conditionibus, & interpoſitam ſapienter moram, velut a morbo, ſic morbi cauſſis excuſari novit. Concedam, aliquando omni prudentia prævalere neceſſitatem, & quæ urgent, nihil induciarum permittere; at & hic, qui ſe artis præſidiis præmunivit, cogniti periculi minas experitur clementius, quam alii ſuæ ſalutis ignari. Ille vero, quoties licet, apriciora loca, in quibus etiam ægros citius convaleſcunt, velut e contrario in clauſis ſani corripiuntur, ſtudioſe ſectatur, ſub Sole nempe leni, tepido, in porrecta planitie. Hinc enim colles aprici veteribus arridebant, Soli orienti obverſi, in quo per hyemen, maxime ſenes apricabantur *l*). Qualis regionum apricitas *Hyperboreis* contigit, quos neſcire ægritudines, nec niſi ex ſaturitate vitæ mori tradunt *m*). Prudentiæ eſt, ædes Soli aerique patentiores eligere, vallesque & latebras, in quibus inquinatus aer minus renovatur, nec ſolari virtute refovetur, fugere *n*).

Cete-

l) Qualem aërem inprimis matutinum *Fr. Baco de Verulamio* comendat l. c. p. 517.

m) In *Solini polyhiſt.* c. 16. qui ex *Plinio* & *Mela* deſumſit. Et *Plinius* quidem regionem apricam vocat felici temperie, omni adflatu noxio carentem *H. N. L. IV. c.* 12. conf. *Salmaſ. in Plin. exercit. p.* 145. *ſq.* Modo ex veteri adagio non idem ſit *in montibus hyperboreis*, quam extra mundum, vel in ſola mentis imaginatione.

n) Privatio etiam luminis directi pejor eſt privatione perflantis aëris, quia lumen emendat vitium aëris ex quiete, ventus non emendat vitium ex

Ceterum aer patrius, ut ad ejus defenſionem redeam, ipſo conſuetudinis beneficio, aliis plerumque præferendus eſt, quod lateat in illo vis & familiaritas quædam, quæ calorem inſitum cognatiori virtute recreat, nocentia fortius abigit, coctiones conſtantius fulcit *o*). Novi cœli legibus adſueſcere difficile eſt, & vitæ curſum in plerisque præcipitat, maxime iis, qui ſub vitæ occaſu ſedibus ſuis emigrant. Ipſæ plantæ adultæ raro in novo ſolo convaleſcunt. Sane in aere, quo nec per momentum carere licet, cum cibis ſæpe per dies liceat, promtiſſima eſt ſalutis & morborum ratio, nec impune negligitur. Dubium vero non eſt, illum aerem, qui valetudinem noſtram tuetur, & tuitus eſt diu, etiam ſpem longævitatis ſuſtentare. Neque vero omnibus corporibus idem aer æqualiter prodeſt. Ille, in quo maxime longævi reperiri ſolent, ſubfrigidus, montanus, ruralis eſſe creditur. Ut de primo dicam, certum puto corruptionum cauſſas in ſinu calidioris aeris facile germinantes, a juſto frigoris gradu coerceri, & nativum corporis robur contra propagandæ labis periculum vindicari. Huc pertinet aer inſulanus, ut temperatus & æquabilis, & perpetuo aquæ motu refrigerans, unde Angliæ & Hyberniæ inſulas, ut & Canarienſes longævorum plenas eſſe diſcimus *p*). Aeri montano ab inquinamentis puriori longævitatem *Aethiopum*, *Arcadum*, *Indorum*, Herodotus, Strabo aliique tribuunt *q*). Quod & judicium Platonis erat, in altiſſimis regionibus maxime ſenes & longævos reperiri, cum nuſpiam minor ſit,

perpetua umbra. Nec tamen privatio luminis reflexi par eſt privationi aëris perflantis. Conf. *Paul. Zacchiæ quæſt. med. leg. L. V. Tit. IV. Qu. 6. N.* 13. *ſq.* Huc ſpectat problema illud *Ariſtotelis*, cur locis perflabilibus homines tarde ſeneſcant? *Probl.* 7. *Sect. XIV. Op. Vol. IV. p.* 137. *B.*

o) In quo fortaſſis etiam ratio comprehenditur, cur civibus ſuadendum non ſit, patriam deſerere. *Fr. Baco de Verulamio l. c. p.* 517. *&* 538. *pauperes*, inquit, *qui in tuguriis ſuis, intra proprios lares perpetuo vivunt, nec ſedes mutant, ſunt plerumque longæviores.*

p) *Fr. Baco de Verulamio l. c. p. m.* 516.

q) Adde hic *Plinium* in *Hiſt. Nat. L. VII. c.* 48. ubi montem *Athon* qui Macedoniam & Thraciam diſtinguit, incolis gaudere ſcribit, ceteris mortalibus extento vitæ ſpatio ac valetudinis proſperitate longe ſuperiores.

ſit, quam apud montanos cohibiti aëris & interclusi injuria, & e contrario aer humidus & paludoſus, locis declivioribus interceptus, ingentem toties per morbos endemios & epidemicos ſtragem edat *r*). Ruralem aerem, quem petere per intervalla etiam urbium incolæ ſolent, ob viarum amplitudinem, & aeris perpetuo renovati, & fragranti vicinorum camporum odore perfuſi, vitaliorem virtutem, ſuo pretio æſtimamus, ſi ubiuis mundities vitæ accedit.

§. III.

Cibum & potum in delectu ſuo & juſta menſura, ſi conſidero, dubium non eſt ſimplicioris cibi luculentiorem utilitatem eſſe. Tot diverſarum virium miſcela ſæpe ventriculum fatigat, ut ſub onere coctionis, vix omnibus par fatiſcat. Habet hæc varietas illud illecebrarum, ut ultra ſatietatem aſſumta onerent; cui ſi condimentorum accedit ſtimulus, neſcit frena ſibi iniicere, qui tot gulæ blandimentis, tot coquorum veſanis artibus allicitur. Certe ſimplicitati victus maximam ſanæ & longæ vitæ partem agricolæ debent. An vegetabilis victus potioris momenti ſit, ſub quo *Brachmanes* & *Aegyptios* conſenuiſſe legimus, non nimis diſputo. Prohibita primi ævi creophagia facile oſtendit, carnes animalium in ſaginam corporis noſtri primo Naturæ ordine deſtinatas non fuiſſe: inprimis cum manifeſtum ſit, corpus noſtrum, quod ſuopte genio in putredinem tendit, ab illa alimonia, quæ in eandem vergit, non tuto nimis ſuſtentari. Ob congeneris quidem Naturæ dotes alit potentius, ſed & humorum copia gravat, unde præceps in corruptionem tranſitus eſt, non æque a vegetabili victu metuendus. Ex qua ratione in legem fere abiit iis, qui acutius ægrotant, omnem ex hoc regno victum negare, quod conditio ejusmodi corporis ſub ipſo febrili impetu pronius in ſuum ex oriente putredine exitium ruit. Neque his conſiliis medicorum ipſius

r) Vereor autem, ut apud nos montium aer ſimilem laudem mereatur, quippe quorum cacumina nebulæ & vapores denſati alluunt. Pluit ibi ningitque, dum ſuper æquabiles campos conſtantior cœli ſerenitas eſt. Hinc montanorum ſuppellex crebro ſitu obducitur, & aquæ concava ibidem loca occupantes corrumpuntur. Ne de iis dicam noxis, quas infeſti ſæpe minerarum halitus effundunt. *F. Baco de Verulamio l. c.* p. 517.

ſius ægri talem cibum faſtidientis ſenſus repugnat. De cetero nolim victum, quemcunque adpetunt ſani & ſobrii, moroſius limitare, probe gnarus, inſitam corpori facultatem eſſe, in id, ex quo conſtat, tam varia ingeſta ſalubriter mutandi: immo conſuetudinem inſalubris etiam cibi noxas tollere *s*). Omnes gentes habent ſuas delicias & impune ferunt, Angli carnes, Galli fructus arborum, Itali olera. Nihil facile horum ſub frugali uſu nocet, modo ſimul Hippocratis *t*) illud animo teneant: veſci citra ſaturitatem & laborem non fugere. Alterum perdita reſtituit, alterum cruda coquit, & facculenta expellit. Quod fieri, certius ſignum non eſt, quam ſi a novo cibo corpus eadem quam ante agilitate ſuis negotiis vacat. Hic incidere quæſtio poteſt, quid ſit, cur longævi plerumque in durioris & coctu difficilioris cibi adpetitum & uſum ferantur? Videas illos ſæpe legumina, lardum, pernas avide adpetere & maſcule coquere, molliuſculos autem cibos fugere. Unde feſtinantius aliqui concludunt, cunctis longæ vitæ cupidis ſimiles cibos præbendos eſſe. Sane iis, qui nativum corporis robur habent, non poteſt congruentior cibus eſſe, quam qui conſtantiam aliquam virium promittit. Hinc naturali inſtinctu adpetunt, quæ vi coctionis ſubacta ſtabile nutrimentum gignunt *u*). Veſanus autem eſſet, qui ſimili coctionum præſidio deſtitutus imitari illos in animum induceret. Non omnes una lege valent: pro ætate temperie & laboribus ſæpe mutare receptam legem cogimur. Primæ ætati mollior & coctu facillimus cibus convenit in iſta coquentium virium imbecillitate. Firmiori ætati duriuſculum cibum non negamus, qui certe exercitatam vitam inter tot ſua diſpendia maxime tuetur. Senes, qui ſentiunt, ab illo vigore ſuo, qui ingeſta mutat, ſe magis recedere, ſubtrahunt aliquid pro gradu

s) Qui primum *Indias* petiere, non tulerunt incolarum cibos, nec illi noſtros, ut ipſa frumenta. Periit hinc etiam olim magna pars exercitus *Alexandri* in *India*. E contrario adſuetis nec toxica nocuerunt, ut olim *Mithridati*.

t) *Epidem. VI. Sect. IV.*

u) Athletis olim, ut viribus proſpicerent, caſeus in cibum ceſſit, & *Carolus Sponius in aph. nov. Sect. IV.* §. 44. ruſticos & montanos vocat vivaces & longævos, quia caſeo fere & lacte unice veſcuntur. At nequam eſt in debilioribus caſeus judice *Lotichio*.

du decreſcentium virium conſuetæ ciborum menſuræ, crebris tamen interuallis, pauxillum, quod vires inſtaurat, offerri ſibi Cornari exemplo patiuntur. Aridum eorum corpus aſſidue humectent fotus, clyſmata, unguenta, balnea, quibus olim *Medea Aeſonem* juventuti reſtituiſſe creditur, noxia junioribus *x*). Ubivis non tam opus eſt quantitatem, quam pro corporis ſtatu & viribus indolem cibi reſpicere. Quoties hic exigui alimenti eſt, quod facile digeritur, vires imbecillas cito reficit, fortes deſtituit: ſi magni alimenti eſt, quod ægre digeritur, illas opprimit, has ſuſtentat. In qua re ſe ipſum inſtruit, qui tam variis per totum vitæ decurſum utens tempeſtive ſemper meminit, quæ ſibi ſub certis vitæ conditionibus amica magis vel infeſta fuerint. Non prorſus prætereo commoda abſtinentiæ in corporibus crudo laborantibus. Parca, ſicca, macilenta victus ratio multos hic juvit. Aegri a lue venerea per decocta exſiccantia & panem bis coctum ex obeſis ſumme emaciati mox rejuveneſcere ſub lætiori victu cœperunt, victa ſemel cruditatum ſaburra *y*).

§. IV.

x) Inter hæc remedia ariditatis ſenilis ipſa lactis balnea congruunt, humaniora certe, quam ex ſanguine ſaniſſimorum juvenum a barbaris olim parata. *vid. H. Boerhav. comment. inſtitut. ex edit. Ill. Haller. T. VI.* §. 1063. *p.* 353. Non dicam de fotu ſenili *Davidis*, cujus emarcidum corpus halitus corporis juvenilis ſub communi lecto recrearunt. Certum eſt, inquit *H. Boerhaave*, vim ſani corporis poſſe tranſire in corpus effœtum. Nam virgines, quæ cum aniculis dormiunt, liquet conſumi, vetulas vero melius inde habere. *l. c. p.* 353.

y) *Herm. Boerhaave* melancholicum nominat, qui ex inani metu venerei contagii, olim fortaſſis ſuſcepti, ſalivationis præſidia poſtulavit. Cum reperiret, qui imprudentibus votis annuerent, ſanata lue imaginaria, vel ipſa potius melancholia, ad octogeſimum annum ætatis ſupervixit, licet ex minime longæva familia natus eſſet. Sic nempe exhauſtum corpus, ſuſceptis melioribus, in locum expulſorum, humoribus, ſub cauta diæta quaſi renaſcitur. Primus *Fr. Baco de Verulamio* notavit, ad longævitatem facere medicamenta, quæ omnes aliquando humores conſumunt: modo viſcera vim primam ſuſtineant, & idoneis deinde præſidiis ſtabiliantur. vid. *Comment. Inſtit. H. Boerhaav. l. c.* §. 1059.

§. IV.

Pro optimo potu, qui diluit, ſitim reſtinguit, adſumta miſcet & diſtribuit, humores fluxiles ſervat, motum & acrimoniam temperat, detrita evehit, habemus aquam levem, puram, frigidam, temperati victus comitem; non modo vilioris fortunæ hominibus, ſed & aliis de ſua ſalute ſollicitis familiarem, & a multis morbis præſervantem. Ut non alius potus indigentiæ Naturæ magis convenit, ita illum etiam hoc commendat, quod ultra ſitim, illius indigentiæ indicem, non adpetatur. Homo centum & octodecim annorum ſcaturienti ex ſcopulis & vividis fontibus aquæ quam hauſit, longævitatem ſuam maxime tribuit z). Alios potus, quos luxus & conſuetudo invexit, mobilitatem ſanguinis ſæpe nimis intendentes inebriantesque, non tamen auſim omni ex parte improbare. Vinum moderate ſumtum novas virtutes addit, coctionem juvat, flatus diſſipat, putre inhibet, vires recreat, ſpiritus gignit, curas demulcet, & nomen naturalis cardiaci meretur. At qui ſecum cogitat, ejus abuſu liquida diſſipari, ſolida rigeſcere, nervos tremere, caput turbari, ſenium accelerari, non improbabit nimis veterum judicia, quibus vinum flagellum cerebri, mors memoriæ, ſtimulus libidinum, imo apud ATHENAEUM omnium malorum metropolis vocatur. Habent certe, cur ab eo inprimis abſtineant juvenes, & quorum ſanguis facile æſtuat. Cereviſia, vinum illud ſeptentrionis, ratione aquæ diluens & humectans, ratione frumenti nutriens, ratione lupuli calefaciens, hordeacea inprimis, ut diuretica magis, tenuis & aperiens, imbecillis præſertim in victu minus alente omnino convenit, modo ex puris ſemper granis confecta ſit, bene fermentata, modice lupulata, ſemper limpida &

mediæ

z) Novo circa dictam ætatem dentium proventu gaviſus. Id quod cum alio exemplo ſimilis longævi recenſuit *Chriſtian. Menzelius Eph. N. C. Decur. II. A. III. obſ.* 15. *p.* 57. Eidem aquæ *Ioh. Lockius* aciem oculorum ad finem vitæ acceptam retulit, *Tiraquellus* vigorem animi & corporis ſui, quo liberos quadraginta quinque & tot libros genuit. Utinam ſubſtitiſſet humanum genus ad exemplum omnium animalium in hoc potu, ſub quo longævos etiam fieri, qui carnium victui nimis indulgent, judicat G. *Cheyne Hygien. c.* 11. §. 18.

mediæ ætatis. Abuſu ſuo ipſo vino nocentior multorum ſales meruit. Non errabit, qui lac maxime pueris, aquam viris, vinum ſenibus ſuadeat *a*), Spirituoſi & aromatici potus non niſi parca quantitate & medico ſcopo proſunt, nocentius enim inebriant, tenacem ſanguini acrimoniam inducunt, ſerum coagulant, ſolida indurant, inſuetis peſſimas febres, adſuetis hecticam pariunt *b*). Calidos potus quippe facilius permeantes, ut infuſa herbæ theæ laudarem etiam impenſius, niſi & in his multorum abuſus noceret, & corporis robur tepida aqua toties perfuſum redderet imbecillum & elumbe. Generatim moneo, omnem copioſum potum coctioni obeſſe, menſtrua ejus enervare, viſceribus inertiam parere, vigorem in circuitu humorum labefactare. Pingues & ad motum ignavi homines, quantum fieri poteſt, a potu cujusvis generis, inprimis valentiori, abſtineant. Nihil vitæ eorum conſervandæ & prolongandæ efficacius eſt ex judicio G. Cheyne *c*), quam pervicax ab omni potu abſtinentia. Iuniores, qui humido abundant, ſub ſucculentiori victu raro ſitiunt. In aliis calculum eorum, qui ſumi potulentorum duplo plus volunt quam eſculentorum, non valde improbo, niſi quod calidis, ſiccis, bilioſis, exercitatis inter cibos ſolidos aſſosque plus omnino inprimis æſtate convenire, nemo non videat. Poſt acida, flatulenta, pinguia abſtinendum aliquamdiu eſt, & poſt magna exercitia timide ad frigidum potum accedendum.

§. V.

a) Hinc lac ſenum adpellatur. Sed acre non ſit & meracius, cum ſenum corpora ſponte areſcant, ſed lente & crebro irrigans. Unde *Socrates*: Infunde mihi parum, inquit, ſed quoties volueris, nam imbres deſtruunt, ros reficit. *Conf. H. Boerhav. comment. inſtitut. ex edit. Ill. Hall. T. VI.* §. 1058. *p.* 347.

b) Ex quinquaginta hominibus, inquit *H. Boerhaave*, qui ſpirituoſis abutuntur, vix unus eſt, qui quinquageſimum annum ſuperet. *l. c. p.* 350.

c) *Hygien p.* 241. §. *II.* Obeſos vocat binis morbis maxime obnoxios, hydropi & lethargo, at lethargum, a nimia humiditate plerumque naſci, hydropem ſola abſtinentia potus ſæpe ſanari.

§. V.

Comedens, quæ HIPPOCRATIS *d)* verba ſunt, ſanus eſſe nequit, niſi etiam laboret. Motus corporis adeo ſunt ſaluti humanæ neceſſarii, ut illis, quibus pleno otio in rerum ſuarum abundantia frui licet, nunquam ſua valetudo conſtet. Quies enim protractior vitio lentioris circuitus retardat diſtribuenda, figit excernenda, corrumpit retenta, vaſis inertiam, fluidis lentorem parit, tumentesque viſcerum farctus. Motus vero impedit, ne cruda accumulentur, ſed nec eo inſurgere debet, ut machinam hanc corpoream majori attritu juſto celerius conſumat, in quo moderamine maxima ad longævitatem diæta conſiſtit. Moderatus nempe motus ille eſt, qui partes humorum in coalitum pronas a mutuo contactu conſtanter divellit, perpetua ſitus mutatione fluxilitatem tuetur, cruda mutat, cocta diſtribuit, ſuperflua & corrupta expellit, adeoque totum corpus conſtanti lege repurgat *e)*. Unde ſemper exercitatis elaboratior ſanguis, vegetior ſpiritus, ſalubrior perſpiratio. Nec certius in morbis chronicis præſidium, quam a motu iſto pendet, nec majus contra imminentes auxilium, quo ſanitas corporis & vigor animi verius ſuſtentatur. Qui motus obeſulis inprimis convenit, quippe ad lentorem humorum & oppreſſa ſecretionum excretionumque præſidia proclivioribus. Nec ſenes moderata exercitia fugere fas eſt, licet ſenſim labores, ne exhauriant corpus, minuendi ſint. Sed abſit, ut vehementes nimis corporis motus laudemus, a quibus incaute increſcentibus, dubium non eſt, diſſipando tenuia, reliqua compingendo, ſtaſes inflammatorias naſci, vaſa lateralia liquido, quod eorum anguſtias permeare non poſſit, diſtendi, ſitim, æſtum febresque crebrius accendi, & ſpeciatim in morbis chronicis vaſa debiliora, quæ magnum impetum non ferunt, rumpi; in ſanis chylum citius & ante peractam coctionem in ſanguinem rapi, eoque pinguedinem cum

d) *De Diæt. L.* 1. *Op. edit. Lind. V. I. p.* 180. *l.* 18. Hinc verbis *Geneſ. III. v.* 19. *in ſudore vultus tui comedes panem*, non tam pœnam *Georg. Cheyne* irrogari, quam ſalubrem exercitationem imperari, putat *l. c. C.* 4. *p.* 123.

e) Hinc judice *Fr. Bac. de Verulamio* l. c. p. 503. plurium avium longior vita eſt, quippe in aere puriori agilium.

cum metu peſſimarum obſtructionum redundare; maxime vero ſolida atteri, minima obliterari, ſpiritus conſumi, corpus extenuari, gelatinam humorum nutritioni tam neceſſariam, exuta natura balſamica, acreſcere, & corpus ad celerem putredinem diſponi: a qua noxa motuum præſertim prima ætas arcenda eſt *f*). Ita vero quanta moderati motus utilitas erat, tanta immoderati offenſa adparet, quæ præſtare una hora idem poteſt, quod ſæviſſima peſtis. Pauci inter duriſſimos labores ad ſenectutem perveniunt, imo jam poſt triginta annos inutiles evadunt, videasque in iis vitam laborioſam vaſa juſto citius compingere, muſculos fere totos tandem in tendines, hos in cartilagines & oſſa mutare, adeoque ætatis curſum celeri coalitu vaſorum præcipitare *g*). Nunquam corpus noſtrum diu perſiſtit, niſi ab una parte motus laboresque impediant, ne cruda colligantur, ab altera, ne cocta diſſipentur, nec vaſa nimio motu citius concreſcant. Hi juſti ſalutaris motus limites ſunt, ut ultra laſſitudinis ſenſum vel levem madorem non procedat. Unde SANCTORIUS juvenilem diu faciem iis promiſit, qui inter exercitia ſua ſudores caverent *h*). Præſtant vero ſemper conſuetiores Naturæ motus, ut ambulationes, vacuo inprimis ventriculo & peracta coctione. Ubivis illud occurrat animo:

quod caret alterna requie, durabile non eſt.

§. VI.

Motus animi tranquilliores ab omni ævo inter ſumma valetudinis præſidia locum repererunt. Non iis quidem prorſus obnitor,

f) Motus nimius, inquit *H. Boerhaave*, & a teneris adſuetus frangit corpus, & præcocem facit ſenectam: hinc doleo, quando infantes video ante tempus a parentibus ad labores cogi. vid. *inſtit.* §. 1054. *ex edit. Ill. de Haller* T. *VI.* p. 345.

g) *Sanctorio in ſtatic. medic.* S. *V. aph.* 35. ſenectus eſt univerſalis fibrarum durities. Delentur ſub hoc coalitu primum functiones animales, quæ a ſubtilioribus vaſculis pendent, ut vix talia corpora, ab iis, quæ in ſenſus agunt, amplius moveantur, vix videant audiantve, vix rerum heri geſtarum recordentur. Id quod pulchre querelæ *Barſillai*, menſam regiam *Davidis* faſtidientis, illuſtrant *II. Samuel.* c. *XIX.* *V.* 31. 36.

h) *Med. ſtatic.* *S.* *V.* §. 36.

tor, qui animi affectus ſanguinem, ut ventos aërem, ventilare perſuaſi, de iis langvidioribus aliquando excitandis cogitant. At nullum venenum datur, quod continuis pathematum turbis corpus citius perdit. Certum eſt nimium motum animæ plus nocere, quam nimium motum corporis, quandoquidem hic nervos maxime motui muſculari ſervientes, ille totum ſyſtema nervoſum afficit; hic conſumit quidem, ſed & humores ad novum a ſomno ſpirituum proventum præparat, ille conſumit, nec ſomno, quo frui prohibet, reſtituit. Ita SANCTORIUS corpus quieſcens commoto animo plus perſpirare & pondere diminui, quam corpus commotum animo quieſcente, docuit *i*). Diſcrimen autem noxæ eſt in varietate affectuum, dum alii torporem inducunt in circuitu humorum, ut triſtitia, timor, terror; alii motus omnes intendunt, ut ira & vehementes cupiditates amoris & odii. Ibi cauſſæ vigent, quæ nervorum robur debilitant, ſolida laxant, fluida inſpiſſant, ſecretiones morantur, hic creſcit motus cordis arteriarumque, diſſipat mobiliora, reliqua ſub periculoſa ſtaſi accumulat, & humores, maxime in corruptionem proniores, ut bilem, peſſundat. Eruditi horum fluctuum expertes, hilares ſucceſſu ſtudiorum ſuorum & contemplatione rerum, quæ genio ſuo reſpondent, ſuaviter excitati, nec curis domeſticis obruti, longum ſæpe vitæ curriculum etiam in ſedentaria vita abſoluunt. Eligere certe quilibet debet gratiſſimum ſibi & convenientiſſimum vitæ genus, ad quod corporis ratio, in certas actiones inclinans, ultro attentos invitat *k*). Nec unam perpetuo rem tractet, ſed varietatem aliquam, quæ recreat animum & conſolatur, ſedulo captet. Non nimis igitur illos laudo, qui ſenſuum internorum perpetuo uſu & non interrupta meditatione enervantur, ac libris inpallescunt, ſed qui ſub juſtis quietis intervallis, & honeſtæ varietatis lenociniis, ad amata muſarum commercia redeunt. Iam ſuperius monui, longævos vix eſſe, qui magna acie intellectus & nervorum teneriori ſenſu ſunt prædíti, unde præcocium ingeniorum

i) *ib. S. VII.* §. 35.

k) Viſi ſunt aliqui quaſi reviviſcere, quando poſt exoſum ſtudium, ad quod coacti acceſſerunt, ad aliud ſibi acceptius & Naturæ ſuæ affinius dimittebantur. Verba ſunt *H. Boerhaave in comment. inſtitut. l. c. p.* 346.

orum caducus flos a ſpe longævitatis longiſſime abeſt *l*). Semper durabiliores ſunt, in quorum corpore ſtatus ſolidorum fluidorumque non inter crebras & vehementes mutationes afficitur. Nec opus eſt hæc ingenia hebetiora adpellare, ſed lentiora & placidiora, & quorum mores amabili tranquillitate condiuntur *m*).

§. VII.

Attrita per vigilias & reparat ſomnus, & fibris antea tenſis quietem iudulget, cibos ingeſtos coquit tranquillius, & novum pro novo die ſpirituum commeatum præbet. Senum ſomnus, quia interruptus & inquietus eſt, protractior requiritur, inprimis cum rigidis & ſiccis, quales illi ſunt, nihil conducibilius videatur, quam humectari tepido fotu ſomni. Nec commode reficiuntur fibræ, niſi in eo ſitu ſint, in quo tenſio maxime remittit. Sic placidus ſomnus reſtituit, & a nutritionis opere arcet, quod turbare motu inæquali poſſit. Minus ſibi nocet, inquit G. Cheyne *n*), ebrius, qui mature decumbit, quam ſobrius vigilias & ſtudia in longam noctem protrahens. Nocent etiam ſibi, qui nocturnum tempus vigiliis, diurnum ſomno, inverſo ordine impendunt. Brevis ſomnus in perfecta ſanitate ſufficit, præſertim in bilioſis, in quibus olea & ſalia diutius evoluta mordacem & alcalinam indolem adquirunt. Omnes vero, qui ſomni, ſuæ aetati & Naturæ ſalutaris, limites pigrorum exemplo excedunt, accipiunt corpus laxius, frigidius, debilius & minus perſpirans. Nempe manifeſtum eſt, cum vigiliis & motu denſentur fluida, ſomno remittat vis denſandi, & intra relaxata jam vaſa humores leniori motu diſſolvantur, non poſſe vaſa diu relaxata manere, quin ſenſim motus per ea nimis langueſcat & humor ſegnius impulſus ſpiſſari iterum

l) Vidi puerum, inquit *H. Boerhaave*, pene omniſcium, monſtrum eruditionis, ſed vix ad annum vigeſimum quintum pervenit. Vidi doctiſſimum juvenem, die noctuque ſtudiis invigilantem, qui anno ætatis decimo nono ſine morbo conſumtus occidit. *l. c. p.* 346.

m) *Fr. Baco de Verulamio* ſenes plerumque loquaces eſſe notat, quod languentis judicii viribus tribuit, cum ex priori fonte compoſiti liberique animi derivari poſſit. *l. c. p.* 533.

n) *l. c. cap.* 3. *p.* 133.

iterum incipiat, ſecreta etiam, ut pinguedo, in lateralibus accumulentur, excernenda retineantur *o*). Semper, qui diu dormiunt, incidunt in ſpiſſitudinem cum infarctu capillarium. Maxime iis nocet ſomnus, qui præ ceteris in eum proclives, his prodeſt, qui in vigilias proni *p*). Quærendus nunquam eſt, niſi conſumtis ſpiritibus, & ubi coctione opus, vel ut ſuccinctius SANCTORIUS ait, in laxo corpore nocet, in robuſto juvat *q*).

§. VIII.

Retenta & excreta præteriri non debent, cum prima ſanitatis regula ſit, attrita, corrupta, effæta, ſub ipſis vitæ motibus collecta, ne noceant, expellenda eſſe, & adſumta ſub iisdem motibus coquenda & adſimilanda. Patet hujus doctrinæ utilitas quandoquidem ſub alternis beneficiis illis tota machina corporis ſubſiſtit. Valent ſæpe imbecillius, qui in vitæ regimine ſcrupuloſiſſimos ſeſe gerunt, quod nempe altera ſanitatis pars in excretionum vigore conſiſtit. Quid enim magnopere metuendum eſt, ſi germinant in ſinu vitia, modo, ne invaleſcant, nullæ illis induciæ concedantur, & cita expulſio contingat. Vigentibus excretionibus nihil erit, quod turbet Naturæ operam in coctione, ſecretione & nutritione ſalutarem. Male agunt, qui excretorios illos Naturæ ſtimulos ſibimet ipſis interdum ſupprimunt, & formæ ac munditiei ſtudio nunc maculas rubentis faciei, nunc ſudores ſub axillis aliisve locis largius manantes per repellentia ſupprimunt, & ad interiora ſqualores iſtos convertunt. Alvi, renum, cutis officia

o) *Herm. Boerh. l. c. p.* 147. homo vigilans vix retinet tertiam partem lotii, quam dormiens ſine moleſtiæ ſenſu in veſica gerit; idem de alui fecibus verum.

p) id. *Inſtitut. med.* §. 770.

q) *Static. medic. Sect. IV. aph.* 68. Idem, dum *aph.* 63. vere longævum vocat, qui quotidie bene concoquit & digerit, coctionem ſomno & quieti, digeſtionem vigiliis & motui tribuit. Nempe veterum ſtylo coctio non idem eſt, quam digeſtio, licet aliqui hodie promiſcue vocent. Coctio eſt ſedatior motus, ſegregans partes ſui ſimiles; digeſtio eſt rapidior motus miſcens & diſtribuens. Illa indolem ingeſtorum mutat; hæc locum magis, illa reſtituit vires, hæc conſumit.

officia definitis temporibus ſalva ac integra corpus a ſuperfluis & noxiis conſtanter repurgant: cum e contrario infinita malorum ſeries ſit ex cohibitis illis excretionibus nata. Imo has veras & adæquatas morborum cauſſas eſſe cum FRID. HOFMANNO multi judicant, & nullum vel a Natura vel arte ſanari morbum, niſi iis reſtitutis. Nusquam vero magis metuenda ſunt læſarum excretionum vitia, quam in corpore pleno & impuro. Omnia Naturæ emunctoria certum & diſtinctum habent in expellendis noxiis officium: inter permutata ſingulorum officia nunquam nimis tuta valetudinis fides eſt. Quibus in certis excretionum locis beneficentior Natura fuerit, de eorum perenni vigore inprimis cogitent. Pertinet huc fluxus hæmorrhoidum a prima juventute ad ſummam aetatem familiaris multis ac ſalutaris, quo ſuppreſſo longe plus quam alii periclitantur. Purgantia, modo fidem nominis implerent, in primo atrio corporis natas morborum cauſſas tempeſtive tollerent. Sed dubia illorum, inprimis draſticorum merita ſunt, & ſenes reperias, qui alvo nunquam medicamentis ducta, haud plus noxiarum ſecum congeſſerunt. Si opus molliri alvum, auctus potus, diminutus cibus, motus ante paſtum paulo major, naturalis ſæpe purgationis officium implent. Senibus, quibus vis vitæ ad excernendas feces languet, danda aliquando ſunt, quæ miti virtute ſoluunt, & leni ſtimulo propellunt. Non æque huc referam excreta, quæ retineri ſine damno poterant, ut lac & ſemen. Meminit GEORG SEGERUS *r*) cœlibis centum & decem annorum, qui fructus caſtitatis abunde tulit; quamvis & hæc excretio, ſi moderata ſit, excitet corpus, judice CELSO non pertimeſcenda *s*). Fuit faber viginti ſex liberorum, ad ſi-

milem

r) *Eph. N. C. Decur. I. A. III. O.* 163. *p.* 295.

s) *de medic. L. I.* Paulo aſperius ſentiunt, quibus omnis ille Venereus amplexus μικρὸς θάνατος, & idem habitus animam efflantis & ſemen ejicientis habetur. conf. *Ariſtot. Sect. IV. probl.* 1. Nec vero de nihilo eſt, quod ille ait, omnia ſalacia cito ſeneſcere. *De longitud. & brevit. vitæ c. V. Sect.* 4. *probl. XIX.* Ideo olim PAUSANIAS Venerem Parcarum vetuſtiſſimam dixit, & *Megapolitani* templum ſtruxerunt Veneris ἀνδροφώνε; præeſt enim

Una libidinibus funeribusque Dea.

milem cœlibis illius aetatem eodem SEGERO teſte enixus. In qua re fallere ſuſpicio poteſt, cum ſæpe cœlibes dubiæ caſtitatis ſint, & magnarum familiarum patres longe certioris. Certe ad cauſſas fallaciæ pertinet, ſi ſalaciſſimos Floridæ incolas ſeneſcere ut plurimum ſcribunt *t*). Major eſt longævorum in ſumma ſenectute fœcundantium numerus, neque vero poſt juvenilem prodigentiam tales eſſent.

§. IX.

Inter quæ omnia nihil pro ſperanda proſpera valetudine & longævitate conſtitui poteſt ſine metu fallaciæ & ambiguitatis, niſi vitæ genus, quale ſit pro ſingulorum temperie & aetate, imo & ſexu, ſuis momentis aeſtimetur. Ita colligi ex dictis poteſt, plus ſomni laborioſis, ut perdita reparent, minus otioſis, ne juſta functionum negotia remorentur, convenire. In illis facile vigiliæ protractæ deliria accendunt, his ſomnus protractior torporem & hebetudinem parit. Similiter, non generatim damnamus alimenta ſicca, dura, coctu difficilia, feculenta, nec generatim laudamus mollia, tenuia, defæcata. Hæc nempe non conveniunt robuſtis & exercitatis, vel uſum fere perpetuum exigunt, illa probe confecta conſtantiam virium iisdem non aliis promittunt. In omni igitur rerum, quæ ad ſanitatem pertinent, uſu, cum temperamentis corporis familiaris vitæ ratio maxime comparetur.

§. X.

Qui ex fonte pharmacorum longævitatem petunt, falluntur maxime. Nullum fere aeuum fuit, quo non ille error ali, ornari & fallaciſſimorum experimentorum copia infucari cœpit *u*). Chemi-

t) *Dapperi Americ. deſcript.* L. II. c. 5.

u) Legimus *Conſtantinum Leonidem* negaſſe, interire poſſe homines, niſi in ſuam necem ipſi conſentiant. Cenſuit *Hieron. Cardanus* aquam fieri poſſe, qua vita potantium in multa ſecula protrahatur. *de ſubtilitate* L. II. Elixirium ſuum proprietatis *Theophr. Paracelſus* jactitat adeo proprietatem producendæ vitæ habere, ut ſi quis ejus ope annos *Methuſalæ* vixerit, deliberare adhuc poſſit, an velit diutius vivere. Simi es fere de helleboro nugas habet, cujus foliis, ſi quis utatur, negat eum ante

Chemicorum inprimis ſomnia illuſerunt multos: habent eſſentias, habent elixiria, & novi quidpiam quotidie machinantur. Sed quis hominum illorum notabilem aetatem attigit? Aetas a Chriſto nato experimentis confirmatior, nullum certa fide exhibuit ultra unum & dimidium circiter ſeculum. Ex auro tanquam corpore ſimpliciſſimo & conſtantiſſimo inprimis tincturas potabiles promiſerunt, quæ corpori noſtro auri durabilitatem impertirentur. Sub tali ſpe leporum carnes aliquis ſumſit, ut velox curſor fieret. Quid opus ad tot fictionum ludibria reſpondere? Ita Cedrum, quam ſolam ex Paradiſi arboribus ſupereſſe, nec de novo prodire Helmontius ſomniat, a ſuo Alcaheſt in materiam noſtris humoribus miſcibilem reſolui poſſe, & ſuam quaſi longævitatem nobis communicare, quis ſperet ſanæ mentis? Vel quis tincturæ rubræ *Geberi* Arabis confidat, quæ quingentos annos promittit? Polychreſta multa ſunt, ſed poteſtatis ſuæ limites habent, viro ingenuo non inficiandos. Aloëtica, myrrhata & bezoardica laudem ſuam habent, ſed nullo merito tam effuſam, ac multi præcones perſuadere contendunt. Non improbamus ſpiritum roris-marini, an vero Reginam Hungariæ, a qua nomen habet, in juventutem revocaverit, merito dubitamus. Acetum ſquilliticum multis & ſuo quidem jure bene audit, cujus familiari uſu an Pythagoras ad centum & ſeptendecim annorum vegetam ſenectutem pervenerit, ſit fides apud Galenum *x*). Sic aquam vitæ Ranzovii, ſanguinem urſi Cornelii Agrippae, carnes viperarum Weckeri *y*), arcanum coralliorum, lac margaritarum, & alia temere jactata parum apud nos momenti habent. Quid

centum & viginti annos mori poſſe. Quos non *Victor Benſilonius* & *Iulius lactus* vinifici liquoris repertores ſe jactarunt. Sic ajunt hominem, quo cornix novies vivacior eſt, novies cornice vivaciorem fieri. Hæc Dædalæ artis beneficia, tanquam cum certis ruinis conjuncta contemnimus.

x) *De medicam. facile parabil. L. III. n.* 205.

y) His carnibus jam *Plinius* tribuit longævitatem illorum, qui *Athon* montem incolunt. *H. N. L. VII. c.* 2. Recentioribus temporibus multum illa ſententia incrementi, inprimis ex ſale *Tackenii*, hauſit. *Vlyſſes Aldrovandus* noſtra ætate, ſcribit, in Italia carnem viperinam non tam in culinarum lauticias adhiberi, quam in ſpem vitæ longioris.

Quid vero circa fabulas moramur, quæ vitæ blandimentis non niſi hebetioribus imponunt. Nulla certior ad longævitatem via eſt, quam ſi recenſita ſuperius præſidia Naturæ, ſerenus animus & ſtudium ſobrietatis fulcit, inter laudatas hisque conſimiles diætæ leges.

§. XI.

Sed & circa easdem diætæ leges hoc moneo, ſtrictiora vincula non temere iniicienda eſſe. Hæc forte debilioribus & infirmis conſulunt, robuſtis in ſimili rigore nunquam conveniunt. Non quod his iniicere ſpem velim, fore, ut ſub tutela ingenití roboris omnem errorem ſuum impune ferant, luent enim profecto temeritatis ſuæ pœnam; Sed quod eosdem nolim ſcrupuloſe cautos circa hæc eſſe, ad quæ durandum corpus eſt. In perenni cum tot rebus externis commercio multis incommodis & offenſionum cauſſis exponimur, quibus, qui una lege valent, protinus læduntur. Hic varietas vitæ, quam Celsus z) laudat, firmat corpora, eaque etiam rebus multorum judicio noxiis conciliat, modo id agant prudentiores, ut iis caute & ſenſim adſueſcant. Hoc longævis proprium eſſe oſtendimus, ut cauſſis plerisque morborum virtute corporis ſui reſiſtant. Hebeſcit hæc virtus non exercita, & vitare has cauſſas non tolerare adſueta. Nata ſemel conſuetudo etiam foveri debet, nec nocentiorum ſpecie rerum moderato uſu excludi. Maxima noxa eſt ex ſubita mutatione nunc laboris nunc otii, nunc frigoris nunc caloris, nunc temperantiæ nunc nimiæ ſobrietatis. Quorum tamen nihil eſt, quod non illum Hippocratis a) canonem defendat, diu conſueta etiam deteriora

z) *de medic.* L. I. c. I. ubi illos, qui ſuæ ſpontis ſunt, vetat ullis ſe obligare legibus, vult, *varium eos habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro: navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere.* Et paulo poſt: *nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convictu eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modo plus juſto, modo non amplius aſſumere, bis in die potius, quam ſemel cibum capere & ſemper quam plurimum dummodo hunc concoquant.*

a) *Aphor.* 50. *Sect. II.*

riora præſtare inconſuetis in ſe ſalubrioribus. Miramur ſæpe adſuetos debiles ferre interdum, quæ non adſuetis robuſtis moleſtiam creant. At ſenes velim, ut extrema vitæ tempora a dolore aliisque morbis immunia tranſigant, haud nova facere ſub dubio ſucceſſu virium experimenta. Dum incrementa valetudinis exſpectare non poſſunt, in eo ſint unice occupati, ut contra novas offenſas corpus præmuniant. Duo ſunt, ad quæ vigilare omni ſolertia debent. Alterum eſt cauere, ab inclementis cœli incommodis, & adverſus illa domi ſe continere. Nam ſanguis effœtus, coctio debilis, parua perſpiratio non permittunt, corpus novis periculis exponi. Alterum eſt, victu parco & tenui ſecundum vires coctionis uti. Parum perſpirant, parum in iis ſub languente motu deteritur: igitur parum ſupplementi requirunt. Noli pauxillum illud virium obruere, idque eo minus, cum nihil habeant ſpei in exercitatione, quam exſuccum & rigidum corpus ſine damno obire nequit. Sufficit, ſereno aëre & aeſtivis caloribus leviter ambulando refoveri. Certum vero eſt, attentionem ad dicta & creſcentem indies temperantiam ducere majori fide ad viridem & dolore vacuam ſenectutem *b*).

b) Conf. *Georg. Cheyne l. c. p.* 243. §. 12.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
NATURA LABE ET PRAESIDIIS MEMORIAE HUMANAE

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGAE, D. 8. SEPT. 1752.

RESP.

GEORG. FR. WEGENER,

HOLSATO.

§. I.

Omnia, ſive facta ſive verba, exiſtunt uno momento, altero intereunt, & fluminis inſtar præterlabuntur. Tanto mirabilior eſt vis illa animi, qua apprehendimus, quæ fugiunt, & præterita, quæ amplius non ſunt, ſub ſimulacris quibusdam, ex illa rerum externarum actione in cerebro relictis, conſervamus. Hoc olim donum vocabant matris Muſarum *Mnemoſynes*, σωτηρίαν αἰσθήσεως, cujus beneficio ita hærent, quæ vegetiori ſenſu & ſub majori attentione impreſſa ſunt animo, ut ad nutum noſtrum vel etiam ſponte ſe offerant, vario tamen obſequii gradu, prout ſtylo veterum mollior puriorque cera eſt, vel durior ſordidiorque, & impreſſas quaſi ſigillo figuras *a)* nunc admittere & retinere,

a) Motus ille, qui fit, inquit ARISTOTELES, quandam veluti figuram ſenſionis inprimit, haud ſecus, ac qui annulis ſigillant. *L. de memor. & reminiſcent. C. I.* Quo ſtylo utitur BARTHOL. ANGLICUS qui, *de*

nere, nunc excludere aptior. Quod ceram, quod figuras adpello, ficta ſunt ad obſcuræ ſimilitudinis ſpeciem nomina: cum reapſe conditio ſit loci illius in cerebro, quo conſenſus inter corporis animique functiones ex ſapientiſſimi arbitri lege unice ſubſiſtit. Locus ille cum corporeus ſit, & perpetuis mutationibus, ut aliæ res corporeæ obnoxius; hinc omnes illæ humanæ ſapientiæ ſenſim collectæ opes uno ſæpe fatali momento, quod illam mutui commercii ſedem adfligit, ruunt & diſſipantur.

§. II.

Memoria, dum res olim perceptas recognoſcit, ad ſenſum internum pertinet. Hujus ratio non intelligitur, niſi ad normam externi ſenſus, qui rerum extra nos poſitarum actioni debetur. Quæ ipſa actio rerum, ad quas cognoſcendas alia via non admittimur, leviſſimam & ſimpliciſſimam in nervis, quibus organa ſenſoria in toto externo corporis ambitu inſtructa ſunt, mutationem parit, quæ ad eorum originem ſeu cerebrum celerrime *b*) redundans, menti certam & definitam ideam ſuggerit, ſub illa corporea mutatione conſtanti lege recurrentem *c*) Vna ſane ſummi arbitri lex eſt, attentis nunquam ambigua, quæ inter res tam diverſas ſub primo coniunctionis momento illam mutuæ actionis congruentiam ſtabilivit. Agnoverunt fere omnes communis ſenſorii neceſſitatem, ſive ſub termino impreſſorum nervis motuum ipſam ſentientis

rerum propriet. L. V. C. 3. ſubſtantiam in cerebro requirit mollem, claram ac perviam, quæ facile recipere formarum impreſſiones & ſigillationes poſſit.

b) Celeritatem propagatæ hujus mutationis, quæ in ſimplici preſſu nervi, vel repreſſis intra illum ſpiritibus conſiſtit, exemplis fluidorum ſolidorumque extra corpus probe illuſtrat *Herm. Boerhaave in comment. inſtitut. edit. Ill. Halleri. Vol. IV. pag.* 232. *ſq.*

c) Licet de actione cauſſæ externæ, & quid per illam adfecti organi ſenſorii nervus patitur, nihil repræſentet. Ita dum ſonoræ aëris undæ ab illiſu corporum maxime elaſticorum ſuis tremoribus nervum acuſticum ſub ovali feneſtra in veſtibulo expanſum ad ejus uſque in cerebro origines impellunt, auditus oritur; quamvis aliud ſit, tremere corpus, aliud longe, audire animam.

tis animæ ſedem. Hanc ARISTOTELES in corde *d*) poſuit, nervos inde oriri & diſpergi perſuaſus. GALENUS ut rectius cerebro adſeruit, ita recentiores his non contenti partem cerebri, in qua omnis ſenſus fieret, evoluere penitius, ſed titubanter, adgreſſi ſunt. Eam CARTESIUS in glandula pineali quæſivit, WILLISIUS & VIEUSSENIUS in corporibus ſtriatis, LANCISIUS in corpore calloſo: pauci cum PERALTO & TABORE ſenſum ubivis naſci, ubi in corpore nervus ſit, vel cum STUARTO in extremis nervorum, cum ROSETTO in meningibus ſtatuerunt. Ligaturis certe, vulneribus & varia cerebri nervorumque corruptione, non obſcure edocemur, fornicatam cerebri medullam, ex qua diſtinctiſſimis *e*) locis omnes corporis nervi emergunt, & in quam ultimæ actiones nervorum a rebus externis impulſorum terminantur, ſenſorii communis nomen mereri. Quippe hoc laborante & compreſſa medulla cerebri, actum ſtatim de omni animæ ſenſu eſt, quem nec vehemens externarum rerum actio, fulgida lux, fragor tormenti vel urens ignis excitant, claro indicio nunquam excitari, niſi dictæ mutationes nervorum in organis ſenſoriis per vias liberrimas *f*) ad originem eorum, ultra quam non poſſint, adſcendant, & niſi ſpiritus intra adfectos nervos contra originem certa vi repreſſi excitent ideam ex primi vinculi lege comitem. Unus & ſimplex ſenſus eſſet, ſi omne externum corpus,

d) Vocat cor *τὸ πρῶτον αἰσθητικὸν, τὸ κύριον αἰσθητήριον, τὸ πάντων αἰσθητηρίων κοινὸν αἰσθητήριον*, *de ſomn. & vigil.* C. 2. & 4. *de juvent. & ſenectut.* C. 3. At & *de hiſt. anim.* L. III. C. 5. diſerte originem nervorum cordi vindicat.

e) Quo illorum metui conſulimus, qui per ſenſibiles ſpecies motusque in tanta copia concurrentes cerebrum obrui neceſſario, & ſpecies ipſas confundi, & mutuis vel oppoſitis viribus deleri ſuſpicantur. Nervi enim, qui ſunt prima medulloſa fila ex minimis arteriolis corticis cerebri ſibi continuis nata, non arteriarum more propagantur, ſed variis licet in progreſſu faſciculis collecti, manent ſeparati, adeoque ſingulorum attactus in ſingularem medullæ cerebroſæ plagam redundat. V. BOERHAAVII *inſtitut.* §. 568.

f) Nam & harum obſtacula intercipiunt ſenſum, illæſis licet viribus rei externæ agentis, organi recipientis & ipſius ſenſorii communis.

pus, figura, mole, duritie & motu conveniret, adeoque eodem attactu eandem nervi mutationem produceret & propagaret. Verum in illo omnium corporum diſcrimine latet variæ actionis & conjuncte cum hac variæ perceptionis neceſſitas, in qua ſemper illud mirabile eſt, vim tam paruam, tam ſimplicem, quæ a re externa per nervos ad cerebrum tam placide emanat, turbare animam in cogitationum ſuarum ſerie poſſe, & ad imaginis, quam repræſentat, obtutum avocare, imo in illo loco cerebri veſtigii ſpeciem quandam relinquere, quæ deleri non poſſit, quin deleatur nata per illam idea.

§. III.

Senſus interni æque ac externi ſunt mutationes cogitationum in mente, cum mutationibus illis in ſenſorio communi coniunctæ. Non differt modus cogitandi, qui in omnibus unus eſt, non conditio corporea, quæ utrimque eadem, modo quod hæc per actionem externam rei corporeæ primum nata nunc citra illam ex internis cauſſis renaſcatur. Promere nempe anima nihil poteſt, quod non ab externis primum ſenſibus accepit, & licet hæc vario nexu ſituque componat & intueatur, abſtrahendoque altius & ad moralium ac metaphyſicarum veritatum ſpeculationes adſcendat, utiliſſimarumque ſcientiarum theſauros ſic colligat; limitatas tamen vires ſuas facile agnoſcit, utpote quas unica ſæpe, quæ in cerebrum ſævit, morbi tempeſtas evertere poſſit. Quis neſcit, in ſapientiſſimo viro, nunc apoplectico, omnes confeſtim animæ facultates opprimi, ut in eo licet vivente adhuc & ſpirante nullum cogitationis veſtigium ſuperſit, & quicquid tot annorum cultu congeſtum fuit, ſubito quaſi incendio deflagraſſe videatur. Moris quibusdam eſt, in puras & mixtas animæ operationes diſtinguere, quaſi hæ ſolæ, nunquam illæ corporis ſui commercio & conſenſu indigeant. Sed quis unquam apoplecticorum, ſub illo preſſi cerebri & ſenſorii communis intervallo, pure cogitavit, vel hujus ſibi conſcius fuit, cum profligato morbo ad ſe rediret. Nam cum iis, qui multa cogitare animam poſſe, quorum ſub omni attentione ſua non ſit ſibi conſcia, vix arbitror diſputandum eſſe. Illud autem ex dictis elucet, eandem ſenſorii communis conditionem, quæ in externis ideis recipiendis viguit, perſiſtere in ſenſus interni exercitio, & reddere ſub juſta attenti animi vigilantia non

priſtinas ſolum ideas, ſed & revocare ſimul iis connexas impreſſorum motuum notas. Id volo, cum omnes nervi ſenſibus dicati in infinita illa varietate rerum varie adficiantur, has differentias motuum in parte tam tenera, molli ac ſenſibili impreſſas non ſtatim evaneſcere & aboleri, ſed iterata inprimis actione confirmari, licet in quo proprie conſiſtant, ſine metu erroris definire vix liceat.

§. IV.

Si ſenſorio communi impreſſa a rebus externis mutatio ſic perſiſtit, ut aliarum rerum actione non deleatur, manet idea ſimul nata animo præſens, & quoties ei vel volenti vel etiam invito ad ſimilis cauſſæ actionem renaſcitur, & renatam conſcientia comitatur ejus iam olim perceptæ, memoria dicitur. Ita nempe in fluxili momento præſentis cogitationis continetur ſenſus ejus iterum præſentis. Hujus mater eſt attentio animi, quæ conſpectum imaginis figit, & ſenſorium commune in eo ſtatu retinet, in quo idea, quam volumus retinere, nata fuit. Dum ſopiuntur omnia & ſilent, actio vnius rei diſtinctior, vividior, frequentior ad illam animi attentionem firmat memoriam, ut recognoſcat facilius. Hæc vis recognoſcendi tribuitur a R. VIEUSSENIO *g*) altius impreſſis a ſpiritu animali in centrum ovale cerebri notis, vel ut clarius PHIL. VERHEYEN (*h*) mentem explicat, ſpiritus illos motus ab actione cauſſarum externarum impreſſos crebro repetens, vias, quas perfluit, reddit ſenſim liberiores faciliores que, ut per easdem deinde motum conſimilem ſine nova rerum externarum actione repetat, ſive determinetur ab imperio animæ, dum dedita opera recordamur, ſive interna & naturali cauſſa, qua ex inproviſo recurrunt varia. Igitur qui pro mera idearum cuſtodia memoriam habent, quæ ciſtæ inſtar res ſuas adſervet & reddat, hinc pro ſenſu interno agnoſcere nolunt, convinci facile poſſunt, nihil eſſe in tam cruda ſimilitudine argumenti. Eſt mens ipſa, quæ ſub dictis corporis conditionibus & recipit ideas & retinet, & opportune promit, hoc eſt, ſentit præſentes eſſe & citra actionem

g) *L. I. de cerebr. C.* 23. *ad finem.*
h) *Anat. corp. hum. P. II. T. III. C.* 24.

actionem cauſſæ externæ revocari poſſe, aliisque animæ facultatibus conſiderandas ſiſti. Sedem memoriæ ex parte conditionis corporeæ in eodem cerebri loco eſſe, quo omnis ſenſus naſcitur, iam ſuperius expoſui. Erant olim, qui in aure quærebant, & hinc in iudicio aurem tangere teſtibus ſolebant, ut rei geſtæ memores eſſent *i*). ARISTOTELES collocat memoriam, ubi phantaſia, hanc, ubi ſenſus communis, nec male hactenus, modò non cordi tribueret *k*). CARTESIUS ſpiritus e glandula pineali, ubi ideas receperunt, progredi in poros ſeu intervalla, & ibidem deſcribere figuras objectorum, autumat, qua repetita actione memoria perſiſtat *l*). Sunt, qui ſenſum in anteriori parte cerebri, memoriam in poſteriori, imaginationem in medio fieri docuerunt, contra quos ANDR. CAESALPINUS *m*) diſputat. TH. WILLISIUS *n*) cerebri ſuperficiem cavernoſam, PETR. LAURENBERGIUS *o*) partem capitis poſticam, STEPH. BLANCARDUS *p*) corticalem cerebri ſubſtantiam, HON. FABRI *q*) plexus circa ventriculos, quos retinam interioris cerebri vocat, H. G. HERFELT *r*), vias regales

i) *Plin. H. N. L. XI. C.* 47.

k) *De motu animal. C.* 4. *it. de memor. & reminiſcent. C. I.* Et quia tres cordis ventriculos ſtatuit, *de ſomn. & vigil. C. I. Hiſt. anim. L. III. C.* 3. medius aptiſſimus viſus pro ſede memoriæ, quia in eo quies optima cum aliis requiſitis. Hic deriſit GALENUS ARCHIGENEM, quod dogma ARISTOTELIS ſecutus in memoriæ læſione tamen ventoſam capiti juſſerit apponi, non pectori, in quo cor continetur.

l) *Tract. de hom. num.* 22.

m) *L. V. Quæſt. peripatet. Q.* 5.

n) *Anat. cerebri C.* 9. §. 3. ubi anfractus cerebri, plicas, gyros, cancellos requirit, & crebrum quaſi per orbitas illas motum, ut in iſtis tanquam diverſis cellulis ſenſibilium ſpecies reſervari, & data occaſione evocari queant: hinc plicas & convolutiones plures & majores in homine quam in alio animali eſſe.

o) *In prol. in Mnemon. Cic.* §. I. ponit in occipite tanquam duriori loco, hinc aptiori memoriæ, unde os occipitis os memoriæ dictum. Idem phantaſiam in ſincipite, intellectum loco medio juxta tempora conſtituit. Exſtat hoc LAURENBERGII *opuſc. in Miſcel. N. C. Dec. I. A. III.* p. 599.

p) *In lexico med. ſub voce memoriæ.*

q) *de hom. L. III. propoſ.* 9.

r) *in philoſoph. hom. L. II.* §. 205.

regales cerebri, MAR. CUR. de la CHAMBRE totum cerebrum, R. VIEUSSENIUS *s*), centrum ovale, pro domicilio memoriæ habuerunt. I. TH. BRINIUS uti anticum duræ matris proceſſum falcatum tanquam centrum meningum pro animæ ſede habet, ita memoriam in harum meningum tenſione & oſcillatione poſuit *t*). Quos omnes ſeorſim iuſtis rationibus convincere, vel etiam ex parte inter ſe conciliare, indicatis iam fontibus, qui ad veriorem quousque licet, ſententiam ducunt, ſuperfluum arbitror.

§. V.

Memoria igitur, quæ ſine dubio theſaurus bonorum animi & penus eruditionis eſt, nec ubi ſenſuum miniſteria elangueſcunt aliquando vel pereunt, auditus ſurdorum & coecorum viſus inepte adpellatur *u*), corporeis cerebri conditionibus maximam vigoris ſui partem debet. Ad id requirunt caput magnum *x*) poſtice protractum, rotundum, non ad coni vel cylindri formam inclinans, cerebrum autem amplum ſub convenienti temperie & certo tono blandæ impreſſionis capax, denique nervos conſimiles liberis viis ad ſenſoria decurrentes, & in iisdem agiles ſpiritus & tritas vias commode relegentes tanquam optimum ſpecierum vehiculum *y*).

Sub

s) *L. I. de Cerebro. C.* 23. ſpiritus putat in pluribus ſimul ovalis centri fibrillis motus obire, qui unius rationis ſunt cum eo, quos actio rerum externarum impreſſit, ut anima quaſi veſtigiorum notas advertens, præteritarum earundem rerum ideas ſub priſtino receptionis ordine iterum admittat.

t) *Diſſ. de ſpirit. anim.* §. 119. *p.* 294. *ſq.*

(*u*) Κωφῶν ἀκοὴ καὶ τυφλῶν ὄψις. *Plutarch de oracul. defect. Op. p.* 432. *B.*

(*x*) Hinc, qui parvi capitis ſunt & anguloſi, vel faſtigiati & acuminati, ut *Therſites* apud *Homerum*, tanquam ſpecula diſtorta, quæ rerum ſpecies non recte colligunt, ab auctoribus ut hebetes, ſtupidi & oblivioſi traduntur: de quo TH. WILLISIUS, TH. BARTHOLINUS & alii. *In novis Litterar. Germ.* 1705. *p.* 244. PAUL. GOTHOFR. SPERLINGIUS puellæ meminit ſedecim annorum, exilis admodum capitis, quæ adeo ſtupida fuit, ut vix orationem Domini ediſcere poſſet.

(*y*) Mavult *clariſſ.* JANTKE in *diſput. de memoriæ læſione* 1735. in nervis vel fibris meningum excitatos motus ad memoriam requirere quam ſpiritus animalis operam. *Sentimus*, inquit, *dum aliquid in memoriam*

Sub his bona memoria multos omni æuo admirabiles reddidit, z) ut DEMPSTERUM, qui profeſſus eſt ſe neſcire, quid ſit oblivio, vel ipſum PYTHAGORAM, qui memor, ſe in bello Trojano EUPHORBUM fuiſſe, ſcutum ſuum, quod alius deinde geſtavit, in templo ſuſpenſum agnovit. Sed hunc quidem ingenio potius quam memoria valuiſſe, ex hoc ipſo ejus tam lepido commento coniicere licet. Sunt qui diſtinguunt inter ſe memoriam, recordationem

revocare cupimus, non ſolum animum intendi, ſed & ipſum cerebrum aut potius membranas cerebrum involventes quaſi contrahi. §. 7. p. 3.

(z) Felicis memoriæ infinita exſtant exempla, ſæpe tam mirabilia, ut fas ſit adſenſum ſuſpendere. ALEXANDRO HOMERUM, DEMOSTHENI THUCYDIDEM, AVICENNÆ ARISTOTELEM, ERASMO HORATIUM & TERENTIUM, JANO DOUSÆ poetas omnes, SUARIO AUGUSTINUM, MODIO VEGETIUM, LIPSIO TACITUM, CAMERARIO HERODOTUM, auctores nempe toties lectos, fere totos obhæſiſſe, non nimis miror. At HADRIANUM IMPERATOREM libros ignotos et ſemel lectos ſine errore unius verbi recitare potuiſſe, teſte SPARTIANO, MUDÆUM, quidquid legit juvenis, nunquam oblitum ſenem, tradente BULLARTO, ad res refero, quæ fere extra humanæ obſervationis poteſtatem poſitæ ſunt. Id etiam ad jactantiam accedit propius, quod JASONUS MAYNUS promiſit, corpus nempe juris, ſi interierit, ex memoria ſua reſtituendum. Quod SENECA Rhetor. *in procem. ad L. I. Controv.* de ſe ipſo teſtatur, duo millia nominum, quo ordine dicta erant, ſe reddidiſſe, mirabile profecto eſt; etiam hoc, quod de HORTENSIO ſcribit, qui in auctione totum diem perſedit, & omnes deinde res, pretia & emtores ordine ſuo, ita ut in nullo falleretur, recenſuit; nec non illud, quod quidam recitatum a poeta carmen audiens clamaret ſuum eſſe, & protinus recitaret. Quibus multum diſſimile non eſt, quod de Jo. PICO. MIRANDULA FRANCISCUS in vita ejus ſcribit, audita ſemel carmina directo & retrogrado ordine cum admiratione omnium recenſuiſſe, & tenaciter retinuiſſe. Admirabilius autem eſt, modo verum ſit, quod ANT. MURETUS *var. Lect. L. III. C.* 1. de *Corſico* puero habet, ſex & triginta millia propoſitorum vocabulorum eodem ordine, quo audivit, recitare potuiſſe, imo poſt annum adhuc. Id quidem MURETUS ex ore pueri hauſit, aliud ipſe teſtis cognovit, dum ſexcenta vocabula variarum linguarum mixta, barbara etiam & nihil ſignificantia, & ab alterius calamo excepta, protinus puer eodem ordine nec hæſitanter recenſuit. Sane inter varias fabulas admixtas negandum non eſt, multos viribus memoriæ prorſus ſingularem in modum excelluiſſe, inter quos adhuc refero MITHRI-

dationem & reminiſcentiam. Memoria ſpecies conſervat *a*); recordatio reddit vel ultro obvias vel ſub levi attentione; reminiſcentia obrutas, confuſas vel deletas per ſocias adhuc vigentes & ſuperſtites revocat. Ponit aliquam intermedii temporis oblivionem, & per res notas in ejus, quæ excidit, cognitionem redit. Neque vero apud omnes vocum illo limite diſtinctarum uſus eſt. Adquieſcunt plerique in nomine memoriæ, quam vaſtam adpellant, ſi multa & magna recognoſcit; fidam, ſi in nullis rei momentis fallit; vegetam & promtam, ſi clare recognoſcit & opportune reddit; firmam & tenacem, ſi poſt luculentum intervallum in aliis occupatum conſervat. Maxime has binas ſpecies conſiderant, tanquam raro inter ſe coniunctas, alteram, quæ recipit facile ſed & cito amittit, alteram, quæ ægre recipit ſed diu ſervat. Priori gaviſus eſt PORTIUS LATRO *b*), qui quo impetu dicere ſolebat, etiam ſcripſit & ſcribendo edidicit. Poſterior fuit CATONIS, ſtupidi ad percipiendum, ſed quæ ſemel percepit, tenaciſſime retinentis *c*): Sic ZENO CLEANTHEM comparavit cum tabulis durioribus, in quibus ægre inſcribitur, at inſcripta perſiſtunt *d*). Id quod reſpondet externi motus legibus, ubi leviora ad primum attactum fere moventur, ſed motum cito perdunt,

DATEM, Regem plus quam viginti gentium, qui tot linguis jura dixit, CYRUM, qui militum & nomina & vultum cognovit, APPIUM CLAUDIUM, qui omnes ſe *Romanos* memoriter & nominatim ſalutare poſſe dixit. Atque his ex vaſto numero eximiis ruſticum *Holſatum* addere licebit, qui teſte WIL. HULD. WALDSCHMIDIO, ſexagenario major & oſtiatim victum quærens loco aliarum precum, quas mendicantes fundere ſolent, totas recitavit conciones, in templis olim auditas, non omiſſis latinis, græcis, hebraicis, quæ primi auctores miſcuerant. *V. Eph. N. C. Dec. III. A. IX. X. O. XXXVIII.*

a) Vel apta eſt conſervare, unde in potentialem & actualem diſtingunt. Illam vocant diſpoſitionem cerebri aptam recipere & per ſenſum internum iterate recognoſcere. Sic aliquis bonam memoriam habere poteſt, licet ei parum mandaverit. Actualem vocant, quæ ipſas illas impreſſiones continet, licet actu non recordetur.

b) SENEC. *in proœm. ad L. Controv.*

c) PLUTARCH. *in vita* CATONIS p. 759.

d) LAERTIUS *L. VII.* p. 459.

dunt, graviora reſiſtendo plus virium a cauſa movente ſuſcipiunt & conſervant. Qui dividunt memoriam in intellectualem & ſenſualem, & hanc brutis *e*) communem, illam homini propriam dicunt, meminerint, neutram in homine ſeorſim exiſtere, utramque ſub læſione cerebri perire, quæ puris mentibus competat, nullam eſſe. Non infrequentior diviſio eſt, in naturalem & artificialem, quarum illa Naturæ beneficio, hæc artis cultui debetur. Atque hæc altera, modo ad ſalebras non deſcendat, negligenda nunquam eſt, neque naturalis ſub hoc neglectu perſiſtit. Vereor autem, ne ars illa, quam SIMONIDES COUS, qui octogenarius gloriatus eſt, neminem ſibi memoria parem eſſe, invenit *f*), & METRODORUS SCEPSIUS perfecit, ſub lima aliquot retro ſeculorum ad vanitates & ſpinas deflexerit. Memoriam, quam aliqui mechanicam dicunt, qua peritorum manus muſicorum organorum chordas & nervos impellunt, & ſuis fidiculis oberrant, in tenebris quoque & vix amplius attento animo, vix tangere hic opus eſt. Nemo non videt, adſueta muſculorum miniſteria leviſſimum quoque memoris animi nutum ſequi.

§. VI.

Memoria, vel diminuta vel abolita, dicitur oblivio *g*), quæ impotentiam animi res perceptas recognoſcendi vario gradu continet,

e) Nulli præter hominem memoria major quam cani, ait PLINIUS *H. N. L. VIII. C.* 40. Elephantos ſcribit rectores ſuos in juventute agnoſcere in ſenectute *ib. C.* 5. Formicis, quæ diverſa convehunt, altera alterius ignara certos dies ad recognitionem mutuam tribuit. *L. XI. C.* 30. De piſcium memoria *v. Martial. L. IV. Epigr.* 30. de leone ANDROCLUM ſibi objectum cognoſcente *v. Aelian. de anim. L. VII. C.* 48. An ſint animalia, quibus nihil memoriæ ſuppetat, diſputent poſt ARISTOTELEM, SCHOCKIUS, PET. GREG. THOLOSANUS & alii.

f) *Cic. L. II. de Orat.* §. 353. Domus SCOPÆ poſt egreſſum SIMONIDIS concidit & ruina oppreſſos cum humare vellent, internoſcere non licuit, niſi ex indicio SIMONIDIS, qui memor, quo loco quisque cubuiſſet, demonſtrator uniuscujusque ſepeliendi fuit & hac re admonitus didicit ordinem eſſe, qui memoriæ lumen adferret.

g) Obliviosorum hominum non ex re erit pauca ſed notabiliora exempla ſubjicere. Datur momentanea ex perculſo perturbatoque animo, quæ

ſinet, ex cerebri potiſſimum nervorumque vitiis nata, neque facile obſervantium ſenſum fallens. Sive enim tarda ſit in recipiendo memoria, ſive recepta perdat cito, ſive eo vitio laboret, ut neque prompte neque opportune reddat, nihil horum eſt, quod ſuis ſignis definire neceſſe ſit, nedum ipſum plenæ oblivionis gradum. Cauſſam quidem omnes præcipuo loco in cerebro quærunt, ſed dum nimiam ejus ſiccitatem & duritiem accuſant, quæ impreſſa motuum veſtigia ægre admittit renovatque, vel humiditatem & mollitiem nimiam, quæ impreſſa cito oblitterat *h*), idque ſenum, hoc puerorum exemplo illuſtrant; paucis ſane morbi conditio-

ſummis ſæpe oratoribus accidit. Ita SIMON GRYNÆUS, JO. FASEOLUS & alii ſub numerum auſpiciis hæſitarunt, ad tempus plane ſui immemores. Ipſe DEMOSTHENES ad præſentiam PHOCIONIS obmutuit & nihil dixit, quam hunc verborum ſuorum novaculam eſſe. Idem apud PHILIPPUM abrumpere ſermonem coactus eſt, continuatum ab AESCHINE. Id quoque THEOPHRASTO apud ALEXANDRUM contigit. Inter ſimiles animi turbas THEMISTOCLES momordit labia & vultus colorem mutavit. FRANC. ROBORTELLUS CAROLI V. laudes funebri oratione proſecutus in exordio ſtatim defecit. Nec diſertiſſimus vir JO. OPORINUS vinum ERASMO nomine Academiæ offerens adloqui eundem potuit. Locuti ſunt alii ſed inter perpetua ἁμαρτήματα μνημμονικὰ, quorum ipſos vehementer puduit. Ad R. MARESIUM ſcribit FRANC. OGERIUS, ſe in medio orationis curſu toties quaſi curru excuſſum iter per ſalebroſa loca pedibus abſolviſſe. Hæ nempe totius magis animi quam memoriæ nubeculæ ſunt, celeriter dilapſæ. At HERMOGENES rhetor poſt annum decimum & octavum ſic exuit memoriam, ut teſte SUIDA ad annum uſque octogeſimum viveret rerum omnium ignarus. DIDYMUS Grammaticus neſcivit ſenex, quæ ſcripſit olim & didicit. MESSALAM CORVINUM etiam nominis ſui oblitum eſſe ſcribit cum PLINIO SOLINUS. ANTONIUS CARACALLA in flore juventutis acutiſſimus philoſophus habitus, ſed in progreſſu ætatis tanta rerum omnium ac litterarum oblivione perfuſus eſt, ut teſte XIPHILINO nunquam didiciſſe aliquid, imo nec litterarum quidem nomen audiviſſe videretur. Noſtra ætate JO. SLEIDANUM, MELCHIOR ADAMI ſcribit, ne trium quidem filiarum ſuarum, vel admonitum reminiſci potuiſſe.

h) Ita cum aliis JUL. CÆS. SCALIGER *exercit.* 307. *ſect.* 28. durius cerebrum difficilius apprehendere, mollius recipere facile ſed minori fide & conſtantia ſervare ſcribit.

ditionibus, nec his niſi obſcure ſatisfaciunt. Maxima cauſſarum momenta latent in læſa capitis figura, medulla cerebri male conformata, preſſa vel ad motum & ſecretionem minus habili, nervorum denique & ſpirituum interceptis motibus ac viarum commerciis. Nulla ex his propior injuria eſt, quam quæ ipſum cerebrum tangit, ut fit a morbis ſoporoſis, caro, comate, lethargo & inprimis apoplexia, quibus aliquando profligatis malis, pervicax tamen memoriæ imbecillitas remanet. Plures certe ſunt morbi, ut cephalalgia & melancholia, inter acutos etiam frequentiores, qui nocendi vires ad cerebrum convertunt, ejusque ſufflaminant functiones, ut ipſa peſtis, qua a THUCYDIDE *i*) deſcripta liberati quidam neque deinde ſe ipſos neque neceſſarios agnoverunt. CHRISTOPH. a VEGA *k*) *Franciſcanum* refert peritum antea theologum, ex acuta febre eluctatum, nec litteras amplius nec rerum nomina tenuiſſe. Epilepticis quoque ex nervis crebrius concuſſis nil certius quam memoriæ labes imminet *l*). Hanc porro ex mania, quæ caput præ ceteris turbat BALTH. TIMAEUS *m*), ex hydrocephalo DOM. PANAROLUS, ex calculis in falce repertis A. VATERUS *n*) deſcribunt. Non poteſt ſine dubio tam molle & tenerum cerebrum irruentium humorum impetum & obſtruentium ſtaſes diu ſuſtinere, quin ex ſtatu naturali ſemel dejectum a priſca functionem norma conſtantius recedat. HENR. AB HEERS *o*) in quadragenario oblivioſo cerebrum reperit durum, ſiccum & ſumma parte digitis friabile & flaveſcens, circa ventriculos & baſin molle adhuc ſed vitiati coloris. In aliis tumor corporis calloſi repertus *p*), in aliis ſiniſtra cerebri pars laxata & dura mater livida *q*). In his quidem lentus corruptionis progreſſus apparet, celerior eſt cauſæ externæ violentæ. Plane abolitam memo-

i) *Hiſt. L. II. p. m.* 112.
k) *C.* 10. *L.* III. *de arte medendi.*
l) *Fel. Plater O.* 7. *& Miſc. N. C. A. IV. & V. O.* 154.
m) *in caſ. med. Caſ.* 8. *p.* 17.
n) *in diſſ. de vuln. cerebri.*
o) *obſ. med.* 3.
p) *Fel. Plater. O.* 51.
q) *Theoph. Bonet. in ſepulchr. L. I. ſect. X. O.* 2. *p.* 208.

memoriam ex percuſſione occipitis Elias Camerarius r) & ex vulnere ſclopeti Greg. Horstius s) notant, quibus congruit, quod ex Rondeletio Th. Iordanus t) refert de ſtudioſo Monſpelienſi, ad ſimile vulnus rerum omnium adeo oblito, ut Lutetias ad diſcenda iterum litterarum elementa rediret. Caſus ex alto apud Plinium u) & matris & propinquorum memoriam ſuſtulit. Apud Nic. Tulpium x) famulus quidam litteras ad tabellarium laturus in occipitium ob lubricam glaciem ſupinus procidit, ut nec nominis ſui, nec domus, unde veniſſet, nec litterarum, quas adhuc continebat, meminerit, ſenſim vero recordaretur longe præteritorum. Ictus lapidis referente Val. Maximo y) litterarum unice oblivionem peperit. Guil. Fabr. Hildanus z) ingenioſum vidit puerum depreſſo violenter cranio ſtupidum & oblivioſum.

§. VII.

Remotarum cauſſarum ultima etiam vis cerebro & nervis infeſta eſt. Sub cœlo & aëre craſſo *Bœotii* olim ſtupidi habebantur, quales Eustachius Rudius a) in Tyrolenſi Comitatu reperit, cauſſam in aëre, crudis aquis, vini penuria & uſu panis cum ſemine papaveris confecti quærens. Dubium non eſt, craſſos ſub impuriori cœlo & parum agiles ſpiritus, vias, quas memoria faciles & expeditas poſtulat, languide meare & remeare. Fer-

r) *Eph. N. C. Cent. III. O.* 56. *p.* 133.
s) *L. II. O.* 7.
t) *de peſtis phœn. Tr. II. C.* 2.
u) *H. N. L. VII. C.* 24. *it. Solin. C.* 2. Similia fere exempla habent *Eph. N. C. Cent. III. O.* 56. *it. Dec. II. A. VI. p.* 308. Sic Grammaticum legimus ex aſino ruentem litterarum oblitum eſſe.
x) *Obſ. L. IV. O.* 15. Tale fere eſt, quod Cneulinus de aurifabro refert, eum in platea lapſum occiput terræ alliſiſſe, ut mox neque liberos neque uxorem neque comites agnoſceret, imo hominem ſe eſſe ignoraret. v. J. Schenck. *obſ. L. I. de apopl. O. XI.*
y) *L. I. C.* 6.
z) *Cent. III. O.* 21.
a) *L. I. Pract. C.* 6.

Fervidus aer ſiccat nimis & teneros inprimis pueros gravius mul-ctat. DODARTUS pueri octennis & præcocis meminit, qui ſub canicula repente omnium, quæ didicit, oblitus eſt, adventante tempeſtate frigida intra triduum recuperavit memoriam, ſed & denuo amiſit ſub novo aëris feruore *b*). Aetatis magna ſine du-bio ratio eſt: nam in ſenibus *c*) collapſæ viæ difficilius releguntur, in pueris ipſa mollities & humiditas motum propagare vetat. Inedia ſurripit cerebro novum ſpirituum commeatum, hinc in virgine aliqua apud HORSTIUM, cum poſt longam inediam comedere rurſus inciperet, oblivio & ſtupor mentis ſucceſſit. Ex inedia, labore & vigiliis, quin & ex victu tenui memoriæ noxam GALENUS *d*) jam olim obſervavit, & ZACUTUS LUSITANUS *e*) ſuo proſecutus commentario eſt. Inter cibos memoriæ infeſtos cepas maxime PETR. FORESTUS adcuſat, ARNOLDUS VILLANOVANUS etiam allium, porrum, legumina & caſeum. MARCI ANTONII exercitum, ex Parthia reducem, eſu certæ herbæ perdidiſſe memoriam, nec niſi poto vino recuperaſſe, ſine hoc ſuccubuiſſe, teſtatur PLUTARCHUS *f*). Inter hæc nempe ſunt, quæ ſtimulo ſuo placidos & naturales ſpirituum motus turbant. Quod maxime de generoſioris vini immoderato uſu valet & de crebra ebrietate, quæ PLINIO *g*) mors memoriæ dicitur. Ab excretionibus præter Naturæ ordinem ſuppreſſis non minor ob retentum ſtimulum injuria in cerebrum & nervos redundat.

A

b) *Hiſt. de l'Acad. R. des ſciences* 1705. *p. m.* 72. *O.* 14.

c) Inter facultates animæ nulla eſt, quæ ſeneſcentis corporis vim certius ſentit quam memoria. Id quod harmoniæ præſtabilitatæ auctores valde angit, quibus id quidem imaginari licet, præviſæ cogitationum ſeriei datum corpus eſſe motibus opportunis ex lege fabricæ ſuæ congruens, id nunquam concipere poſſunt, ipſam cogitationum vim in progreſſu ætatis hebeſcere & deficere.

d) *L. III. de loc. adfect. C.* 5.

e) *de morb. princ. Hiſt. L. I. H.* 43. *p. m.* 82.

f) *Op. T. I. p.* 937. *B.*

g) *H. N. L. XIV. C.* 22. *Ad oſtentationem, inquit, virium & plene infundunt, ut ſtatim evomant, & rurſus hauriunt tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam illa effundi non poſſint niſi per humanum corpus.* De ſpiritu vini *v. Eph. N. C. D. II. A. VIII. O.* 220.

A menſium vel lochiorum vel hæmorrhoidum ſuppreſſione crebro nata eſt memoriæ labes *h*). Sed idem fieri ab excretionibus nimiis, ut magnis hæmorrhagiis eo minus mirabile eſt, quod, quæ cerebri functiones ſuſtentare debebant, intempeſtive ſubtrahantur Oblivionem ex ipſa venæ ſectione poſt OLAUM BORRICHIUM notavit PETR. ROMMELIUS *i*) Vix autem aliud ex dictis propius tangit ſedem cerebri, quam vehementior animi adfectus. Ex ſubito terrore CÆL. AURELIANUS *k*), ex terrore & frigore CHR. FR. PAULINI *l*), ex triſti & inopinato caſu AUGUST. THONERUS *m*), ex mœrore BALTH. TIMÆUS *n*), ex ira propter repudium JO. JAC. MANGETUS *o*), læſam memoriam teſtantur. Non hic prætereo intenſiora ſtudia & magnas cum vigiliis occupationes. Teſtis GALENUS *p*) eſt de memoria pene perdita vigilis hominis & in proſequendis ſtudiis acerrimi. Immodica autem Venere *q*) nihil eſt, quod ſpiritus exhauriat magis & exſiccet cerebrum, totumque corpus emaciet. De medicamentis, philtris & venenis ſuppetit quoque obſervationum ſylva. A potione medicata Gothorum Rex BAMBA incidit in rerum omnium oblivionem. A philtro juvenis inter graves hæmorrhagias & alia mala convaleſcens & ſuum & fratris nomen oblitus eſt, rerum omnium & literarum rudis *r*). Ab opio deletam memoriam

h) *Ph. Salmuth. Obſ. med. Cent. O.* 82.

i) in matrona ſexaginta annorum, *Eph. N. C. Dec. II. A. V. O.* 140. *p.* 280.

k) ex APOLLONIO refert, ARTEMIDORUM Grammaticum inopinato terrore, cum crocodilum conſpexiſſet, memoriam amiſiſſe.

l) *Obſ. med.* 102. de ſexagenario in fluvium lapſo.

m) *Conſult. med. L. V.*

n) *L. I. Caſ. med. Caſ.* 2. *p.* 20.

o) *Bibl. med. pract. T. III. p.* 374.

p) *Lib. III. de loc. adfect. C.* 5.

q) PHIL. SALMUTH litterati meminit, qui conjugi juveni & laſcivæ, ut placeret, aphrodiſiacis uſus ſenſit naturam labefactari ad ſummam fatuitatem. *Conſ. I. obſ.* 61. Speciatim de læſione memoriæ ex nimio Veneris uſu *diſſ.* 1691. *edidit Altorfi* G. W. GILGIUS.

r) *H. ab Heers obſ.* 13. *p. m.* 131. Ex cerebro catti ſylveſtris ſiccato & loco febrifugi dato funeſtum abolitæ memoriæ damnum deſcribit. C. F. PAULINI *obſ. med. XVI.*

moriam deſcribit TH. WILLISIUS *s*) & ſimile ex longo uſu aquæ papaveris rhœados damnum LAZ. RIVERIUS enarrat, qui aperto cranio cerebri ventriculos vidit humore nigro repletos.

§. VIII.

Semper ſonticum & grave malum eſt memoriæ vitium, tum ob partis tum functionis læſæ nobilitatem. Quid enim ad ſtudia, ad negotia & ipſum vitæ civilis cultum magis ineptos reddit? Nec concipi facile poteſt hæc memoriæ noxa, quæ non plerumque ad reliquas animi facultates, tam arcto vinculo conexas, ſe diffundat. Quid enim ſtruere judicium in illa idearum penuria, quid componere ingenium poſſit, cui res illæ, quorum ſimilitudinem vel diſſimilitudinem luſtrat, ſubtrahuntur? Licet vero in ſe funeſtum raro ſit illud memoriæ deliquium, ut plurimum tamen curatu difficile eſt, inprimis chronicum & radicatum. Unicum ſui ævi medicum fuiſſe GALENUS ſcribit, qui hic auxilium tentavit, licet exiguo ſucceſſu. Graviſſimum eſt hæreditarium vitium, aut ex gravioribus capitis & cerebri morbis relictum, cum ſtupore animi & ſomnolentia. Fieri quidem non nego, ut ipſi hi morbi, cephalalgia, paralyſis, lethargus, epilepſia, quibus memoriæ vis obtunditur, cedant aliquando, vel Naturæ vel artis armis. Sed illud fieri vix ſolet, ut ſi ceſſerint, reſurgat ſemel labefactatæ memoriæ virtus. Elangueſcit aliquando in ſanis repente & ſine febre, quod, ut latentiorem in cerebro cauſſam arguit, ita in ſubitam plerumque apoplexiam erumpit. Philtra & venena vehementem nervis vim inferunt, ut læſa inde memoria per reliquam ætatem hebes & infida perſiſtat. Spes major medelæ viget, ſi interpolatum vel periodicum malum eſt, vel recens vel a cauſſis externis natum, & in corpore ceteroquin vegetiori. Hæ cauſſæ externæ, ut contuſio, ſub apparente ſævitia ſæpe celeriter miteſcunt. IO. BENED. GRUNDELIUS *t*) ſocerum ſuum refert curru dejectum, contuſo occipite nec locum, quo proficiſcere-

s) *Pharm. rat. P. I. p.* 308.

t) *V. Eph. N. C. Dec. II. A. VI. O.* 147. *p.* 308.

ciſceretur, nec negotia ibidem peragenda, nec alia ſciviſſe, at ſopitis brevi commoti cerebri turbis in ipſo illo itinere ad plenum memoriæ uſum ſubito rediiſſe. Oblivio, quæ a frigore & humiditate nata eſt, & ſomnolentia nariumque & oris excrementis ſe prodit, ſanabilior habetur, quam quæ a calore & ſiccitate eſt, cum pervigiliis & humorum orgaſmo conjuncta. Ingruens tamen cum rigore vel poſt eum oblivio teſtis eſt caloris nativi nimis oppreſſi. Frigus aliquando in toto militum cohorte per montes nivoſos iter faciente memoriam exſtinxit *u*). Puerorum vacillantem memoriam confirmat progreſſus ætatis, ſenum *x*) diminuit, quorum nervos frigus & ſiccitas ſtringit & rigefacit, idque etiam magis poſt acriora ſtudia & volatilium ac ſpirituoſorum abuſum. Addere hic licet abuſum remediorum mnemonicorum, ſub quo CHR. FRANC. PAULINI *y*) binos vidit doctores theologiæ eo redactos, ut alter nominis ſui oblitus omnia inepte ageret, alter in ſenio prima grammatices elementa repeteret.

§. IX.

Medela cerebrum & nervos tueri contra injurias, & nativum robur vindicare nititur, cognitisque remotarum cauſſarum viribus oppoſita virtute occurrit. Quæ vulgo commendantur nervina cephalica, aromatica cum ſialagogis & errhinis, ut radices calami aromatici, caryophyllorum, iridis florentinæ, zedoariæ, herbæ meliſſæ, betonicæ, ſalviæ, roris marini, flores anthos, lavendulæ, liliorum convallium, lignum aloes, rhodii, ſemina coriandri, pœoniæ, cubebæ, piper & alia, velut ex animalium claſſe maxime caſtoreum, ſolent apud multos fere totum medicamentorum, pro conſolanda memoria, catalogum efficere. Que non ex iis parantur aquæ, ſpiritus, liquores, electuaria, confectiones,

u) *V. Lud. Mercat. de interna morbor. curat. C.* 19.

x) Sic paſſim ſenes reperiuntur omnium obliti, ut ORBILIUS PUPILLUS, GEORG. TRAPEZUNTIUS FRANC. BARBARUS, PHIL. DECIUS & alii multi.

y) *Obſ. med. phyſ. XVI.*

fectiones, eſſentiæ, elixiria, balſama, olea? Quot infuſis, fomentis, cucuphis, lotionibus, frictionibus, inunctionibus & emplaſtris, quæ vel ipſi ſuturæ coronali abraſis apillis imponere ſolent, utuntur? Sed vereor, ne talia præter frigidos, humidos pituitoſosque, non niſi paucos conſolentur, alios etiam exſiccando ſtimulandoque lædant. ZACUTUS LUSITANUS z) vinum ſuum ex calidis hujusmodi præparatum, unguentum & gargariſma invidendis exornat laudibus, quaſi rudiſſimis & aſinini ſtuporis a) divinam memoriam concilient. MICH. ETTMULLERUS cubebarum præſtantiam in acuenda memoria in ſe ipſo expertus eſt. CAMERARIUS thus inſtaurare memoriam, LEMNIUS eidem ſuffitum ligni aloes prodeſſe cenſuerunt. JO. TRITHEMII pulverem ex ſeminibus conſtantem toties ab aliis jactatum Jo. WOLFFIUS b) deſcribit. Nolim in his, quibus fere obruimur, deſcribendis occupari, illos potius ſcopulos hic noto, ad quos, qui calidis ſemper pugnant, nimis impingere metuo. Unde factum eſt, ut confectio anacardina ab aliis ſapientum, ab aliis ſtultorum confectio dicta ſit. Eſt oppoſitus morbi ſtatus, ut in febribus acutis apparet, ſub quarum vi memoria ſæpius periclitatur. Semper prudentis medici oculus ad peculiarium cauſſarum indolem dirigitur. Nunc ſuppreſſas excretiones reſtituit, menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, ſub quibus crebro reſurgere memoriam experientia docuit. Dici vix poteſt, quam ſubito per dejectiones mucoſas & bilioſas, etiam ſolius Naturæ ope natas, levata fuerit oppreſſa memoria. Sic vidit ANT. BENIVENIUS c) rediiſſe memoriam hominis, qui amicos, quos diſcernere non potuit, permutatis nominibus compellavit. Hinc purgantium eminuit virtus, ut ex maſſa pilulari de ſuccino *Cratonis*, extractis fumariæ, centaurii minoris aliisve, maxime iis, quæ per epicraſin conſtantiori virtute repurgant. Nunc diſpendia

z) *Prax. hiſt. L. I. C. 9. p. m. 219.*

a) *L. II. ſect. III. C. 4. p. 378.*

b) *Lect. memorabil. T. I.*

c) *de Abdit. C. 47.*

dia ex nimia Venere tempeſtive ſarcimus, in quibus calidis uti præceps in exitium via eſſet, cum his præter abſtinentiam ab illis venereis conflictibus ſalubris alimonia ſub moderata excercitatione ſuadenda, qua perditæ vires ſpiritusque ſenſim reparantur. Pathemata animi, ut maxime in cerebrum & nervos agunt, ita ſub mœrore & anxiis curis memoriam debilitant: ubi non ſolum neceſſariis refouendus animus eſt ſolatiis, ſed & ad alia, quæ languentes cerebri functiones excitant, ut ipſa muſicæ harmonicæ oblectamenta deflectendum eſt. *Cretenſium* olim mos erat inter muſicos concentus leges perdiſcere, ut firmius hærerent *d*). In inertia ſolidorum & languore motuum electuaria ROLFINCII, FORESTI, MICHAELIS, quæ roborant nervos & confortant memoriam, vel balſama idonea, quale eſt oleum myrrhæ, quod temporibus & occipiti inungendum GREG. HORSTIUS *e*) tantopere laudat, vel aquæ multæ compoſitæ, inter quas non infimum locum aqua magnanimitatis PETR. LAURENBERGII habet, congruunt. Hic cucuphas ex herbis cephalicis cum ſimili balſamo JO. LUDOV. HANNEMANNUS *f*) vidit puerpuræ firmaſſe memoriam, quæ nec matrem amplius agnoſcebat nec differentiam ſexus, ſed promiſcue viros feminas, feminas viros adpellavit. In illis morbis, qui cerebrum maxime adfligunt, efficaciſſimæ virtutis revulſio exigitur, ut a copia irruentium humorum vitioque & infarctu liberet. Multum hic adflictæ memoriæ levaminis cucurbitulæ ſpondent, quæ capiti adplicari ſimul & crura ſcarificari GALENUS jubet *g*). Majorem vim, ſi ea opus, cauteria exſerunt. M. A. SEVERINUS *h*) nuchæ adplicat, neque ad loca futurarum admovere veritus EPIPH. FERDINANDUS *i*) teſtatur plures ex abolita memoria ægros aliosve ſtupidos ſanatos fuiſſe. Pari ſucceſſu OLAUS BORRICHIUS feminam,

d) AELIAN. *Hiſt. var.* L. II. C. 39. & ATHEN. *Op.* L. XIV. p. m. 626.
e) *de tuend. ſanit.* C. I.
f) *V. Eph. N. C. Dec. II. A. IV. O.* 54. *p.* 128.
g) *L. III. de loc. adfect. C.* 4.
h) *Pyrotechn. chir.* L. II. P. I. C. 4. *hiſt.* 47.
i) *Hiſt. med. hiſt.* 47.

feminam, cui ex retentis menſtruis contumax oblivio nata erat, cauterio occipitis ſanatam refert *k*). In leviori uſtione poſt aures & in occipitio inſtituta adquieſcit PETR. FORESTUS *l*). Congruit ſetaceorum & veſicatoriorum poteſtas, maxime vero fonticulorum in hoc morbo præſtantia famam meruit. Speciatim de fonticulo ſuturæ coronalis tanquam magno vitiorum memoriæ remedio JO. HADRIAN. SLEVOGTIUS *m*) docte diſſeruit. Profuerunt hic aliquando ipſa capitis vulnera, quali CLEMENS VII. Pontifex Romanus adfectus tam felicem inde memoriam retulit, ut quæ ſemel legeret, nequiret unquam obliviſci *n*). Si in aliis ſæpe graviſſimis morbis læſæ memoriæ radix eſt, hæc ſine dubio exſcindenda & remanens interdum memoriæ imbecillitas leniſſimis nervinis & moderatis excercitiis corporis & animi refovenda eſt.

§. X.

Ope etiam diæteticorum præceptorum conſervanda memoria eſt & roboranda. Caput ab injuriis vitioſi aëris tueri, attritas corporis vires cibo ſalubri & leniter condito refovere, ſecretionum adminicula ſub juſtis corporis excercitiis ſuſtentare, ipſum caput fricare ſæpius & pectinare convenit. Sed nihil par eſt perpetuo memoriæ exercitio, extra quod nulla animi facultas facilius inertia & ſitu corrumpitur. SOCRATES litteras vocabat ingeniorum peſtem, quod his notis confiſi homines memoriam minus exercerent. Indos legimus ſine litteris omnis ævi res geſtas & memorabiles animo complexos eſſe, & a parentibus traditas poſteris reliquiſſe, deinde vero in ſindonibus ſcribere orſos jam minus memoriæ ſuæ conſuluiſſe *o*). Et hodie ſentiunt multi, ſi

k) *V. Act. hafn. Vol. II. O.* 78. *p.* 195.
l) *Obſ. L. X. O.* 32. *p.* 356.
m) *in proluſ. inaug.* Maxime in cacochymicis fonticuli in brachio, veſicatoria in vertice, ſetacea in nucha.
n) *Franc. Petrarch. rerum. memorabil. L. II. C.* 15.
o) *Alex. L. II. C.* 9. Conſtat quoque Aegyptiis cum nullus litterarum uſus eſſet, non defuiſſe tamen omnis ævi memoriam: Adſediſſe majoribus juniores, & ex illis vetuſta repetentibus ſenſim totum vetuſtatis ſchema

ſi fateri velint, librorum fiduciam inter cauſſas eſſe neglectæ memoriæ. Qui ſenibus ajunt parum fidam memoriam eſſe, non quidem immerito inter cauſſas referunt, quod ſenectutis injuria primum in rem tam fragilem ac delicatam incurrat *p*). Verum altera & fortaſſis potior cauſſa eſt intermiſſa, cum noſtri arbitrii ſimus, tam conducibilis memoriæ exercitatio. Queritur SENECA *q*) quod memoria, quæ apud illam juvenis depoſuit, reddat tanquam recentia ſine cunctatione, at, quæ intra proximos annos commiſit, ſic perdiderit, ut etiam ſi ſæpius ingerantur, toties tamen tanquam nova audiat. Certe ſenex in excercitiis pergens, & cum CICERONE non tam pro ſenectutis quam ignaviæ vitio oblivionem agnoſcens, minus periclitatur, quippe gnarus, ut rurſus cum SENECA loquar, quæ in uſu ſunt & manum quotidie tactumque patiuntur, nunquam periculum ſitus adire, ita etiam quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriæ nunquam ſubduci, quæ nihil perdit, niſi ad quæ ſæpe non reſpicit. Inde divinæ memoriæ ſenes occurrunt, ut LAURENT. BONINCONTRIUS octogenarius, APOLLONIUS THYANEUS centenarius & hoc etiam ſenior ROBERT. CONSTANTINUS. Certior ſane memoria eſt, quæ nullum extra ſe ſubſidium habet. Ab arte vero, ut Naturam adjuvet, id maxime requirimus, ut ordinis ſolertior cura conſpectum rerum fortiori intuitu ſiſtat: vix enim, quod rude & indigeſtum eſt & naturali nexu deſtitutum firmiter obhæreſcit. Alterum eſt ſcribendo ſe exercere ſub qua mora attentionis animus plenius imbuitur. Ita BARTHOLUM oblivionis incommoda legimus aſſidua commentatione reſarcire ſolitum. Noſtro ævo magnum LEIBNITIUM plurima novimus ex optimis fontibus excerpſiſſe, ſed per eandem operam ſic animo

hauſiſſe. Ita Druidarum mos erat ſemper ediſcere aliquid, quod crederent, qui litteris confiderent nimis, minus ſtudere memoriæ. AIMON. L. I. *de geſtis Francorum* C. 6. Athenienſi perditos ſuos commentarios deploranti bene olim ANTISTHENES reſpondit: iſta non chartis ſed animo inſcribere oportuit.

p) Id accidere, quod tot rerum ſpeciebus jam impreſſis novum non reperiant locum ARISTOTELI olim viſum eſt, *Probl. IV. S.* 30.

q) *L. III. de benefic. C.* 2.

ſmo impreſſa, ut evoluere iterum opus nunquam habuerit. His major exercitatio ſuccedit, qua CATO olim, quicquid de die egit, veſperi inter ſodales retractavit. Certe repetere audita, viſa, lecta & quotidie inter amicorum examina recognoſcere, pulchre omnia infigit animo. Quæ ars præterea tradere ſolet ſubſidia, tanti non ſunt. Nihil hic opus eſt præceptis THEODECTIS, SIMONIDIS vel HIPPIAE. Si ROGERIUS BACO virum ſedulum & litterarum tenacem, ut omnium ſcientiarum ſuarum participem redderet, quadrantem vel dimidium annum poſtulavit, & triduum tantum, ut in lingua græca, quæcumque ſcripta eſſent, intelligeret, futilis jactantiæ merito coarguitur. Quid ars Lulliana promittat, quid proſint imagines illæ, picturæ, emblemata & cetera ſigna ac characteres, in quibus JORDAN. BRUNI, KULEMANNI, KIRCHERI, SCHOTTI, CLAVII aliorumque infinita opera deſudavit, nolim proſequi. Sunt, qui adſueſcere his non poſſunt, alii adſueti exciderunt ſubito tam lubrica poſſeſſione, unde graves viros ſerio dehortari audias *r*). Atque de hoc jam quædam ſuperius dicta ſunt.

r) H. C. AGRIPPA nebulones vocat *de vanit. ſcient. C.* 4. EDMUNDUS RICHERIUS JORD. BRUNUM ipſe ineptientem Pariſiis & adoleſcentes infatuantem audivit meraſque tricas, & pro luce umbras ſe retuliſſe ſcribit. *Obſtetric. anim. C. X. O.* 4.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
SILENTIO MEDICO.

PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ d. 15. Sept. 1752.

RESP.

HENR. BALEMANN.
HOLSATO.

§. I.

Loqui raro & neceſſaria & paucis, Epicteti præceptum eſt *a*), loqui autem ignorat, qui tacere non didicit. Ideo admirabilem virum, *Marcum Cæſarem* Julianus dixit *b*), qui noſſet ubi vel loqui vel tacere conveniret. Neque vero eloquentiſſimis viris quidpiam de gloria ſua detraxit hoc cohibendæ linguæ vinculum. Quis *Ulyſſe* facundior, cui Homerus taciturnitatem tribuit? quis copia dicendi Epaminondæ par, quo nemo plus ſcivit & pauciora dixit *c*)? Medici vero ſilentii, quod hic commendamus, auctor haberi poteſt ipſe Pythagoras, qui ut maxime cœleſtem eſſe ex omnibus medicinam dixit *d*), & urbes

a) *Enchirid.* C. 38.
b) *Julian. in Cæſ. Oper. p. m.* 328. *D.* dicitur *Marcus* διαγινώσκων λέγειν θ᾽ ὅπȣ χρὴ καὶ σιγᾶν ὅπη καλόν.
c) Apud Plutarch. *de audit. O. T. II. p.* 39. *B. Spintharus* teſtatur, ſe cum nullo rem habuiſſe, qui plura noſſet & pauciora diceret.
d) Apollon. *Epiſt.* 23.
e) Aelian. *hiſt. var. L. IV. C. XVII. p. m.* 369.

bes ἰατρεύσων magis quam διδάξων perambulavit *e*); ita nil ſuos prius quam tacere docuit *f*). Animus eſt oſtendere, quod tempeſtivum medici in arte facienda ſilentium ſit res ſapiens & omni oratione potior *g*). Uti non eſt in aliis rebus tutius rerum adminiſtrandarum vinculum; ita & medicorum auribus ſæpe illud CLEANTHIS ingeri debet: σίγα σίγα λεπτὸν ἴχνος *h*).

§. II.

Silentium medicum vocamus officium prudentis medici, nihil, quod celare fas eſt, propalandi, nihil, quod pudorem & famam ægri lædere, ejusque fiduciam in artem medicumque diminuere poſſit, conſueta multis loquendi intemperantia, admittendi. HARPOCRATES ori impoſitum digitum tenens inhibet mutilas de Deo hominum ſententias *i*). Quod imitatus ALEXANDER M. arcanas litteras legens HEPHÆSTIONI pro more inſpicienti non obſtitit quidem, at detracto annulo ſigillum ori impoſuit *k*). Habet etiam medicina, quæ ſacra & arcana honeſto ſilentio ſupprimit, ubi audire & tacere non beneficium eſt, ſed fides. Patet, quando VIRGILIUS mutam artem dixit & ingloriam *l*), nihil in ejus opprobrium dici. Dum muta eſt, dum nihil de iis, quæ ſibi commiſſa ſunt, jactat & gloriatur, inſignis meriti

f) SIDON. APOLL. *in conc. L. VII. Ep. 9.* Prius tacendi patientiam quam loquendi doctrinam demonſtravit. Ita poſt longam taciturnitatem locutos quisquis audiret, tacuit.

g) σοφὸν εὔκαιρος σιγὴ καὶ παντὸς λόγου κρείττων. PLUT. *de educ. liber. Op. T. II. p.* 10. E. & *de garrul. p.* 504. *H.*

h) DIOG. LAERT. L. *VII. ſegm.* 172. *p. m.* 474.

i) PLUTARCH. *de Iſid. & Oſir. Oper. T. II. p.* 378. *C.*

k) *Ejusd. Apopht. Oper. T. II. p.* 180. *D.*

l) VIRG. *Aeneid. L. XII. v.* 396. *Japis*, cui *Phœbus* optionem dederat vel artium medicarum, vel augurii citharæque:

Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Olim, inquit *Clericus*, manus & medicamenta loquebantur pro medicis: major certe dicacitas & jactantia apud augures erat. At, ſi verum eſt illud veterum, μεγάλη παίδευσις σιωπή: juſtior gloriæ cauſſa pro muta medicina pugnat.

meriti gloriam habet. Sunt caſus, non modo circa lectulos ægrorum, ſed & circa forenſia de ſuſpectis judicia, qui hic ſingularem medici ſilentii prudentiam requirunt. Non hæc excludunt varias loquendi opportunitates, dum in ſalutem ægri inquirit medicus & neceſſaria adminicula commendat. Certe quam reprehenſionem meretur os futile, in eandem incurret per negligentiam ſilens. Damnamus utrumque, & ſecundum AUSONIUM *m*);

Multa loquens & cuncta ſilens, non ambo placemus.

Tria igitur erunt conſiderationis noſtræ capita. Primum, quid ex ſilentio medico in ægros redundet commodi? alterum, quid in artem? tertium, quid in ipſos medentes? ſuccincte expedient.

§. III.

Ratione ægrorum officia illa ſilentis medici, vel pauca & opportuna loquentis, a primo ejus ingreſſu recenſebimus. Prior & potior ejus cura eſſe nequit, quam tranquillum & pacatum decumbentis animum reddere, antequam, quid ejus morbo ſuppetiarum opponendum ſit, decernat. Fugere juſſit HIPPOCRATES *n*) omnem citra ægros ſtrepitum. Quanto magis ipſe medicus caveat, ne ad dormientes forſan vociferando & cum impetu, ruſticorum more introeat, uti cum *Galeno* ait J. BOHNIUS *o*): quo expergefacti ægroti & ſæpe perterriti non ſine indignatione conqueruntur, noxam ſibi inde oriri, unde ſalutem exſpectarunt. Taciturnus ergo & ſuſpenſo gradu medicus accedat lectulos ægrorum, hosque de acceſſu ſuo præmonitos modeſto vultu & paucis ac placidis verbis alloquatur *p*). Hoc maxime de

m) AUSON. *Epiſt.* 25. v. 47.

n) de decenti ornatu XI.

o) GALENUS *L. VI. Epidem. Comment. IV. Text. IX.* J. BOHNIUS *de officio medici duplici Cap. IV. pag.* 75.

p) Ita admonet medicos H. BOERHAAVIUS in *introduct. in praxin clinicam* §. 29. Moderari ipſam adeo vocis magnitudinem & ſonum penes ægrum juſſit GALENUS l. c. Apprime huc ſpectat illud *Franc. Boſelii in Amalth. medico hiſt. Apparat. III. C.* 29. *p.* 525. Vocatus ad ægrum

de iis notandum, quibus plus reverentiæ debetur, & a quibus omne offendiculum majori cura removendum eſt. Ita vocabant olim cubiculum anterius, ex quo ibatur in ipſius principis cubiculum, ſilentium, & cubicularios ibidem, ſilentiarios *q*). Erant autem, & etiamnum ſunt in multis aulis ex medicis.

§. IV.

Quum vero e ſolo ægroti adſpectu morbi vera ſpecies atque indoles nondum pateſcat; utique ſciſcitando in ſumma eorum, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, capita inquirere licebit; ſi modo fiat coarctato ſermone, quod HIPPOCRATES in ingreſſu ad infirmos tantopere laudat *r*). In tanta & tot morborum varietate difficile quidem eſſe videtur juſtum certumque omnibus quæſtionum numerum præſcribere attamen eas tantum non omnes ad ſequentes retulit HIPPOCRATES *ſ*): quæ patiatur æger? ex qua cauſſa? quot jam diebus? an venter auſcultet? & quo victu utatur? Hæc paucula, ad quæ reliqua non incommode reduci poſſunt, & quædam forte, quæ ſexum propius ſpectant, ſufficere arbitror in ægro, quem ſuperfluis morari copioſisque quæſtionibus obtundere,

medicus, ſedeat, & absque riſu, citra & manuum geſticulationem, & pedum elevationem, & corporis contorſionem, & veſtituum extenſionem aut contractionem, hilari facie ad ægrum converſa, cognitn viſuque neceſſaria inſpiciat, & conſtans in ſermone non nimium celeri, ſed apto & blando, de quibus fas & opus eſt, interroget, eumque patienter audiat narrantem, ſi nihil præpediat eum fari; ſin nequeat, aut nolit referre, admoneat, ut per aſtantem ſiat relatio, quem apte interrogare, attenteque debet auſcultare.

q) *ἐπιςάτας τῆς ἀμφὶ τὸν βασιλέα σιγῆς* vocat AGATHIAS *ad hiſt. arcan. Procop. p.* 103.

r) *De decenti ornatu IX.*

ſ) *De Affect. XXXVI.* Sufficere has teſtatur quoque *Jul. Cæſ. Claudinus* de ingreſſu ad infirmos L. I. C. III. His exacte & diligenter examinatis facto in proprio intellectu diſcurſu, morbi primum ideam & eſſentiam cum propria ſede, atque cauſſas illius cognoſcere, ac intelligere; poſt hæc ſcopos curativos ſibi proponere, futurum eventum cum ſuo tempore præſagire, materias medicas invenire & inventis recte uti valebit,

tundere, & reſpondendi moleſtias augere nefas eſt. Nam illos non tango, quibus mitior morbus loquaces, quales ipſi ſunt, medicos commendat.

§. V.

Neceſſariæ autem maxime licet fuerint hæ ad ægrum quæſtiones; non tamen putet medicus, ſe in proferendis illis neutiquam limites transgredi poſſe. Facillime hic peccat circa primam præcipue, ſecundam & quartam harum quæſtionum. Quodſi enim in ingreſſu ad ægrum ita jam vel ipſis oculis patent omnia; ut vel ſtupidiſſimus intelligere valeat, quæ æger patiatur; vel ſi de iis adhuc inquirit, de quibus ultro conſtare ſibi poterat; ineptum eſt, poſtulata ad talia reſponſione ægrotantem adhuc fatigare. Concinne reſpondit ille apud WALDSCHMIDIUM æger medico intempeſtive & juſto crebrius ſciſcitanti: quæris tu adhuc, ubi doleam? quære, ubi non doleam *t*). Apparet facile, in prima ægri viſitatione potiſſimum medicum hanc, niſi ſuo indicio præveniat æger, proferre debere quæſtionem, minus in ſequentibus. Præterea enim, quod tunc temporis repetitæ tales quæſtiones moleſtæ ut plurimum eſſe ſoleant ægris, ſuſpicionem adhuc facile iisdem excitant, de minus juſta medici ad ſe morbumque attentione, confidentiamque in illum labefactant. Id vero omnino congruit, ſi medicus ſub novis viſitationibus, an adſint adhuc, aucta itidem vel minuta, prius detecta ſymptomata, fuerit ſollicitus, & quicquid in proprios ſenſus incurrit, numquam copioſis quæſtionibus exploret.

§. VI.

In indaganda porro altera de morbi cauſſis quæſtione multo gravius adhuc ægrorum conturbare poteſt medicus animos, inprimis ſi illis ſcrupuloſe nimis eruendis inſiſtit. Medico quidem judice BOHNIO *u*) vitio verti nequit, ſi ægros veram morbi celantes

t) Op. Medic. pract. T. I. p. m. 170.

u) l. c. Cap. VII. pag. 146.

lantes cauſſam non reſtituit: fas tamen omnino eſt, ſui fallendi præſcindere occaſiones. Natum ex libidine gulaque morbum obſtinatius interdum ægroti diſſimulant, & alias cauſſas comminiſci, veras omnino reticere ſolent. Hic revera eſt medici, parcere pudori ægrotorum, nec eorum arcanis ſe temere ingerere *x*), ſed indicatis generatim errorum fontibus acquieſcere, maxime ſi ſcitu neceſſaria ex ipſo morbo aliisque circa lectum obſervatis & auditis non fallaci conjectura aſſequitur: quippe ubi contingere ſolet, ut ipſi ægri vel amici eorum quaſi ſui immemores & aliud agendo illud ſuggerunt, quod modeſtus medicus ſeveriori examine explorare non audet.

§. VII.

Non minorem prudentiam quarta medici requirit quæſtio, an alvus reſpondeat? Hæc cum non modo ad excreta & retenta alvi, ſed & aliarum partium utriusque ſexus, ſive ſecundum ſive præter naturam fiant, pertineat; facile liquet medenti eam prætereundam non eſſe, modum vero, quo in ejus cognitionem deſcendit, cautione, interdum etiam modeſto ſilentio, egere. Sæpe enim hæc quæſtio ſpectat ad obſcœnarum partium officium, de quo verecundius & cum periphraſi aliqua diſquirere oportet, vel veniam petere, ſi uſitatis vocibus uti neceſſe ſit. Quæ cautio inprimis circa virgines & recens nuptas locum habet, teſte Waldschmidio *y*), in propriam ſæpe perniciem multa diſſimulantes, maxime ſi medicus extra conjugium vixerit. Bene eſt, quod plerumque matrum, nutricum, aliarumque feminarum turba circumſtet, quæ medicum minori verecundiæ ſenſu & ultro inſtruit.

§. VIII.

Jam novum oritur medici officium, dictis quæſtionibus ſolutis, morbum in ſuo progreſſu indagandi. In hoc, ut nihil conturbet,

x) Non iis ſuccenſendum eſt, ſi quod ignoratum eſſe oportuit, nolint prodere: ſi alteri aperis, proditor tui in alterius fidem confugis, qui ſi tui ſimilis eſt, periiſti; ſi melior, præter rationem ſervaris, invento, qui tibi ſit quam tu ipſe fidelior. Plut. *de garrul. Op. T. II. p.* 506.

y) Op. Medic. pract. T. I. p. 299.

turbet ægrum, vel ipſum nomen morbi, ſi majoris momenti ſit, occultare fas eſt. Fieri enim ſolet, ut ad mentionem ejus, aliis toties funeſti, æger contremiſcat, & adeo neceſſariam animi quietem uno momento perdat. Omnia caute ſunt removenda, quæ inſtans periculum, excitato metu vel terrore, reddunt funeſtius. Probant novellæ, Delphinum, qui variolis nuper decubuit, in longa morbi ignorantia relictum, & medicorum, qui ſic quieti animi proſpexiſſent, prudentiam extollunt. Præſtat malignas & acutiſſimas febres pro ſimpliciter acutis, ex quibus plerique evaſerint, venditare, & in chronicis morbis impuritatem ſanguinis & ſimilia accuſare. Sed limitatam cupio hujus ſilentii legem. Admonendus enim omnino ſui periculi erit, qui evadere nequit z), ut mature cœleſtia cogitet, & rite ea componat, quæ ad domum & cognatos pertinent. Sub ambiguo morbi progreſſu adſtantes ſunt commonefaciendi, in difficili rem eſſe, ne, quod Celsus *a)* ait, ſi victa ars malo fuit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videamur, & ut pariter, quæ ſaluti ægri conveniunt, tempeſtive curent. Ceterum manifeſtum eſt, multos morbos mitius tranſituros fuiſſe, ſi ſpem ægri erigere, & ſedare animum, quem ſæpe vis morbi minus, quam terribile ejus nomen proſternit, multi didiciſſent. In morbo contagioſo cautum cum ægris commercium iis, qui rebus ejus inſerviunt, ſuadendum eſt *b*). In his omnibus conſtantia medici magnam laudem reperit, ſi ad periculi obtutum non mutat vultum, nullum fluctuantis animi veſtigium prodit, ſed blanda & grata conſolatione ægrotum erigit, ſub luculentis officii ſui & ſollicitudinis argumentis. E contrario omnem fiduciam abolet nota terroris in facie medici *c*).

§ IX.

z) Admonere ſub ſpecie periculi J. Bohnius jubet, *l. c. C. VIII. p.* 187.

a) *L. V. C.* 26. *p. m.* 283, quæ etiam eſt ſententia Boselii *Appar. III. C.* 22. *p. m.* 468.

b) Jubent hoc J. Bohnius *l. c. C. IV. p.* 94. & Valentini *in prax. medic. infallib. T. I. p.* 172.

c) Merito M. B. Valentini *in Animadverſ. in Mach. Med. p.* 48. monet, ne medicus, ſi pulſus debilitatem obſervet, ſuſpiria ducat, vel humeros contrahat, vel oculos verſus cœlum elevet, aliisque geſtibus periculum aliquod, ægro obſervante, ſubeſſe ſignificet, ne terrore perculſus æger omnem tum medico, tum medicamentis fidem deneget, vel

§. IX.

Quemadmodum ex dictis elucet, notitiam de morbo ejusque periculo non niſi ſub juſtæ prudentiæ legibus ægro & adſtantibus concedendam eſſe: ita illos hic coarguo, qui in deteriorem ſemper prognoſin proni plus ſibi laudis & munerum promittunt, ſi ſerventur ægri, minus opprobrii, ſi pereunt *d*). Non hæc honeſto medico congruunt, ſed ignaro & ignorantiam ſuam celanti. Ipſe quidem HIPPOCRATES dixit, pleraque faciendorum medicum occultare poſſe, & paulo poſt, nihil futurorum aut præſentium ægris indicare debere *e*); verum ipſe ſui interpres alio loco *f*) prognoſin juſtis rationibus innixam commendat, & ad fidem ſibi comparandam nihil efficacius ægrum commovere putat, quam ſi videat, medicum ex diligenti morbi ſcrutinio, quid nunc ſit? quid prægreſſum ſit? quid futurum ſit? cognoſcere, immo ægrotantium clandeſtinos errores detegere. Id vnice poſtulat HIPPOCRATES, ne in ſcientia illa, quæ ſibi tantum auctoritatis conciliat, futili & jactabunda conjectura nitatur, ſed caute omnis prædictionis fundamenta expendat.

§. X.

Aegrotum ſtatus ſui nimis curioſum, & minima, quæ eum tangunt, ex medico requirentem, non fallere quidem conſilii eſt, nec, quod ignorantiam prodit, nihil reſpondere: verum, ut citra noxam deſideriis ejus ſatisfacias, ſciendum eſt, quid capere

doctrinæ

de omnibus deſperando pereat. *Confidentia in medicum*, inquit H. BOERHAVIUS *ſæpe ſummum eſt cardiacum, non ergo medico erit vacillandum.* Conf. J. BOHNIUS *l. c. C. IV. p.* 46. Quanti hæc fiducia medico ſit in praxi argumenti, nobile exemplum de ALEXANDRO M. morti jam proximo refert CURTIUS *L. III. C. IV.* Similem fere caſum recenſet M. B. VALENTINI *in animadv. in Mach. Med. p.* 17.

d) Valet de his illud CELSI *L. V. C.* 26. *Hiſtrionis eſt, parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur.* Conf. J. BOHN. *l. c. C. IV. p.* 46.

e) *de decenti ornatu* XI.

f) in initio ſtatim *Prænotionum.*

doctrinæ tuæ? quid ferre præſagii tui poſſit? Futile eſt, rudi homini artis ſubtilitates enarrare; ineptum, timido homini novas metuendi cauſſas, quas ſæpe morbus comites habet, ſollicite exponere. Fas tamen eſt, ut diſcernat medicus eruditos & honoratiores homines a ſentina plebis *g*), neque omnes exiſtimet, luce illa carere, qua inſpicere conſiliorum ſuorum rationes poſſint, vel illo robore animi deſtitutos eſſe, quo triſtia etiam præſagia moderate ferant. *h*) Et docte reſpondebit medicus, & plerorumque deſideriis congruenter, ſi tempus, quo durat morbus, eventum ejus, & viam eventus prædicit *i*). Nam pleniorem morbi ideam & cauſſam indicare, quod CLAUDINUS ſuadet *k*), tutum & expeditum non eſt, tum quod illi, qui artis gnari non ſunt, difficulter ad illum gradum cognitionis perveniant, & ſiniſtre multa capiant atque interpretentur, & non repertis cauſſis, quas animo ſuppreſſas ipſi celarunt, vel ſibimet ipſis finxerunt, fluctuare, & de progreſſu medelæ dubitare incipiant; tum quod diſſenſus medicorum & recenſitæ citra neceſſitatem ejus rationes confundant ægrum, & fallacis artis ſuſpicionem inſpirent. Sunt ſæpius cauſſæ, quarum nomen non poſſit non ægroto & adſtantibus injucundum videri, & hinc eorum adſenſum ſufflaminare. Ita ſi quis epilepſiam vel luem veneream infantis ab hæreditate paterna vel avia derivet; offendet eorum aures, quorum hic res agitur. Ipſa idea morbi ægris

g) *μήτε βουλάτην μὲ θεράπευε, μήτε ὡς σκαπανέα, ἀλλὰ διδάξας πρότερον τὴν αἰτίαν* ad medicum dixit *Ariſtoteles* apud AELIAN. in *var. hiſt. L. IX. C. XXIII. p. m.* 612.

h) Tales, quaſi triplici circa pectus aere muniti, contemnere interdum mortem, immo ut metam aerumnarum exſpectare ſolent. Hoc caſu cum aliqua ſpe morbi periculoſus exitus ipſi ægro ſecundum GALENUM *6. epidem. comment. II. Text.* 43. eſt indicandus. BOSELIUS *Appar. III. C.* 22. *p.* 469. duos admittit caſus, ubi periculum ipſis ægris indicandum, ſi nimirum moroſi fuerint & proterui, & ex abſentia periculi medico obtemperare noluerint; alterum, ſi ad pœnitentiam permanſerint contumaces, & monita ſalutaria in craſtinum ſemper diem diſtulerint.

i) GALENUS *de præſag. ex pulſu L. IV. C. XI.*

k) *de ingreſſu ad infirmos L. I. C. III.*

ægris tradita nec reddet tranquilliores, neque, dum partem tantum ejus capiunt, multo doctiores. Hæc generatim attingere, & ſuam ſpondere vigilantiam ſatis eſſe putat J. Bohnius *l*). Aegri eſt, notas morbi ſui cauſſas proferre; medici, in has & alias tectiores inquirere, & ex conſpicuo effectu, quæ cauſarum offenſa fuerit, dijudicare. Ergo brevis ſit medicus, & cum imperitis maxime, quod Hippocrates inculcat, parum confabuletur, nec niſi de neceſſariis *m*). Confundit eos, non inſtruit.

§. XI.

Quali ſilentio opus ſit in ipſa morbi medela, jam attingere ordo jubet. Occurrunt ægri meticuloſi ſæpe & ſuſpicioſi, aut ſaltem tam moroſi, ut licet ipſi medicum elegerint, cui præ reliquis præcipue confidunt, velint tamen in partem conſilii & præſcribendorum medicaminum rationes deſcendere. Student oppugnare, quæ diſcrepant a ſententiis ſuis. Miſer profecto medicus, cui ſors ſua tales ægros obtulit! Niſi enim conſentiat, vel palam eligunt alios, vel conſulunt clanculum *n*), omiſſis & ſepoſitis, quæ prior præſcripſit. Hic igitur quid faciat? an Thessalum imitetur, qui, ut gratiam ſibi conciliaret, præbuit Romæ nobilioribus ægris, quicquid cuperent, ſive conveniret, ſive minus *o*)? Sane optabilis eſt ægrotantium favor *p*), ut multi non dubitent, etiam imperioſis mulierculis, ad lectulum ægri confluentibus, & ſua conſilia haud cunctanter interponentibus, interdum adſentiri, quantum per rectam rationem fieri poteſt *q*). Sed

l) *l. c. C. IV. p.* 85.

m) *de decente ornatu VII.* Conf. Boselius *App. III. C.* 29. *p.* 531. & J. Bohnius l. c.

n) Quæritur de hoc jam Hippocrates *de decenti ornatu X.* & inde jubet, *l. c. XII.* curam ægrotorum, medico abſente, non imperitis, ſed diſcipulis potius tradere, qui in arte progreſſus jam fecerint.

o) Galen. *de meth. med. L.* I. *C.* I.

p) Hunc ſibi conciliandum ſuadent Hippocrates *de dec. ornat. II. & IV. Idem in Præcept. IX.* Galenus *L. VI. epid. comment. IV. text.* 9. Boselius *Appar. III. C.* 22. *p.* 480. & *C.* 29. *p.* 526.

q) Conſilium hoc etiam dat J. Bohnius *l. c. C. IV. p.* 46.

Sed ad abſurda, quæ proferunt vel optant, conniuere, dedecet profecto verum artis alumnum *r*). Certe ægroti, dum medicum vocant, ejus ſimul conſilio obſequium promittunt. Sufficit, medicum in iis gratificari, quæ non lædunt *s*). Id ſi fecerit, jam regulam Asclepiadis obſervat: jucunde ſanandum eſſe ægrum. Ita moleſtis medicaminibus eum non obruit; alia, quæ horrorem excitant ægro, vitat; nec ea interdum miſcere dubitat, in quæ præ reliquis ægri fiduciam ſuam collocant; denique in vitæ regimine, quod dimidiam probæ medelæ partem abſolvit, non nimis auſterus eſt, & inter cibos potusque Hippocratis canonem attendit, qui hic jucunda melioribus ſed injucundis, & conſueta deteriora inſuetis ſalubrioribus præfert *t*). Præcipue aliquid hic indulgendum eſt, ſed moderate, feminis in pica & malacia, quibus appetita noxia vix ſine periculo negantur, monente J. Bohnio *u*) & M. B. Valentini *x*).

§. XII.

Atque in his omnes medici in ægrotos conſiſtant gratificationes. Abſit ut ab illo, vel adſidentibus, tractandi morbi præcepta accipiat, quod ignari, timidi & ſervilis animi eſt *y*). Potius, quid acturus? quam viam medelæ ingreſſurus ſit? occultet medicus, ne bis miſeri fiant ægroti, partim dum actu patiuntur, partim dum imminentia mala præſentiunt. Eadem de virtute remedii morbum oppugnantis, licet de ea ſollicite quærant, neget

notitiam,

r) *Non ab idiotis*, inquit Hippocrates *in præcept. II. eſt inquirendum, ſi quid conferre viſum fuerit ad curationis occaſionem.*

s) Hippocrates *L. VI. epidem. ſect. IV.*

t) *in aphoriſm. ſect. II. Text. XXXVIII. & L.* conf. J. Bohnius *C. IV. p.* 76.

u) *l. c. p.* 79.

x) *in prax. medic. infall. T.* 1. *p.* 88.

y) J. Bohnius l. c. C. 10. p. 75. Platnerus in dicta oratione medicos, ait, ab omnibus deſpici, qui ægrorum ineptias ac ſtultitias non ſolum devorant, ſed graviſſimas etiam injurias Spartana nobilitate concoquere videri volunt.

notitiam, ſolo, qui inde exſpectandus eſt, effectu ſpem confirmet. Videas enim tutiſſima quoque & efficaciſſima remedia, dum innoteſcunt, in cenſuras incidere z). Hinc, ſi illis opus eſt, quæ ægrotanti olim ſuſpecta viſa, licet circumſpecto uſu tuta ſatis ſint a), ars celandi, quæ metum noxæ ab ægro arcet, laudabilis ſilentii ſpecies eſt. A multis abhorrent ægri & vetant ea præſcribere, vel præſcriptis tribuunt ſiniſtri effectus cauſſam. Sed & tunc apparebit, tectis illis & ſub aliena miſcela latentibus, ipſoque nomine mutato, optime uſum votis reſpondiſſe b). Si dubia fuerint, & periculi plena, ne infamiam arti concilient, ut ſit in ſectionibus chirurgicis, utique prius cum ægro vel agnatis de neceſſitate remedii, vel, ſi negligitur, de noxis inde redundantibus, ut blande animi commoveantur, colloquendum eſt.

§. XIII.

Eſt & aliud, quod in curationis limine cautum ſilentium exigit. Sæpe morbus, vel ex ſua indole, vel ægri culpa, tam complicatus eſt, & ſub ingenti phænomenorum varietate ambiguus, ut vix verum genium vel Argo oculatior ſtatim agnoſcat, & expertiſſimus medicus, cui primum malo obviam eundum ſit, hæſitet. Lux quidem ſolidæ inſtitutionis medicæ diſſipat ſenſim offuſas tenebras, & quæ ſpectanda maxime ſint? ex quibus materiæ medicæ fontibus remedium hauriendum? ſub juſto examine aſſequitur; poteſt tamen aliquamdiu non niſi conjecturis locus eſſe, & tunc maxima cautio requiritur, ne æger vel adſtantes incertum medi-

z) Hujus cenſus ſunt: divinus iſte cortex Peruvianus, emetica, jalappina aliaque purgantia fortiora, mercurialia, antimoniata, opiata, ammoniacalia, oxymelita, acida fortiora &c. de quibus judicium ſuum prudenter ſuſpendere præſtat, quam vanum timorem ægris injicere.

a) Valere enim & de his poteſt dictum illud Hippocratis *de arte VII. Quæ profuerunt, ob rectum uſum profuerunt; quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt.*

b) Suadet hoc de ipſo cortice Peruviano ill. Werlhofius *in obſerv. de febrib. Sect. V. §. III. Si in ægrorum ſalutem dirigatur, ipſe probo, ut nomen remedii prudenti tegant diſſimulatione, dum id ſub alius tituli involucris ſtrenue deglutiendum propinant.*

medicum, &, quo ſe vertat, ambigentem deprehendant. Compoſito vultu, conſtanti animo ac brevi ſermone, qui dubitationis ſuæ proditor non ſit, neceſſaria ediſſerat, & domi ſcrutando meditandoque ad pleniorem omnium notitiam adſcendat.

§. XIV.

Aliud huc ſilentium refero, leve ſpecie, ſed, quod crebro hic multi impingant, non negligendum. Sunt, qui ægrorum majorem ſibi videntur gratiam conciliare, ſi de commodis vel incommodis præſcripti medicamenti quædam ſuggerunt. At vix perpendunt ſatis, quantum hoc modo ſcrupuloſioribus noceant. Ita ajunt, bonum & compertæ fidei medicamentum eſſe, ſed plenum nauſeæ & draſticæ virtutis *c*). Quid opus erat, alterum addere? cum mollior ſæpe & delicatior æger his perterritus, moleſtiam medicamenti plus metuere incipiat, quam injurias morbi, hinc vel plane non hauriat, vel ſummo tædio, quod certe infringit ſalutarem effectum. Tutius eſt, ſilere de his, quæ non tam docent ægrum, quam inutili implent ſollicitudine. Hæc qui cavet facile poterit, quicquid moleſtiarum oritur, aliis & fortuitis cauſſis tribuere.

§. XV.

Neque illud attentione noſtra indignum eſt ſilentium, quo ægrotanti nihil eorum, quæ in aliis ejusdem temporis ægris cum aliqua turpitudinis nota occurrunt *d*), cognitum reddimus. Ponamus, ſcabie, impetigine, lue venerea, alios laborare, cujus rei ſi notitia emanat, æger, ne contagium transferatur metuens, turbati animi & diffidentis evadet. Et vanum hunc licet metum de ipſa

c) Similiter etiam peccare poteſt, ſi amarum, dulce, odorum &c. fore, prædixerit remedium, dum ab amaris alii, alii ab odoris, a dulcibus iterum alii mirifice abhorrent.

d) Hippocrates *de adfection XXXV* refert huc lepram, prurituum, ſcabiem, impetigines, vitiliginem & alopeciam, quibus addere liceat totum ſyrma luis venereæ, & omnes morbos, qui revera aut ſaltem ex præjudicio quodam hominum ob contagium aliis ſunt periculoſi.

ipſa peſte habeat I. Bohnius, quod experientia duce non niſi a vere infectis hoc ſeminium propagetur *e*); eodem tamen auctore præſtabit, medica cum iſtis commercia reticere, neque, ut multi ſolent, prophylactica quædam manibus & ore volutare, ſub quibus æger non poteſt non cauſſam, cur id fiat, ſuſpicari. Optime ſibi & ægro conſulet medicus, ſi omnem de his ſermonem, etiam fortuito natum, abrumpit, ipſe vero infectus haud temere ad alios excurrit *f*).

§. XVI.

Noto adhuc generatim, cum circa lectulos ægrorum non ratiocinatione ſed auxilio opus ſit, curare ſemper medicum debere, ne illud Menandri in eum cadat: Medicus loquax ægrotanti novus morbus *g*). Non nego, blandum & affabilem medicum ægris & adſtantibus commendabiliorem fieri, & comitatem illam ab Hippocrate *h*), Claudino *i*), Boselio *k*), Bohnio *l*), Valentino *m*), Platnero *n*) merito laudari, at inter hæc menti

e) *l. c.* C. 4. *p.* 101.

f) Galenus *L. VI. epidem. comment. IV. text.* 9. *Non de unguibus, ſcabie, pilorum adfectionibus, vel alio id genus vitio turpi ſermonem penes infirmos faciat medicus. Hæc enim, ut jam præter naturam medicum pati, ſicut & morbum articularem vehementiorem, & aliquid ejusmodi aliud, turpiſſimum eſt.*

g) Ἰατρὸς ἀδόλεχος νοσῶντι πάλιν νόσος.

h) Ut aliis locis, ita & *de decent. orn. XI. oportet* inquit *medicum hilari ac ſereno vultu ægrum conſolari.*

i) *l. c. L. II. C. III. apprime* ait *decet medicum, ſi vena cuidam meticuloſo ſecetur, ut ſermonem de aliis rebus habeat.*

k) *l. c. C.* 29. *p.* 527. *moroſum* inquit *apud ægros medicum imprudentem eſſe & infeliciter vivere.*

l) *l. c. C. IV. p.* 82.

m) *in animadv. in Mach. Med. p.* 11.

n) *in orat. de ægris meticul. curand. medicum* inquit, *oportet eſſe animo compoſito erectoque, & ad jocandum etiam promto, ita, ut morbum fere negligere videatur.*

menti ſemper occurrat illud CELSI *o*): morbos non eloquentia, ſed remediis curari. Longe plus abſit omnis garrulitas, omnis aliorum medicorum obtrectatio, quam ingenuos & eruditos nunquam decere, plurimis autem ægris intolerabilem eſſe, poſt HIPPOCRATEM WALDSCHMIDIUS & VALENTINI graviter commonefaciunt *p*).

§. XVII.

Inter hæc minime credat medicus, præſente tantum ægro coercendam eſſe linguæ licentiam, ſed idem ei incumbit, cum aliis ſive ægrotis ſive ſanis verſanti, ut nihil ad hos, quod ad illum pertinent, temere emanet. Vix temperare ſibi poteſt æger, quin illius fidei, cui valetudinis ſuæ tutelam tradidit, talia interdum committat, quæ jactare & diſſeminare tutum & honeſtum non eſt. Hos ergo in ſcopulos ne quis illidat, ea nonnihil proſequemur, in quo peccare niſi prudenti facile eſt. Nondum officio ſuo jam ſatisfecit medicus ſi nihil eorum effutivit, quæ ad ſtatum ægri

o) *in præfat. d. medic. p.* 10. Congruunt verba HIER. GABUCINI L. III. *de comitial. morbo. Medicus itidem ut agricola & gubernator non eloquentia diſputationeque, ſed uſu fit*, & BOSELIUS *l. c. C.* XXII. *p.* 474. *decora & elegans eſt in medico eloquentia, ſplendet in cathedris, vel in foro apud ſubſellia, vel in conſultationibus publice ineundis ad mentis concepta ornate promendum. At in cubiculo apud ægrotos aut adſtantes locum non habet.*

p) HIPPOCRATES *in præcept. II. fallax* inquit *& ad errorem proclivis eſt affirmatio, quæ fit cum garrulitate.* Conf. WALDSCHMIDIUS T. I. *Op. med. pract. p.* 83. VALENTINI *l. c. p.* 11. & *p.* 22. *ægrotis* inquit *ſcurræ effuſique cachini æque grati ſunt, ac concentus muſici iis, qui ex funere parentum moeſti ſunt animi.* Quidni hic etiam aliorum perſtringam ſtrepitum, qui tanta copia non adeunt ſed obſident ægrotorum & præcipue puerperarum lectulos, ſermonesque per integras horas habent. De damno audi J. BOHNIUM *l. c. C.* XX. *p.* 385. *Interdum* inquit *amici cubiculum ægri intrantes ad demulcendum ejus animum, potius hunc exagitant, inquietum magis aliquando reddunt, viribus ejus evidenter derogant, & proſtratum hunc valde relinquunt, ac ſermonibus interdum ingratis atque odioſis vel ad excandeſcentiam, vel mœrorem, aliumque adfectum provocant.*

ægri pertinent. Plura ſub ſilentii vinculo comprehendit Hippocrates, qui generatim jubet, quæcunque inter curandum videris, aut audieris, vel etiam ad medicandum non adhibitus in communi vita hominum cognoveris, ſi efferre non contulerit, tacere, & tanquam arcana tecum continere *q)*. Id quod eorum negligentiam longe magis accuſat, qui nec in his frena iniiciunt linguæ, in quibus ſciunt, honorem ægrotantium manifeſtis periclitari, certe ab illis, a quibus acceperunt, ſub ſpe ſilentii tradita eſſe.

§. XVIII.

Non incommode fortaſſis ad quatuor morborum claſſes, quæ plus ſilentii a medico poſtulant, reſpicio. Prima claſſis illos morbos continet, quos ægri ſecretos eſſe cupiunt, licet non aliam voti ſui rationem, quam metum ſiniſtri judicii aliorum, adferre ſciant. Huc refero vermes adultorum, herniam, *r)*, fiſtulam ani *s)*, maniam, epilepſiam & alios ex convulſionum genere morbos, ut choream St. Viti, præterea podagram feminarum, & vitia formæ in ditiorum infantibus. Altera claſſis morbos comprehendit, non quidem ex turpi cauſſa natos, nec cum periculo contagii conjunctos, qui tamen ob loca, in quibus contingunt, aliquid turpitudinis præ ſe ferunt. Hujus cenſus ſunt omnia vitia circa organa ſexus. Tertium locum occupant, qui revera aliquid turpitudinis alunt, & famam ægroti lædunt. Hic primo loco eſt nigrum ſyrma ex peſſima libidine natum morborum venereorum, ſive homines circa partes, quibus peccarunt, graviter mulctet, ſive faciei & aliarum partium maculas, puſtulas & ulcera, capillorum & palpebrarum defluvium, inflammationem tonſillarum, laſſitudinem & gravitatem membrorum, ſimiliaque excitet. Non hic prorſus excludo impetigines, achores, lichenes,

q) *in jurejurando* §. *III.*

r) Cujus nomen jam aliquid dedecoris continet Celso *de medic.* L. *VII.* C. 18. *p. m.* 456.

s) Hanc cum hernia inter ſecretos morbos etiam refert J. Bohnius l. c. C. IV. p. 92.

nes, phthiraſes *t*). Agmen tandem ſecretorum morborum claudunt contagioſi, quibus citra noſtram culpam inficimur, ut peſtis, dyſenteria, rabies canina, ſcabies, petechiæ, variolæ, aliive. Non in omnibus par eſt ſilendi ratio. Præſtat tamen nunquam inepte & inconſiderate effundere, quod alienæ garrulitatis & cenſuræ fomentum fieri poteſt. Iſta niſi probe curet medicus, perdit fidem ſuam, & efficit, ut ægri celando omnia perire malint, quam eorum recenſione maculam famæ ſuæ inurere *u*). Sic honeſta taciturnitas & ornat medicum, & ſervat ægros.

§. XIX.

Duplici ratione in hac ſilentii ſpecie peccare poſſe videtur medicus. Primum eſt, ſi ipſe quidem, quicquid illorum ſit, quod diſpergi non debet, in ſinu ſuo continet; at non ſatis cavet, ne ex ipſis ejus factis & præſcriptionibus alii colligant, quæ anguis in herba lateat? Cum hodie non ut olim conceſſum ubivis ſit medicis, ipſa conficere pharmaca, ſed aliis, quibus nihil cum arte medica, niſi ut juſſa medici expleant, eſt commercii; fieri poteſt, ut hi ex ipſis formulis & commemorata in fine pharmacorum virtute, plus juſto ſapiant. Igitur in dictis caſibus abſtineat medicus ab omni virtutis mentione, quæ fieri in formularum ſubſcriptione ſolet, & de uſu & quantitate privatim inſtruat ægrotos. Alterum eſt, laudatum huc usque ſilentium non niſi in eo caſu rumpere, quo ſalus publica, quæ nobis ſuprema lex eſt, laborat. Ne ſerpat contagium morborum, & magiſtratus vigilantia in arcendo tanto periculo fallatur; ipſa conſcientiæ fides poſtulat,

t) quas turpiſſimum malum vocat WALDSCHMIDIUS *Op. med. pract.* T.I. p.938.

u) *Plerique* inquit cum CELSO J. BOHNIUS *l. c. C. IV. p.* 131. *propria culpa pereunt præſertim mulieres, dum pudore profuſæ ſecretiores corporis adfectiones revelare non audent, cum tamen neceſſe foret, ut liberius de his conquerentur.* Conf. HIPPOCRATES *de morbis mulierum L. I. §. LXXXVII.* Sic morbum mulieris, non niſi extra auxilii ſpem, ſibi demum fuiſſe indicatum, notavit WALDSCHMIDIUS *l. c. T. I. p.* 978.

poſtulat, ad avertendam majorem cladem ſuſpectos decumbentium morbos mature indicare *x*).

§. XX.

Hæc etiam laudem ſilentii in medico forenſi limitant. Varii hic caſus occurrunt, qui ſine multarum familiarum dedecore & læſione in vulgum efferri & omnium ſermonibus diſſipari nequeunt. At & occurrunt alii, de quibus omni fide inſtruendus eſt judex, licet e re ægrotantium non ſit. Multorum ſæpe fama, vita & ſalus a medicorum effato pendent, in quo præterea omnem feſtinationem vitare, & ſub juſta inquiſitione omnia ſollicite explorare, immo in dubiis etiam caſibus ſuſpendere judicium, vel ad peritiores provocare debent, & ſine omni dedecore poſſunt *y*). Hic merito judicibus probantur minus, qui nimis fuſe omnia exponunt, inutilia miſcent, & ad aliena excurrunt. Et hic fas eſt, temperare linguæ & calamo, intra cancellos officii ſe verecunde continere, & quod reos gravare vel excuſare poteſt, breviſſimis non minus quam luculentiſſimis argumentis denuntiare *z*).

§. XXI.

Tranſeo a laude ſilentii medici ratione ægrorum ad laudem, quæ inde in ipſam medicinam redundat. Palam eſt, gloriam artis ipſa ſalute agrorum niti. Hæc gloria, ut in omni ſalutari molimine,

x) Præcipue quidem hoc officium incumbit medico, ſi a magiſtratu poſtulatus fuerit, attamen huic, parentibus, agnatis, heris, conjugi, de iis, quæ ſibi credidit æger, exponere debet interdum medicus, etiamſi non poſtulatus fuerit ex. gr. ſi abortus vel infanticidii juſtus eſt metus, ſi matrimonium inſtat cum quadam morbo hæreditario adflicta. Plures caſus recenſet J. BOHNIUS *l. c. C. IV. p.* 93.

y) vid. J. BOHNIUS *l. c. P. II. C. II. p.* 548. *& C. V. p.* 619. *ſq.* Conf. BOSELIUS *l. c. App. III. C.* 29. *p.* 523.

z) *Vitet*, inquit J. BOHNIUS *l. c. P. II. C. II. p.* 551. *medicus teſtificari iuſſus quamvis prolixitatem atque ambiguitatem. Longius enim, quam res poſtulat, digredi, judicum animos defatigat, ac tædio adficit.* Conf. idem *C. V. p.* 613.

mine, quod rationem & experientiam tanquam fidiſſimos comites ſequitur, à muto etiam medico obtineri poteſt; ita ſub ſuccincta prognoſi plurimum eniteſcit. Non levis hæc artis noſtræ prærogativa eſt, judicante HIPPOCRATE, e præſentibus de futuris concludere & divinare *a*). Scurrilis, temeraria & præceps prognoſis dehoneſtat artem, & ambiguitatis ſuæ magis ſuſpectam reddit *b*); verum illa, quæ caute, graviter & paucis ex ipſis interioris artis receſſibus petita eſt, oraculi ſpeciem habet. Dixit olim Eulogius rhetor, ſilere oracula cœpiſſe, ut per os Galeni ægris conſulerent. Res eſt maturi judicii plena, inprimis cum non raro contingat, ut juſtam prognoſin novus ægrotantium error evertat. Monet HIPPOCRATES, nihil hic temere adfirmare, nihil contemnere *c*), & ſapienter inculcat GALENUS, tacere potius, ſi certi præſagii rationibus deſtituimur, quam temere pronunciendo falli *d*). Optime medicus artis tuebitur dignitatem, ſi inter morbi inprimis initia ſileat prudenter *e*), vel inter illas conditiones, ſi æger, quæ ſibi incumbunt, rite obſervet, & nihil novæ noxæ aliunde acceſſerit, ſententiam ſuam de progreſſu & exitu morbi juſte limitatam aperiat, & ſequentibus diebus ſub majori phænomenorum luce confirmet. Graviter in artem peccat, vel in ſe ipſum potius, qui certo morituros denunciat, quos alii poſtea vel naturæ vel alterius medici ope reſtitutos valentesque conſpiciunt. Atque ille, quanquam in poſterum tali, quem periturum dixit, reſtituat aliquando ſalutem, parum inveniet gloriæ *f*). Videtur HIPPOCRATES, ne quis ægroti con-

clamati

a) *Prædictor.* L. I. §. III.

b) *Hinc* inquit BOSELIUS *l. c. App.* III. *C.* 22. *p.* 467. *artis levitas, medici crimen, haud citra ignominiam remediorumque infamiam.*

c) *Epidem.* L. VI. *Sect.* II.

d) L. I. *de diebus decretor.* C. 12.

e) Conſilium hoc dat BOSELIUS *l. c.*

f) *Parum laudis,* HOR. GUARGUANTUS *in reſponſ. var. ad var. ægrot. p.* 273. *victoria habet, in qua plus fortunæ ludibrio actum eſt, quam hominum virtute vel conſilio proviſum.* Conf. J. BOHNIUS *l. c. C.* IV. *p.* 52.

clamati curam ſuſcipiat, paulo ſeverius dehortari *g*); ſane præmiſſo ſummi periculi præſagio extrema adhuc tentanda aliquando eſſe; cum aliis judicare malim *h*). Non eſt, ut ultimas naturæ vires triſti præſagio proſternas, quippe ſub quibus aliquando illos, de quorum ſalute deſperarunt omnes, revixiſſe, non vacat exemplis.

§. XXII.

Sunt inter ægros, qui ipſi, ex quo concludat medicus de morbo, lotium offerunt, vel ſimilia, reliqua celant; & niſi inde cognoſcat præſentem vel futurum morbi ſtatum, pro imperito habent. Hæc fallax in opprobrium artis prognoſis multum moleſtiæ medicis parit, qui nec perdere ſciſcitantium fiduciam, nec mendaci illuſione artis dignitatem contaminare volunt *i*). Sed dudum eſt, quod hariolandi ex lotio ars impuris empiricorum manibus ceſſerit, qui omnes fallendæ plebis verſutias exercent. Ingenuus medicus non dedignatur, ſi opus eſt, inſpicere lotium *k*), &, quæ inde de humorum indole cognoſcere poteſt, non prorſus nullius momenti eſſe, maxime in acutis, novit; at ex conjunctis omnibus morbi phænomenis longe plenius concludit, neque patitur, ſub ſolitario illo ſigno a frivolis & inficetis hominibus ſcientiam ſuam & fidem in præſagiendo tentari.

§. XXIII.

g) *de arte §. IV. & XXIII.* Conf. CELSUS *de medic. C.* 26. *p.* 283.

h) Horum ægrorum curam aliquando in ſe ſuſcipere ſuadent J. C. CLAUDINUS, *de ingreſſu ad infirmos L. I. C. VI.* & BOSELIUS *l. c. App. III. C.* 32. *p.* 575. *ſeq.* aliique multi.

i) De prognoſi ex lotio idem judicant H. BOERHAAVE *in inſtitut. medic.* §. 991. & 1017. Conf. *eiusd. comment. inſtitut. edit. Ill.* HALLERI *Vol. VI. p.* 318. *ſeq.* & 329. J. BOHNIUS *l. c. C. VIII. p.* 174. *ſeq.* & 181. *ſeq.* & VALENTINI *l. c. p.* 58. E ſanguine fallacem oriri prognoſin docet J. BOHNIUS *l. c. C. VII. p.* 157. *ſeq.* & VALENTINI *in animadv. in Math. med. p.* 64.

k) Veteres non dedecori hoc eſſe medico putarunt omnes, nec J. C. CLAUDINUS *l. c. L. I. C. III.*, nec WALDSCHMIDIUS *l. c. T. I. p.* 645.: attamen malunt plerique recentiorum, obiter & aliud quaſi agendo ab ipſo medico lotium inſpiciendum eſſe.

§. XXIII.

Artis præterea decus eſt, a dogmatum ſuorum commercio illos arcere, qui illorum inſpicere nervum exumque, non niſi obliquo & ſuffuſo oculo conſueverunt. Res ſacras ſacris hominibus demonſtrandas eſſe, idem fas non eſſe profanis, monuit HIPPOCRATES *l*). Prohibet cum BOTALLO J. BOHNIUS *m*) ægris & adſidentibus de cauſſis morborum & remediis multa enarrare, cum iis deinde intempeſtive & non conſulto medico utantur; vel faſtidiant cognita; aliquando etiam iisdem infauſtos morborum ſucceſſus attribuant. Ecquis medicorum neget, ex his cauſſis, minus hodie, quam olim, medicinam, ejusque antiſtites, in honore & exiſtimatione eſſe? Accidit ſæpe, ut remedia prædictam virtutem non exſerant, ſive temperies ægri, ſive novi ejus errores, ſive aliæ cauſſæ interveniant. Tunc ſtatim vileſcere incipit remedium, cui non reſpondit ſucceſſus, nec alio tempore niſi timide & ab invitis admittitur. Sæpe inverſo vitæ regimine ex emeticis catarctica, ex his emetica fiunt; ſæpe ex catarcticis ſudorifera; ſæpe etiam multa alioquin efficaciora nullam ſenſibilem actionem edunt, quod de ipſo opio & cantharidibus J. BOHNIUS notat *n*). Quodſi in his conſtans ille effectus non ſit, quem exſpectamus, longe minus in mitioribus pharmacis erit, & hinc illis, qui ejusmodi obſervationibus temere, neque inſtructis animis ſe immiſcent, ars fallax & ambigua habetur. Scriptos huc refero Germanico idiomate libros medicos, quibus medicinæ ſuppellectilem ignaris exponunt, ut ipſi jam audeant ſibi conſulere, ſique ſpes fefellit, artem contemnere. Arma hæc ſæpe ſunt in furioſorum manu *o*).

§. XXIV.

l) *in lege*, circa finem.
m) *l. c. C. IV. p.* 87.
n) *l. c. C. VII. p.* 164.
o) *Non ita lubrice, atque cum tanta facilitate admirabilis noſtræ artis arcana in vulgus ignarum propalanda ſunt, & lingua vernacula mulierculas diſcere diſputare, & impoſtores noſtris gladiis diſcere nos confodere. Ecquid ad mulierculas typis dare ſecreta?* G. BAGLIVIUS *oper. p. m.* 384.

§. XXIV.

Aliud, quod honorem artis lædit, eſt inconſulta eorum, quæ ſub nova viſitatione in ægrotis apparent, interpretatio. Fas eſt, ſi medicus ſub novo acceſſu res ægrotantis deteriores vel meliores notat, ut per aliquot ſaltem tempus obſervet ſilentium, & omnia diligenter callideque circumſpiciat; & de hoc primum perquirat, an omnem vitæ ordinem ſibi præſcriptum exacte tenuerit. Nam ſi ægrum, qui neglectis omnibus melius ſe habere naturæ interdum munere cœpit, ſub primo conſpectu in laudem & admirationem dati remedii trahere velit, riſum ei & adſtantibus movebit, qui probe norunt, artem, quam adeo extollit, hic nihil præſtiſſe. Neque e contrario, ſub deprehenſa in deterius mutatione anxius nimis de artis ſuæ ſaluberrimis præceptis ipſe dubitet, cum breve ſæpius examen incidentes creſcentis morbi rationes expediat.

§. XXV.

Conſultationum medicarum ambigui ſucceſſus non minus obfuerunt honori artis. Notum eſt illud MENANDRI: multi duces Cariam perdiderunt; multi medici autem perdiderunt regem. Negare, proh dolor non poſſumus, diſſenſus, diſſidia & obtrectationes medicorum ſufflaminare ſæpius fauſtum medelæ progreſſum, ut æger, qui ſub tot celebrium virorum conjunctis conſiliis res ſuas in vado eſſe ſperat, ſæpe præ illis, qui uno medico ſe committunt, periclitetur. Videas ſeniores, tot annorum experientia nixos, ad aſſerendam ſibi auctoritatem, ſpernere ab aliis prolata, ſupercilium attollere, & quicquid e placitis recentiorum promunt juniores, vilipendere. Hos etiam videas, ſub nova doctrina tumidiores, meras in priſcis ſententiis tenebras & errores ſuſpicari, & novas medendi leges ex ſubtiliori theoria ſua condere velle. Non ſunt artis lacunæ, quæ hic deſtituunt ægrum, ſed conflictus medicorum, gloriæ magis ſuæ, quam ægrorum commodo, litantium. *p)* Poterat via regia

p) Multas miſerias circa ægrum medicorum concertationes ex nulla alia cauſſa fieri, quam ne alterius videatur acceſſio, notavit jam PLINIUS *in hiſt. natur. L.* 29. *Sect. V.*

regia teneri, quæ ad notitiam & morbi, & cauſſæ, & remedii ducit; At pes commotorum hominum quam facile declinat! Sub ſilentio horum fluctuum reſurgit artis honor *q*) & majus ſine dubio faſtigium medicina attigiſſet, ſi ex omni ævo medici, ad domanda morborum monſtra, amico fœdere, & oculis in ſolam ſalutem ægri converſis, coiuiſſent.

§. XXVI.

Reſtat, ut etiam medicos videamus ſub juſto ſilentio rebus ſuis conſulentes, & omnium judicio amabiles. Quæ ægris? quæ arti debeant? vidimus; quæ ſibi? paucis adhuc conſiderabimus. Quamvis amplum exercendæ artis campum oprent, & oblatis occaſionibus, imbecillitates ægrotantium ſuo conſilio ſublevandi, ac bene de iis merendi merito gaudeant: omni tamen ſtudio caveant, ne obtuliſſe ſe ultro videantur. Nihil plus eorum famæ derogat, quam obtrudere ſe ægris, aliorum medicorum vellicare operam, eorumque meſſi ſe ingerere *r*). Moroſos ægros inveniet, qui nutum eorum invitantium non exſpectat. Hoc illud ſilentium eſt, quod ejus deinceps conſiliis, dum ultro ambiuntur, auctoritatem conciliat. Quod ſi ab aliis jam edoctus fuerit, quæ ægri conditio ſit? quis morbis, qui illum adfligit? omnem hanc ſuam ſcientiam diſſimulet, ne, per alios aditum quæſiviſſe, ſuſpicio oriatur. Veniens, quamuis ad ſermones adſtantium parum videatur attendere, multa tamen utiliter diſcet, quibus placere ægro, & ſpem ejus ſuſtentare poſſit. Semper ea in commodum ſuum vertere poterit, quæ domus, in quam ingreſſus eſt, mores, & propenſiones, ipſi cognitas reddunt. Ita ſilendo plus, quam blaterando, proficit.

§. XXVII.

q) Ad honorem hunc, & arti & conſultantibus medicis ſervandum ſuadet J. Bohnius l. c. c. V. p. 122. ut conſultationes clinicæ ſeorſim ab ægro, & omnibus arbitris, celebrentur, quo eo liberius undique ediſſerantur ſingulorum medicorum ſententiæ.

r) *Nimiæ dejectionis eſt* inquit Boselius *l. c. App. III. C. 29. p. 533. medicum non petitum infirmos adire, non quæſitum ei præbere conſilium, medendi occaſionem quæritare per fas & nefas, per blanditias & ſimilia.*

§. XXVII.

Sunt morbi, qui ad aliorum ſimilitudinem ita ſubinde ſe effingunt, ut medicus feſtinando veram ejus faciem non agnoſcat, ſed cum alia cognata confundat. Fieri quoque poteſt, ut in opere medico nimis occupatus, & inter plures diviſus, præſcriptiones ſuas non ad amuſſim componat, fortaſſis etiam permutet. In quibus, cum nec ignorantia, nec malitia peccent, ex errore etiam detecto vix multum opprobrii redundat, inprimis cum tempeſtive reguſtet omnia & emendet. Huic vel auſterior Cato ignoverit *s*). Nec auctor tamen eſſem, ut nimis ingenue, quæ latent adhuc, & emendari poſſunt, aperiat. Quod ſi in aliqua jam luce ſunt, haud recuſet ab aliis ſe corrigi, nec timeat cavillos, cum magnorum virorum omni ævo fuerit, confiteri errores *t*) & commune imbecillitatis humanæ fatum. Id gloriam ipſi HIPPOCRATI peperit, qui medicum *μικρὸν ἁμαρτάνοντα* laudat, non ab omni erroris contagio immunem poſtulat.

§. XXVIII.

Dubites, an honeſtum ſatis ſilentium ſit, ſi eximiæ virtutis medicamenta, a ſe reperta, vel ab aliis ſecum communicata, medicus ſibi ſervat. Scio, indecentis lucri accuſari illos arcanorum Euclionès. Sed, quod ſuperius monui, nec vulgaria remedia, ut a contemtu vindicentur, propalanda omnibus eſſe, hoc etiam magis de illis valebit *u*). HIPPOCRATIS diſcipulos dedecere aiunt, nova artis præſidia occultare, plus etiam Chriſtianum, qui, quod proſit, merito in multorum manu eſſe velit. Verum ille mos eſt ingratorum hominum, ut, quæ ipſis traduntur, optimæ etiam notæ & virtutis, cito evileſcant. Quis partis ingenii bonis, quæ

s) *Nunquam hallucinari* inquit GALENUS *L. III. prognoſ. C.* 41. *ſupra captum hominis eſt, ſed quam minime aberrare, ſolius artificis eſt.*

t) Præivit ipſe HIPPOCRATES teſte CELSO *l. c. L.* 8. *C. IV.*

u) Hujus ſententiæ etiam eſt J. BOHNIUS *l. c. C. V. p.* 123. *ſeq.* qui, nec in conſultatione habita aliis medicis arcana ſua remedia, niſi quoad effectum ſaltem, generatim indicanda eſſe, cenſet.

nis, quæ in ægrorum uſum conuertit, & rem ſimul ſuam familiarem levat, frui medicum ſuccenſeat? modo ſine ſuperſtitione, ſine fraude, ſine jactantia agat, nec interire ſecum utilis remedii cognitionem permittat. Poterit ad alendam ægrorum fiduciam, & ſuſtentandam exiſtimationem ſuam, ſilere de iis artis præſidiis a ſe inventis, & dum vivit, ſola vel cum paucis amicis diſpenſare, quæ ſemel cognita acerbas malevolorum cenſuras, etiam ſi non meruerint, experiuntur. Quod ſi recte ſilet de iis, quæ ſub ſua poteſtate ſunt, longæ juſtius de iis ſilebit, quæ amicorum manus, tanquam arcana, impertivit, in quæ manifeſtanda nulla nobis, niſi iis conſciis, poteſtas eſt.

§. XXIX.

Laudata huc uſque taciturnitas clinici & forenſis medici, provida in deſignando morbo, & præſagiendo eventu, ac definiendis medicaminum viribus, vel arguendis aliorum erroribus, res ſacra & ſobria eſt, & decentiſſimus verecundiæ actus, qui ægri ſalutem, artis gloriam & propriam medici exiſtimationem fulcit. Inprimis canina, quæ alios lædit, abſit facundia & illud ſemper memoriæ obhæreſcat:

Sæpius incautos non lingua coërcita merſit.

DISSERTATIO
DE
JUSTO FEBRIUM MODERAMINE.

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 19. DEC. 1753.

RESP.

AUG. WILHELM. BERLIN,

POMERANO.

§. I.

Perennitas corporis ad plures annos, inter partes, quæ ei ſerviunt, tam caducas, vitalem humorum circuitum, qui & ingeſta aſſimilat & corrupta expellit, eximium ſui vindicem agnoſcit. Ex quo circuitus illius ratio plenius inſpecta eſt, coepit fluctuans olim medicinæ theoria ac variis ingeniorum commentis contaminata ſtabiliori demonſtrationum ſuarum fundamento niti. Cœperunt origines morborum, quibus circuitus ille læditur, cum ſucceſſu indagari: cœperunt Naturæ vindiciæ adverſus cauſſas læſionum, ſapientiſſimis in corpore legibus ſtabilitæ, medicos, ut earum veſtigiis inſiſterent, edocere plenius, & ad certiores ſalutis vias hæſitantes ac devios revocare. Ita vero conſtitit, febres in ipſa vitalium motuum ſede natas, dum vires cordis ab hoſtili materia labefactatas vario gradu intendunt, vigorem circuitus & ab hoc pendentia coctionis, ſecretionis & nutritionis emolumenta, egregie tueri. Neque enim errare me puto, ſi febrem nihil aliud eſſe definiam, quam motum cordis con-

tra dicti circuitus obſtacula inſurgentis *a*). Dum inſurgere dico, ultro intelligitur, diminutum prius & oppreſſum motum illum fuiſſe. Ita de utroque febris ſtadio, & frigoris & caloris, conſtat. In altero cauſſa morbi, ſeu obſtaculum circuitus, deprimit cordis vires: in altero Naturæ virtus depreſſas erigit & obſtaculi cauſſam auctiori motu ſubigens vel expellens ſub juſto moderamine obſeſſas vias liberat.

§. II.

Nato circuitus obſtaculo diminutum cordis motum in ſtadio frigoris eſſe, patet ex genio ſatellitum, qui illud comitantur. Pulſus velox & parvus cordis, cui ob reſiſtentiam in capillaribus natam ſui plene evacuandi ſpatium non ſuppetit, impedita ac debili actione latera arteriarum non niſi languide, licet ob perennem referenti venoſi ſanguinis ſtimulum crebro, extendi probat. Pallor extremorum, dum livent labia, naſi extrema albeſcunt, ungues cœruleſcunt, quid niſi negatum a corde vitalis ſanguinis commeatum arguit? Eadem contingunt in deliquiis animi, in quibus momentanea cordis quies eſt, quæ non niſi parvo gradu ab illo in frigore febrili expellentium virium languore diſtat. Rigor artuum fere immobilium accedit, ut extrema, quia vitalis unda non tranſit, ſæpe inſtar columnæ rigeſcant. Nam perit ſemper ex ſtaſi flexilitas, cujus illa lex eſt, ut inter impulſus omni momento novos cedant humores. Tremor notatur in muſculis, quorum naturalis functio ab alterno motu influentis liquidi nervei & arterioſi pendet. Si uterque rivus non influit, rigor eſt, ſi interruptus, tremor. Atque omnem illum in frigore ſtatum hebes vel nullus partium ſenſus comitatur. Sine ſenſu enim neceſſario ſunt partes, quæ extra communionem motuum cum corde & cerebro poſitæ quieſcunt. Ex dictis igitur obſcurum non eſt, in frigore febrili languere vim cordis & cum illa circuitum humorum, ſtaſin vero vaſorum capillarium, ſive

a) Propter cor febris oritur, inquit *Galenus Comment. II. in Hipp. de fractur. Op. Ed. Iunt. Cl. VII. p.* 235. *C.*

ſive obicem in arteriarum, maxime pulmonalium, anguſtiis natum ſic reſiſtere cordi, ut ejus non modo diminuat motum, ſed & auctis viribus opprimat & ſuffocet. Hinc in frigore, quod impari gradu & duratione omnes ab interna cauſſa ortas febres, ſive intermittentes ſive continuas, inchoat, maximum exitium imminet, cum a diminuto humorum circuitu ad nullum, id eſt, mortem facilis tranſitus ſit.

§. III.

Inſurgere motum cordis in ſtadio caloris, non minus, quæ hunc comitantur, explicant phænomena. Inprimis pulſus, tam velocior quam major ac plenior *b*), creſcentem circuitus vitalis vim facile evincit, qua actio cordis, cui arteriarum actio reſpondet, ſanguinis intra datum tempus & plus expellit & crebrius. Ita poſtquam in frigore extremorum reſiſtentia prævaluit vi cordis, nunc in calore vis cordis prævalet reſiſtentiæ extremorum. Hæc nempe diu concipi nequit, quin ex crebriori attritu ſanguinis a corde affluentis & a locis obſtructis repulſi calor ſurgat. Ut a circuitu humorum per vaſa reſiſtentia naturalis calor pendet, ita in febre, quo magis compactus ſanguis eſt, qui influit, quo magis anguſta vel obſeſſa vaſa, quæ reſiſtunt, quo manifeſtior velocitas motus, qui talem ſanguinem per talia vaſa urget, eo inſigniora ſunt caloris incrementa. Nec poteſt creſcere motus ſanguinis, quin ſuperne illa loca adiens, quæ novas cordi ſpirituum ſuppetias mittunt, augeat vires cordis per nervos, majori jam virium moventium copia inſtructos. Ita ſenſim vincitur obſtaculum circuitus, & ſtagnantia attritu ſolvuntur, mixta cum

coctis

b) Mihi dubia non eſt illa tremens in frigore & inſurgens in calore pulſus velocitas, qua certius nunquam eſt & conſtantius febris indicium. Qui epidemicos malignos & peſtilentiales objiciunt morbos, hos meminerint etiam ſine febre occidere, ut peſtis funeſtior, a quo illi gradu diſtant. Peſtem illam *Sydenham* teſtatur ex improviſo & citius opprimere, quam tempus Naturæ datur febrilem motum excitandi. *v. Op. Edit. Leyd. nov. S II C. II. p.* 112. Confer *Galenum* de *criſ. L. III. C.* 10. ubi in maximis morbis, ait, proſtratam Naturæ virtutem ad pugnam contra morbum non excitari, unde nulla tunc criſis.

coctis humoribus ſubiguntur, vel ſi incocti aliquid & noxii retinent, critice expelluntur, ſudore, lotio, alvo aliisque viis, hujus vel illius materiæ morboſæ excretioni opportunioribus.

§. IV.

Sequitur ex ipſis corporum legibus, ad materiam morboſam in iis coquendam vel ejiciendam provido Naturæ conſilio febrem naſci, de cujus proinde ſalubritate diſſerunt paſſim auctores, & vix morbum chronicum vel acutum ſine febre ſolubilem eſſe, uberrimis exemplis illuſtrant *c*). Certe in pleriſque morbis vel nihil agere medicos omni artis molimine, vel febrem excitando prodeſſe judicant. TH. SYDENHAMO, quo nemo ſolertius ad mores febrium, nemo cautius attendit, febris eſt verum Naturæ inſtrumentum pro ſecretione morboſi dedita opera fabrefactum *d*), vel ut alio loco plenius enuntiat, ſolemnis Naturæ machina, qua in præparanda & eliminanda materia quavis inimica, in ſanguine latente, utitur *e*): Durius forte videri, ait vir perilluſtris, GER. VAN SWIETEN *f*), febrem cum morbus ſit, ſanationis tamen morborum ſæpe optimam cauſſam eſſe, at nihil verius, quippe certiſſimis ab omni tempore obſervationibus confirmatum: cui non deſunt HIPPOCRATIS, GALENI & CELSI egregia teſtimonia *g*). Dum veteres Romani febri ſanum in palatio

c) Quod de quartana maxime teſtatur *Hippocrates*, quam non modo *ἀσφελέςατον πάντων καὶ ῥῆιςον* adpellat, ſed & addit: *ȣ̓ γαρ μȣ̃νον αυτὸς ἀφ᾽ ἑαυτȣ̃ τοιȣ̃τός ἐςιν, ἀλλὰ καὶ νοσημάτων μεγάλων ἄλλων ῥύεται. Epid. I. S 3. Op. T. I. p.* 671. 17.

d) *Op. S. III. C. IV. p.* 165. Cui etiam congruunt *ib. S. I. C. IV. p.* 62. hæc verba: febris Naturæ inſtrumentum eſt, quod partes impuras a puris ſecernit: hæc ſecretio eſt ipſa materiæ febrilis coctio.

e) *in Ep. ad Guil. Cole Op. p.* 363. Simili ratione *in L. de podagr. Op. p.* 455. febrem vocat machinam Naturæ ad diſflanda ea, quæ ſanguinem male habent.

f) *ad aph. H. Boerh. Comment. T. II p.* 3.

g) *Hippocrates* febrem ait convulſionem aut tetanum ſolvere *aph.* 57. *S. IV.* ebrium, qui voce privatus convulſione moritur, liberare *aph.* 5. *S. V.* doloribus circa hepar ſubvenire *aph.* 52. *S. VII.* in volvulo ex ſtranguria,

latio ſtruxerunt *h*), videntur quibusdam in illa ſalutifera latentem benigni Numinis providentiam coluiſſe. Tota inprimis Stahliana ſchola febrium merita extulit. Stant ex adverſa acie, qui toties ſub febrium ſævitia corpus humanum ſuccumbere, quin &, ſi apoplexiam, paralyſin, ſyncopen & violenta manu illatam mortem excipis, neminem ſine febre exſtingui objiciunt *i*). Quæ vero vindiciæ febrium vel ſalubritas, ſi nemo propemodum ſine febre moritur? Hinc immenſas febrium laudes ill. BERGERUS ſuſpectas habuit, acrius impugnavit STENTZELIUS, CAMERARIUS nequitiæ arguit, HELMONTIUS furentis Archei opus vocavit, BIERLINGIUS cum furioſa bellua, RAMAZINUS cum hydra

qualis in ſeptem diebus occidit, pulſo lotio mederi. *aph.* 44. *S. VI.* eos, qui poſt ſubitos capitis dolores jacent interrupta voce & ſtertunt (*Galenus* apoplecticos intelligi notat) intra ſeptem dies perituros vindicare. *aph.* 51. *S. VI.* Confer circa hæc *Galeni Op. Extr. p.* 33. *F.* it. *Ex. p.* 37. *G.* it. *Ex. p.* 58. *E.* it. *Ex. p.* 51. *D.* Dicta ab *Hippocrate* videtur *Celſus* collegiſſe *L. II. C.* 8. his verbis: febris & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſint, finit, & in jecinoris dolore ſuccurrit, & nervorum diſtentionem rigoremque ex toto tollit, & ex difficultate urinæ morbum tenuioris inteſtini ortum, ſi urinam per calorem movet, levat.

h) Colebant potius, ne læderet, v. *Plin. H. N. L. II. C.* 2. *Op. Ed. Hard. Vol. I. p.* 72. 6. *placare*, inquit, *trepido metu cupimus.* Sic *Cicero de nat. Deor. III.* errorem vocat, rebus pernitioſis nomen Deorum & cultum tribuiſſe. *Febris enim*, inquit, *fanum in palatio videmus.* Non aliter *Valerius Maximus L. II. c.* 5. ubi præter fanum febris in palatio, alterum in area Marianorum, tertium in ſumma parte vici longi recenſens, *ceteros* ait *Deos ad benefaciendum venerabantur, febrem ad minus nocendum templis colebant.* Similiter *Gellius L. V. C.* 12: *non mirum*, inquit. *Nam Deos quosdam, ut prodeſſent, celebrabant, quosdam ne obeſſent, placabant.* Qui novit *Siculos* voracitati, *Salios* pavori & pallori, *Athenienſes* contumeliæ & impudentiæ, *Lacædemones* riſui, timori & ipſi morti aras dicaſſe, non adeo mirabitur cultam febrem apud *Romanos*, quorum furorem *Prudentius* ait *hamartig. p. m.* 581.

conſecraſſe Deas febrem ſcabiemque ſacellis.

i) Febrem omnium morborum comitem dicit *Hippocrates de flat. Op. Edit. Lind. Vol. I. p.* 405. *VII.* 2. Ex judicio *Sydenhami* febres duas partes de tribus in medicina occupant. v. *Ep. I. Reſp. ad Th. Brady Op. p.* 340. *Eraſiſtratus* jam olim febrem morborum appendicem ἐπιγέννημα dixit v. *Plut. de placit. philoſ. L. V. C.* 29.

hydra comparavit. Inter quæ devia ſententiarum ſæpe probabili utraque pars ratione pugnat: hinc medio itur tutius, & quia abunde tam commoda febrium quam noxæ exemplis conſtant, attentus vigilat oculus, ut febrium nunc juvantium nunc nocentium vires provide diſcernat, has in languore vel exceſſu motus, illas in juſto hujus moderamine quærendas, ſive intermittentes ſint febres, ſive, quas harum compendium SYDENHAM *k*) vocat, continuæ, quæ diebus ſuis illarum acceſſionibus ſub ſimili virium & horarum impendio reſpondere videntur.

§. V.

Salubritatem maxime in prima febrium actione, noxam in nimis protracta reperio. Illam ſuſtinere corpus poteſt, ut repurgetur, hanc non ſuſtinere, quin deſtruatur paulatim. Eadem vis, quæ intra certum temporis intervallum amica eſt, ultra illud crebro in exitium tendit. Suppono, morboſi aliquid in corpore hærere, quod vitalem circuitum & commoda ab eo pendentia vario gradu intercipiens febrem excitat, quæ alioquin a levioribus vitæ erroribus nata ſponte deflagrat & cito. Hoc morboſum, ſive in ſolidis ſive fluidis hærens leges circuitus turbet, ſine dubio eget correctione, qua ſenſim ad ſtatum naturalem & priſtina functionum obſequia redeat. Quodſi motu naturali morboſum illud non poſſit, vel ex latebris, quas occupat, expelli, vel expulſum & humoribus circumeuntibus mixtum coqui ſatis & ſubigi

k) *Op. S. I. C.* 3. *p.* 49. *& C. V. p.* 88. ubi diſcrimen continuarum & intermittentium maxime in eo ponit, quod illæ uno tenore, hæ partitis vicibus & diverſis temporibus idem perficiant; utrinque ſpatio 363. horarum aut circiter; neque enim citius aut tardius maſſam ſanguineam in humano corpore ordinarie repurgari, ſi negotium Naturæ permiſeris. Non penitus fefellit ille conſenſus febrium antiquos. *Hippocrates* terminos acutorum quartanario & ſeptenario numero metiens ſimilem concinnitatem quartanis tribuit. Commentatus in hunc locum prognoſticorum *Galenus* tot in continuis dies, quot in intermittentibus acceſſiones numerat, ut velut frequentior terminus continuarum ſit dies ſeptimus, ita tertianæ exquiſitæ acceſſio ſeptima. v. *Ger. Switenii in aph. H. Boerh. Comment. Vol. II. p.* 350.

ſubigi in foco viſcerum, vel eluſis coctionum præſidiis ex animalis œconomiæ finibus exturbari; ſpes juſta concipitur, fore, ut ſub auctiori cordis motu, ſub creſcente actione fluidorum in vaſa, vaſorum in fluida, molimen illud correctionis vel expulſionis ſuccedat, ſive ſub illa omnium miſcela & agitatione crudum, quod reſiſtit, vel aſſimiletur, vel ſemicoctum exterminetur. Non video, quid in hoc termino actionis meritum Naturæ in excitanda febre poſſit extenuare. Ponamus tantiſper, ſub frigore contractas arterias contenta in majores truncos retropellere, totum corpus in partibus tum externis tum internis tremere ſub illo frigore per horas ſæpe aliquot & concuti; neceſſe eſt, vel imis viſceribus infarcta ſub tot concuſſibus mobilia reddi, & vi ſubſequentis caloris per gradus invaleſcentis agitari, atteri, miſceri, partim conciliari, partim ſeparari, & corpus ſub radicali illa reſolutione & expulſione emaciatum mox a nova & vitali materia renovari & inſtaurari. Multa hærent ad lateralia celluloſa vaſa *l)* ad glandulas, ad alia, ubi ipſa quies corrumpit, latibula. Latent tanquam morborum ſemina, quæ ſub tacita indulgentia viribus nocendi creſcunt, nunc vero, ubi febris ſurrexit, cum materia palam hoſtili commune coguntur examen ſubire, jus civitatis an exilium mereantur? corrigi an reſcindi a vitali commercio debeant? Ita febris non manifeſtum ſolum ſed & latentem hoſtem, qui arma lente colligit, iisdem armis oppugnat, & vel nocendi viribus utrumque exuit, ut jam bonæ frugis inquilinorum humorum legibus auſcultet, vel ſalutari criſi per varia excretionum loca diſſipat, vel dato quodam ad externa & innocentiora loca decubitu arcem vitæ & interiora viſcera vindicat. Tales febres ſunt maxime intermittentes vernæ, quas SYDENHAM ſemper ſalutares, nunquam, nec debili quidem aut ſeni, ſub ipſa imperitorum manu, damnoſas adpellat *m)*. Peccat ſine dubio, qui ab hoc

l) Hinc febrem obeſis, qui tunc ſæpe dimidium corporis pondus amittunt, amicam vocat, modo rite tractetur, *Galenus in meth. med. XIV. Op. CL. VII. p.* 91. *F.*

m) Op. S. I. C. V. p. 84. Ita *Celſi* judicio *L. III. C.* 15. quartana neminem jugulat, licet, niſi primis diebus diſcuſſa, diu perſiſtat, & vetus vim

hoc opere tam ſalutari retrahit febrem, & vires ejus in coctione vel expulſione morboſi occupatas intempeſtivis auxiliis retundit. Refero inter inſigniora ejus beneficia, quod corpus non purum modo ſed & longævum & novis morbis minus obnoxium reddat. Hic concinne Vir perilluſtris GERH. VAN SWIETEN *n*) febrem cum varietate vitæ a CELSO laudatæ comparat. In hac enim veluti nunc moveri nunc quieſcere, nunc ruri, ubi tenuis aer, nunc in urbe, ubi craſſior ſpirat, vivere, nunc multum cibi nunc parum aſſumere, & ſic variis, quæ ingruunt, vitæ mutationibus adſueſcere jubemur; ita in febre nunc vim frigoris nunc caloris, nunc diminuti motus nunc aucti experiundo, nunc diu abſtinendo a cibis, nunc ſub induciis ingerendo largius, ferre ſine incommodo corpus oppoſitas rerum ambientium actiones diſcit. Effeminat ſimilitudo vitæ, ut ex alia ſemper impendeat periculum, duratur vero ad injurias corpus, quas ſemel ſuſtinuit. Qui peregrinantes mutato aere & victu in febres incidunt, (nam quidquid novi & inſueti eſt vim ſtimuli habet,) ceſſante febre non amplius ab iisdem cauſſis afficiuntur. Varioloſi ſemel correpti novum contagium vix metuunt, quartanarios recidiva, ſi qua oritur, cito contra morbi hujus indolem & ſponte deſerit *o*). Armenta ex peſte eluctata magno emuntur pretio, inque ſtabulis, quo alia infecta hærent, ſine metu relinquuntur. Nec ſæva illa apud THUCYDIDEM *p*) peſtis bis eosdem homines infecit. Mirum igitur non eſt, inter illos febris depu-

nisi vere ſolvatur. ib. *C.* 16. Febres etiam continuæ, quocunque modo intermiſerint, ſine periculo ſunt. *Hipp. aph.* 43. *S. IV.*

n) ad *H. Boerh. aph.* 734. *Comment. Vol. II p.* 524. *Celſi* locus de varietate vitæ eſt in *L. I. C. I.*

o) *Scitu dignum eſt*, inquit *Sydenham. Op. S. I. C. V. p.* 85. quod cujuscunque temperamenti vel ætatis fuerit is, qui quartana ſemel laboravit, altera vice ab ea non diu fatigetur, ſed morbus ſponte poſt aliquot paroxyſmos ſolvatur.

p) *de bello Pelop. L. II.* 51. *Edit. Hudſon p.* 113. Non alium ait tunc morbum fuiſſe, vel ſi fuerit, in illum peſtilentem tranſiiſſe, unde qui hunc evaſerunt, non modo beati habiti ob præſentem ſalutis lætitiam, ſed & ſpem immunitatis ab aliis morbis.

depurantis, & latentiores etiam noxas, olim cum magno diſcrimine emerſuras, cito exturbantis ſaluberrimos motus corpus reddi durabilius, & novis morborum ac mortis cauſſis diutius reſiſtere *q*).

§. VI.

Aliter ſe res habet in febrium progreſſu. Vix poteſt febrilis impetus per plures dies ſine nova ſolidorum fluidorumque noxa deſævire. Saniſſimorum ſub violentis corporis exercitiis lotium brevi craſſum ſecedit, rubrum fœtidumque, nec halitus ſudorque, vel quidquid excretorum eſt, luculentis ineuntis corruptelæ indiciis caret. Quanto id magis a perenniori febrium actione metuendum eſt! Omnis corporis motus naturali major cruda quidem efficacius ſubigit, at cocta exaltat nimis ac cito pervertit. Primum hoc evenit, ut ille vehementior impetus diſſipet liquidius, figat craſſius, & funeſtis circa vitalia viſcera obſtructionibus anſam præbeat. Ita in acutis ſanguis primo vel altero etiam die fluidior floridiorque mox ſiccus & coriaceus adparet, qualis teſte HIPPOCRATE *r*) in ardentibus perimit. Atque in tali ſanguine poſt tenue expulſum ſpiſſiori evoluuntur ſub continuo illo impetu ſalia, & ex blandis acria, ex neutris alcalina, ex fixioribus volatiliora, nec minus olea ex inodoris, inſipidis, levibus, rancida & fere cauſtica evadunt: unde celer in malignis præſertim ad putredinem tranſitus compagem omnem diſſoluit ac deſtruit *s*). Quæ mala in cadaveribus toties obſervata fefellerunt tanquam cauſſæ febrium, cum ſint effectus. Infeſta tunc urgent ſymptomata: æſtus, qui magni attritus, ſitis, quæ ſpiſſitudinis vel magnæ acrimoniæ comes eſt, anxietas, quæ cum ſenſu ſuffocationis

q) v. *Herm. Boerhaavii aph.* 754.

r) *de morb. I. Op. Vol. II. p.* 32. *XXVII.* 12. Pereunt ſiccitate, qui febre ardente moriuntur.

s) Nihil putredo illa aliud eſt, quam talis mutatio corporis, inprimis animalis, qua poſt diſſipatum aquoſum ac tenue evoluta & attenuata ſalia ac olea acrimoniam ſuam deſtruentem omnibus partibus adplicant. Jam orienti putredini virium ſatis eſt, ut corpus ſuccumbat.

cationis ex tali ſanguine, pulmoni inhærente, vires cordis expellentes ſenſim ſuo renixu opprimit. Debilitas, laſſitudo & gravitas ſunt ex penuria tenuioris liquidi & ſtaſi in extremis. Nec latici humorum tam corrupto blandus medetur chylus, cui alioqui vis eſt acria demulcendi & creſcentes eorum ſtimulo motus leniendi. Nam inter diſpendia tot liquidorum languent neceſſariæ circa officinam coctionis ſecretiones, vel quidquid ſecernitur ab humoribus ad alcalinam indolem vergentibus, proſternit potius & evertit ventriculi, tum adpetentis tum coquentis, virtutem. Quis non præconia febrium, ſub tali earum decurſu, ut vana & adulterina rejiciat?

§. VII.

Igitur inter ſalutares ac funeſtos febrium exitus hac ratione judicandum eſt, divinam in fabrica corporis ſapientiam, pro ejus in fragili materia durabilitate, ſic conſtruxiſſe partes, ut conjunctis viribus in totius compagis tutelam tendant, nunc auferendo corrupta, nunc perdita reparando, ſub illo motuum gradu, qui utrique ſcopo convenit. At eadem ſapientia nos, quorum intereſt, noluit otioſos eſſe, verum ad motus in vindicias corporis ſurgentes probe attendere, eosque ſub variis vitæ erroribus, nunc juſto languidiores nunc vehementiores, intra modum Naturæ propoſitum continere. Non convenit arti, ſi meminerit, unde hæc Naturæ arma veniant, aliis quam iisdem pugnare; id convenit, removere omnia, quæ ægrorum vel rerum ambientium culpa aciem armorum illorum nunc obtundunt nunc exacuunt nimis. Facile conquieſcit febris, ſi quod cordis actioni reſiſtit, parvarum virium eſt, at eadem ſæpe ſub erroribus noſtris intempeſtive accenditur. Hic de medicina HIPPOCRATES omnium optime meruit, dum febrem languidius, quam par eſt, pro coctione & expulſione morboſi agentem juſto gradu excitat, ferociorem, ne lædat, deprimit, & debito moderamine hoc auxilium Naturæ ad ſtatum perfectæ ſanationis dirigit *t*). Nunquam igitur

t) Cui maxime congruit doctrina *Sydenhami*. Is indicationes veras in eo verſari cenſet, ut ſanguinis commotio intra modum Naturæ propoſito

igitur oppugnanda eſt febris, niſi ſollicite conſideres, excedantque vires, an deficiant? Redundans ex utroque damnum, ex parte in recenſitis febrium effectibus expoſitum, pergimus in potioribus momentis adhuc plenius illuſtrare.

§. VIII.

Febris intenſioris noxas quis in tanta ægrotantium ſtrage excuſet? Dum irritat ſtimulus obſtruentis materiæ, & febris naſcitur, nequit vehementia ejus diu citra læſionem concipi. Duo manifeſte mala exinde reſultare, poteſt ex dictis intelligi, debilitatem nempe vaſorum & ſenſim deſtructionem, corruptelam vero liquidorum, ſpiſſitudine & acrimonia peccantium. Utraque per varios gradus inflammationis, ſuppurationis, gangrænæ & ſphaceli ad exitium ducunt. Id etiam in juvenili corpore citius contingit, ubi tenera omnia tantum impetum & calorem nunquam diu ſuſtinent. Crebræ radices chronicorum ſunt ex reliquiis acutorum, ut recenſente H. Boerhaavio *u*) vitia in humoribus purulenta, ichoroſa, putria, in ſolidis abſceſſus, fiſtulæ, cancri, caries, & ex his infinita compoſitorum malorum turba. Neceſſe eſt, etiam ſub intermittentium crebris ac validis acceſſionibus, ut vaſa, quæ nunc a frigore conſtricta, nunc a calore dilatata, tantam trajectorum humorum vim patiuntur extreme debilitata vitali ſuo robore priventur, fluidorum autem, quæ ſub vehementiori attritu degenerant, nocentiſſima ſenſim indoles emergat: adeoque non tenuia tantum, ſed & craſſiora laxatis vaſis elabantur, ut craſſum turbidumque lotium & flavi viſcidique ſudores evincunt, cruda vera & acria, quæ remanent, opplendo & erodendo utramque cachexiam, & quæ cum tumore eſt, & quæ extenuat corpus, pariant. Ibi hydrops intra tumentia vel rupta

congruentem ſiſtatur, ea ratione, ut nec plus æquo gliſcat, unde periculoſa ſymptomata, nec nimium torpeat, unde materiæ morbificæ protruſio impeditur. v. *Op. S. I. C. IV. p.* 53.

u) *Aph.* 1052. 1053. 1054.

rupta vaſa oritur *x*), hic phtiſis inter extenuata & conſumta. Hanc ex nulla febre quam intermittente frequentiorem vocat R. MORTON *y*) & proteiformem tum continentium tum intermittentium genium *z*), ſub qua larva atrociſſimorum morborum ludant, fuſe delineat. Inflammationem tonſillarum ex diuturnis autumnalibus TH. SYDENHAM *a*), carum ex tertiana P. FORESTUS *b*), ventris inde ſuppurationem DES. JACOTIUS *c*) commemorant.

§. IX.

Verum nec languentis febris noxæ diſſimulandæ ſunt. Sane ſi poſſibile vix fuerit, ut gravius paulo circuitus obſtaculum ſolvi ſine motu febrili poſſit, æque jugulabit ægrum, qui juſto citius exſtinguit febrem, quam qui auget, & ad illum gradum evehit, quo lædit. Si opprimitur, antequam ſubegit vel expulit morboſum, mala ſæpe chronica, per omnem vitam inexpugnabilia oriuntur, ut ſcirrhi, aſthmata, rheumatiſmi & alia hujus generis. Neceſſario remanens ſub illo languore materia pergit obſtruere, figi in latebris & ulterius degenerare, pro ratione inprimis nobiliorum partium, in quas decumbit. Cogitent, tacitum intra viſcera incendium ſe alere, qui de febre magis, quam cauſſis ejus debellandis ſolliciti ſunt. Nullus, quo lentum illud ſub debili motu figitur, opportunior quam in abdomine locus eſt. Hic durum ex intermittentibus lienis tumorem poſt Galenum P. FORESTUS

x) Cujus a febribus relicti frequentiam teſtatur *Io. de Muralto. Eph. Nat. Cur. D. II. A. VIII, O.* 4. *ſchol. p.* 19.

y) Phtiſiol. *L. III. C.* 12. *Op. T. I. p.* 71. Cauſſam ſubjicit, quod febris ejusmodi chronica, ex fuga revertens facile colliquationem ſeroſam cum tuſſi pariat, æger quoque contemto morbo nec frigus nec alia noxia vitet. Ophthalmiam ex tertiana idem *Morton* deſcribit.

z) illum Exerc. *II. C.* 9. *Op. T. II. p.* 198. hunc Exerc. I. C. 9. Op. T. II. p. 107.

a) *Op. S. I. C. V. p.* 84.

b) Obſ. & Cur. medic. L. X. O. 39. p. 365.

c) *in Holler. Coac. Hipp. p.* 191.

ſtus *d*) icterum ex hepatis vitio Ger. Switenius *e*) notant. Scirrhi glandulas ejus regionis miſere occupant, ex quo natus hydrops deterior eſt, quam qui debilitati tumentium vaſorum originem debet. Scorbutus, cujus indoles in ſpiſſo & acri ſanguine conſiſtit, hujus ex febribus nati vitii crebra progenies eſt. Hecticam poſt tertianam & diuturnos morbos P. Forestus *f*), contracturam genuum Mart. Max. Pruggmayer *g*) enarrant. Hic multum feſtinationi vel ſocordiæ medentum debetur. Ex hac tremorem linguæ cum ſpaſmo faciei tertiana reliquit teſte Ehrenf. Hagedornio *h*), qui etiam fluxum aurium & ſurditatem inde natam obſervavit, inque puella ruſtica hydropem anaſarca febri profligatæ ſuccedentem, illo ſublato hanc reverſam, hac devicta illum denuo infeſtantem. Ex quartana nimis cito curata cervicis rigorem, arthritidem, nephritidem, aliaque cum ipſa morte ſecuta eſſe mala, Ch. Mentzelius ſcribit crebra ſe edoctum experientia eſſe *i*).

§. X.

Itaque inter legem nunc fouendæ nunc oppugnandæ febris crebra judicii difficultas medicum premit. At qui neceſſariæ in his attentionis opera gravatur, ei ſatius fuerit, artem non attigiſſe. Sunt, qui in febre perpetuas propemodum venæ ſectiones, nullo morbi tempore limitandas, cum Galenicis requirunt: ſunt e contrario, qui omnem fere cum Helmontianis damnant. Neque illis

d) *Obſ. & Curat. medicinal. L. III. O.* 37. *p. m.* 98. Sic. *Th. Campanella* medicinal. *L. VII. C. VII. art.* 4. *p.* 676. *lien*, inquit, *ob quartanam incurrit ſcirrhum & ſæpe hydropem adfert.* Nec vero omnis tumor & durities lienis metui debet. Febrem autumnalem puerorum, ſi ei in abdominis regione, maxime circa lienem durus tumor ſupervenit, fugam meditari, cenſet *Sydenham. Op. S. I. C. V. p.* 85.

e) *ad aph. H. Bœrh.* 753. *comment. Vol. II. p.* 523.

f) *l. c. L. IV. O.* 5. *p.* 315.

g) *Ephem. Nat. Cur. D. III. A. I. O. I. p.* 1.

h) *ib. Dec. I. A. VI & VII. O.* 15. *p.* 25.

i) *ib. Dec. II. A. V. O.* 42. *p.* 83.

illis frequens experientia, neque his refragatur. Facile conciliantur, ſi illos dixeris in magna febre merito requirere, hos in parva merito damnare. Nitrum alii perpetuo commendant in febre, alii cum Boyleo ſpiritum cornu cervi. Sub eodem limite tota eorum contentio ſopietur. Hic vero minime in vaſtum illum deſcendimus medicæ disquiſitionis campum, quo diverſum genium, oppoſitas cauſſas, & infinitas, quibus occurrendum iis eſt, cautiones proſequi multorum opera ſolet. Vnice, quale motus moderamen præſens febris exigat, ſuæ ſpeciei propius accommodandum, ſuis cautionibus ulterius muniendum, hoc loco generatim ex illo motuum vel exceſſu vel languore, ſuis ſollicite ſignis diſcernendo, definimus. Reliqua circa febrium indolem in omni ſuo ambitu penitius evoluenda mereri eruditorum examen, haud inficior, licet multum inutilis ſpeculationis ſe miſceat; at pro ſcopo medendi in dictis maxime rerum cardinem verſari, mihi quidem perſuadeo. Quoties igitur conſtat, majorem febrilis motus gradum lædere, minorem nihil ad ſalutem conferre, ſed hoſtem in ſinu alere, cogitemus præcipue de tali motus moderamine, quale cauſſæ morbi debellandæ ſufficit. Hoc jam præſente turpe medico non eſt quieſcere. Errat errore non erudito, verba ſunt Th. Sydenhami *k*), qui Naturam artis adminiculo ubiuis egere exiſtimat. Namque id ſi fieret, parcius humano generi proſpexiſſet, quam poſtulat ſpeciei conſervatio, cum ne minima quidem proportio ſit inter frequentiam morborum, & humanas, etiam cultiori ſeculo, medendi facultates. Nil mutat medicus ex his, quæ cum ratione fiunt, licet ſucceſſus haud protinus ſequatur *l*).

§. XI.

Moderamen febris intenſioris, maxime in acuta, quæ preſſo pede inſiſtit, nec raro tamen in intermittente requiritur. Dum obſtaculum accuſo in circuitu humorum natum, perinde eſt, ſive in

k) *Op. S. V. C. p.* 229. Bene *Gellius:* multa nobis Natura tuendæ valetudinis cauſſa & in promptu & in propatulo eſſe voluit. *Art. noct. L.* 18. *C.* 10.

l) *Hipp. aph.* 52. *S. II.*

in anguſtiis arteriarum, ſive nervis, ſive aliis locis hæreat, modo cordis actionem ſtimulo ſuo vel reſiſtentia intendat nimis. Cavendum tunc ſtatim eſt, ut diximus, ne prima febris noxa, quæ liquidiora diſſipat, reliqua diluente vehiculo orba in vaſorum anguſtiis figit, cum corporis, cui conſultum cupimus, majori damno ingruat. Quod veluti periculum ex vehementi calore, circa loca præſertim teneriora & vitalia, ut caput, pectus & præcordia ſæviente præſentimus; ita diu non latet nata hinc univerſi corporis ſiccitas, ſi partes in ſtatu ſanitatis præ reliquis molles & irriguas, ut cutem, linguam, fauces, nares, oculos, rigida ſqualere ariditate, lotium quoque parcius & ſaturatius ſecedere, animadvertimus. De ſimili enim vel deteriori internarum partium ſtatu certiores internuntii non ſunt. Ex quo palam fit, a tam ſpiſſo & aegre mobili ſanguine, fines arteriarum, & quos ille primum occupat, pulmonalium oppleri, ut intercluſo liberiori tranſitu ad ſiniſtrum cordis ventriculum parum, idque interrupto rivo, perveniat, teſte pulſu parvo & inæquali, obex vero adverſus vires dextri ventriculi expellentis indies creſcat. Elucet ex his protinus, quantus error eorum doctrinam contaminet, qui diſpendia liquidorum, a febre metuenda, ipſis ſudoriferis accelerant, quibus eiicere morboſum in primo cruditatis ſtatu temere moliuntur *m*). Arida ejusmodi febris, ut poeta vocat *n*) a denſo & oleoſo ſanguine repellit diluentium & attenuantium miſcelam, ut ſine fructu elabantur, niſi prius vis illa motus & caloris infringitur. Opus igitur ante omnia eſt, ſollicite ab iis, quæ motus illius gradum ſuſtentant vel augent, abſtinere. Utiliter quies muſculorum retardat celeriorem ſanguinis venoſi ad cor reditum, & crebriorem ab eo ſtimulum ad ſyſtolen. Omnium ſimul ſenſuum

m) decepit obſervatio in peſte, ſudore anglico aliisque paucis morbis, ob miaſma tenue ac mobile, quod antequam figitur, primis opportune ſudoribus elui debet. De reliquis acutis & inflammatoriis, majori æſtu ſtipatis, valet illud *Hippocratis* ἱδρὼς ἅμα πυρετῷ γενόμενος ἐν ὀξεῖ, φλαῦρον. *Caac. prænot. Op. V. I. p.* 579. *IV.* 41.

n) *Quum furit atque artus depaſcitur arida febris. Virgil Georg. L. III. v.* 458.

ſuum & ipſius animæ otium prodeſt, quo æger nulli operi, nulli colloquio intentus, vix lucem in obſcuriori loco videat, vix ſtrepitum in ſolitudine ſua, quam rara miniſtrantium officia interpellent, audiat. Si a motibus animi ipſum jam genus nervoſum laborat, ſopientibus etiam locus eſt. Cibus pariter potusque ſine ſtimulo ſit vel quantitatis vel acrimoniæ, igitur haud ſolidiuſculus, odoratus, ſapidus, vinoſus, aromaticus, ſed tenuis, blandus, aquæ proximus, molliens ſolida, diluens acria & ſpiſſa, minuens motum. Huc refero decocta & emulſiones ſeminum, ſerum lactis, & maxime potum aquoſum, farinoſum, nitroſum & grato acore refertum, qui calori, ſiccitati, acrimoniæ & emergenti ſenſim ex his putredini, malis in exceſſu febrium ſemper metuendis, validius reſiſtit. Sane quo plus aquoſi & tenuis humoris in ſanguine, eo plus eſt contra motum, attritum caloremque præſidii: unde ſemper, in quibus aqua abundat, frigidæ temperiei ſunt. Nec aërem ſubfrigidum, qui levat anhelantes & reficit, metui velim. Commode eviluit a chymicis olim invecta conſuetudo, ſub calido aëre & ſtragulis detinendi ægros, & ſub hoc fotu ſudores eliciendi, tam noxios, ut vidimus, inter incrementa caloris, ſiccitatis & impetus febrilis. Minus fere SYDENHAM *o*) in venæſectione & aliis adminiculis ſpei poſuit, quam in eo, ſi æger erectus in ſedili, vel in majori virium inopia tectus modice & ſuper lectum recumbens liberiorem aërem captat, non calidum, qui plus ſiccat, non frigidum, qui plus conſtringit, ſed jucunde temperatum. MARTIN febrem, omnibus remediis rebellem, ceſſiſſe celeriter ſcribit, cum relicto lecto æger in ſella hæreret *p*). Inter remedia externa venæſectione ſine mora inſtituta nihil potius eſt, cum impetum febrilem, diſſipantem fluida ac diſtrahentem ſenſimque deſtruentem ſolida celerrime refrenet, & tenſis vaſis vitalem oſcillationem, contenta a concretione vindicantem, reſti-

tuat

o) in febre continua *Op. S. V. C. II. p.* 225. in pleuritide *S. VI. C. III. p.* 266. Adde *S. III. C. I. p.* 158. ubi varioloſos in agone phrenetico refocillare aere liberiori præcipit, ſurgenteſque e lecto ait a morte ſe liberaſſe.

p) *v. hiſt. de l'Ac. R. des ſciences A.* 1732. *Hiſt. p.* 42.

tuat *q*). Sectionibus venarum ſubiungi vel etiam ſubſtitui clyſmata poſſunt, quorum ſolo uſu plerisque ſibi licuiſſe æſtum penitus reprimere, ſcribit SYDENHAM *r*). At blanda ſint, ex molliente decocto cum ſaccharo, vel ex ſola aqua, nitro & melle: qualia magna parte reſorpta reficiunt, & ſqualorem viſcerum abdominalium detergunt, quippe quæ ſub tali æſtu gravius periclitantur. Quibus omnibus rite obſervatis haud magno medicaminum adparatu opus eſt. Poſſunt hoc nomine ſufficere decocta radicum ſcorzoneræ, graminis & acetoſæ, decocta & gelatinæ fructuum horæorum, & ſimilia, quorum manifeſta eſt humectandi & leniendi virtus *s*). Negandum vero non eſt, dari etiam acutas & malignioris genii febres oppoſitarum virium ab ingreſſu ſtimuli, omnia intro in putre liquamen cum ſubita virium jactura diſſolventis. Sanguis ægrorum hic non concreſcit, licet ad tempus ſepoſitus, morbus vero per enormes hæmorrhagias & alias putres excretiones genium prodit. Nihil hic ſuperat frigidam potionem cum ſpiritibus acidis.

§. XII.

Segnitiem febrium in intermittentibus crebram, at & in continuis aliquando conſpicuam, corrigere eo majoris artis videtur, quo plures alienum cenſent, fouere morbum, adverſus quem in auxilium vocamur. Sane fas eſt, febrem in illo conſervare gradu, ut

q) Omnis ſanguis, qui quieſcens ultro concreſcit, cordis & arteriarum alterna actione novam omni momento motus directionem & aliam in ſitu partium mutationem ſubit, quæ ratio diſtrahit perpetuo partes & coire prohibet. At a magna febre manent diſtenta vaſorum latera, nec ideo ſolvuntur, quæ hic ſtagnant, niſi reſtituto eorum motu oſcillatorio, maxime ope venæſectionis. Hanc igitur *Celſus L. II. C.* 10. modo vires ferant, in omni ætate & ſexu admittit, nec tamen ultra quartum diem ob metum imbecillitatis, vel quod tunc exulante reſolutionis ſpe inſtans ſuppuratio majorem vim vitæ requirat. At *Galenus* noluit dierum terminum attendi. *de cur. rat. per V. S. C.* 20.

r) *Op. S. I. C. IV. p.* 59.

s) Vide, quæ ex *Frid. van der Mye, Io. Iac. Wepfero, Th. Lobbio* & aliis hic congeſſit *Ger. van Swieten l. c. T. II. p.* 421.

ut major ſemper, quam in ſanis, ſit ſitis, calor & pulſus, modo non tantus, ut liquida diſſipare nimis & quatere ſolida occipiat. Calor parvus, vires torpidæ, coctio nulla, & nullum inter hæc malorum, quæ febrem comitantur, levamen, facile evincunt, languidiorem febrem quam ut ſubigat ſatis, moveat ac ſecernat, ſtimulo non freno egere. Nunquam ſine coctione, cujus ſummum præſidium eſt febris moderate inſurens, cauſſa morbifica vel corrigitur vel apta ad expulſionem redditur, nunquam ſine ea minui ſymptomata, creſcere vires vitæ & læſæ functiones reſtitui incipiunt. Malæ fidei eſt apparens morbi lenitas, ob quam ſæpe inflammatio, quia torpente febre reſolui non poteſt, in ſcirrhum tranſit. Circumſpecti igitur hominis eſſe, cum Celso *t*) judicamus, novare interdum & augere morbum & febres accendere: ſæpe enim, dum novo motu corpus incaluit, remiſſio ſequitur. Propterea, quæ evacuando vires magis labefactant, quemadmodum venæ ſectionem & catharſin, adeo damnat Th. Sydenham *u*) in ipſis intermittentibus autumnalibus, ut inde in vegetioribus protrahi, in provectioribus lethalem morbum fieri, quin & vernales, mitioris alioquin indolis, hinc ad autumnum perſiſtere, & ægrum fere in extremis verſari, ex crebris obſervationibus doceat, ſudoriferis quoque crebrum in continuas tranſitum tribuat *x*). Opus cardiacis eſt, quæ ſub gemina actione, partim bonorum humorum penuriæ, partim moventium virium inertiæ medentur. Haud igitur tenues ptiſanas, ſed meraciorem cereviſiam per gradus ipſumque vinum in febre imbecilliorum cum

t) *L. III C.* 9. ubi curationem lentarum febrium ex inſtituto tractat. Hinc ibidem mulſum & vinum permittit, putatque ſæpe ex eo intendi febrem, & majorem oriri calorem, ſimul & priora mala tolli, ſpemque remiſſionis in ea curatione oſtendi.

u) de autumnalibus febribus v. *S. I. C. V. Op. p.* 91. de vernalibus *ib. Op. p.* 84. Non negat, cardiacis aliquando ſervari, quos temeraria ſanguinis miſſio mulctavit. Sed præſtiterat, inquit, plagam non infligi quam ſanari. ib. *C. IV. Op. p.* 54.

x) *in Ep. I. Reſp. ad R. Brady Op. p.* 298. Sub profuſis ſudoribus non deſinit febris. Leniter manans ſub ptiſana vinoſa & juſculis vires refoventibus ſalutaris eſt.

cum GALENO præſcribimus *y*). Neque periti medici aquas aromaticas & ſales volatiles in tali ſtatu extimuerunt, neque aromata, ut allium, ſinapi, raphanum ruſticanum, piper, zingiber, cariophyllos & carnes his conditas in illo languore intermittentium febrium prohibuerunt. Decoctis acribus & antiſcorbuticis quot non tertianæ & quartanæ devictæ ſunt! Sub his ſtimulis ſurgit febris & reliquias morbi conficit. Aerem calidiorem, vegetiores animi motus, diuturna colloquia, immo contentioſa, ambulationes aliosque muſculares motus, idoneo gradu auctos, fotus etiam & frictus, maxime circa ſpinam & ad focum, inter vera antifebrilia, licet ad tempus excitent febrem, collocamus. Stimulos ipſorum ſalium, ut ſalis polychreſti, ſalis Tackeniani, ſalis ammoniaci, quin & alcalinorum, ut ſalis cardui benedicti in lenta pituitoſorum hominum febre profuiſſe, inter omnes conſtat. Præ reliquis amara vi detergente, penetrante & excitante lentis humoribus ſalutariter ſe miſcent, ſpiſſa & ſtagnantia fundunt, motuum inertiam corrigunt, & vitalis caloris focum inſtaurant. Quanta omni ævo fama fuit radicis gentianæ z), herbæ abſinthii *a*), & cardui benedicti *b*), ſummitatum centaurii minoris *c*), florum chamœmeli? *d*) ut ex multis pauca nominem. Ad quam claſſem remediorum, devictis febribus inſigniorum, corticem peruvianum primo

y) laudat vinum in febri mediocri *X. meth. med. Op. CL. VII. p.* 70. *B.* vetat in aliis febribus *Op. CL. VII. p.* 99. *A. p.* 159. *E. F. H. p.* 167. *G.*

z) qua vix amarior planta, & quæ conſtantius febrifugas eſſentias ingreditur. *Agricola* longævos fieri cenſuit, qui quotidie tantillum ejus ſumerent. v. *Paul. Hermanni cynoſ. mat. med. ex Ed. Io. Bacleri T. I. p.* 96.

a) anima ſtomachi dicta, frigidis & pituitoſis, ſi febris eos corripit, tam ſalutaris, quam bilioſis & ſiccis noxia.

b) egregium omni ævo diaphoreticum & febrifugum, centaurio mitius.

c) Rulandus & Ettmullerus in omni febre intermittente vix alio quam florum centaurii decocto poſt præmiſſum emeticum uſi ſunt. Infuſum, pulverem & extractum cl. *Marchant dans l'hiſt. de l'Ac. R. des ſciences A.* 1701. *mem. p. m.* 284. non minoris virtutis eſſe cenſet, quam corticem peruvianum.

d) ſubtili pulvere florum chamœmeli æque certas ac felices ſanationes quam a cortice peruviano præſtitit Anglus medicus *El. Coysh*, referente Mortono, qui ipſe, ubi cortex non profuit, virtutem chamœmelii aliis admixtis expertus eſt. *v. Exerc. I. C. VI. Op. T. II. p.* 64.

primo loco pertinere, vix dubitavit, qui perpendit ſecum, ex quot cenſorum acri examine & centies iterato, virtus ejus, inter nova ſemper experimenta illuſtrior & admirabilior, emerſerit. Haud igitur eum, tam commodo loco, quo ſe offert, ſicco nimis pede præteribimus. At velim prius generatim conſiderari, viam in his febribus profligandis cum ſucceſſu tritam ſemper plus novi caloris, motus vigorisque venis infudiſſe, atque illam quoque eos ingreſſos eſſe, quibus minime animus fuit, fovere febrem, ut deflagraret citius. Pro qua veritate confirmanda non poſſum non ad uſum emeticorum reſpicere, quorum vis totum corpus concutiens nequit ſine augmento motus calorisque interni concipi. Solent illa tunc in febre commendari, ſi hærentem in primis viis & circa præcordia ſaburram lingua ſordida, fauces olidæ, ventriculus ex inerti pituita vel etiam corrupta bile cum amarore oris nauſeans arguunt, viresque adhuc integræ ac viſcera illæſa cum ipſius ægri ad vomendum proclivitate id permittunt. Verum etiam extra hæc commoda, quæ inficiari in ipſarum continuarum principio non licet, ſalutaris emeticorum virtus ſub tot viſcerum concuſſibus conſpicua, non per primas ſolum vias ſed & totum corpus, excretiones varii generis adjuvans ſubtrahit & intro febri fomentum, quo ſubſiſtere poterat. Scio non convenire proſtratis viribus: at TH. SYDENHAM, *e*) quem paulo ante dixi ex hac cauſſa purgantibus & ſudoriferis ſuccenſuiſſe, ipſe tamen ad prima incendia reſtinguenda ſucceſſum emeticorum ſub juſto limite in continuis & intermittentibus extollit.

§. XIII.

Non dubito, corticem Peruvianum iis adnumerare febrifugis, quæ febres intermittentes vel remittentes luculenter, in debiliori ægro-

e) In continuis maxime maligna diarrhœa comite probat emeticum poſt venam ſectam. *Op. S. I. C. IV. p.* 55. 56. ſic ait corruptelam in ventriculo & vicinis locis, antequam mora invaleſcit, tolli; quamvis ſatius ſit, id ab initio fieri, poſſe tamen ſero vocatum, id quovis tempore, ſi vires permittunt, tentare, ſe ipſum duodecimo die morbi tentaſſe. *Ib. p.* 58. in intermittentibus laudat ſucceſſum emetici ante paroxyſmum *Op. S. I. C. IV. p.* 86.

ægrotantium corpore; efficaciſſime & cum mirabili ſucceſſu expugnant. Remedium tam tonicum, amarum, aromaticum, quid niſi excitet vires, roboret coctiones, tonum ſolidis, juſtam craſin fluidis reſtituat, & inter has operas longa experientiæ fide confi matas ſopiat ſtimulum, quo febris accenditur? Hæc ſi præſtiterit, quid cauſſæ eſt, mirari, ſine ulla ad ſenſum expulſione morboſi *f*) corticem mederi febribus, cum correctio latentis noxæ omni expulſione præſtantior a dictis viribus non improbe exſpectari poſſit. Qui uſum ejus ſecuta eſſe tot mala chronica, hydropem, ſcorbutum, arthritidem, icterum, cachexiam, phthiſin, ſcirrhos & alia multa, quæ a corporis ruina proxime abſunt, audacter arguunt, *g*) eque ſuo non minus quam aliorum, qui iisdem

f) Hinc citant *Galenum de dieb. decret. L. I C.* 1. ubi negat fidas eſſe ſubitas ſolutiones, niſi copioſa excretio vel abſceſſus ſequatur, inſtare autem morbis citra hæc quieſcentibus recidivam. Convenit *Hippocrates*, qui *S. II. aph.* 27. iis credere vetat, quæ ſine ratione levant. Nec *Celſus* ab his alienus eſt, qui *L. II. C.* 7. febrem ait reverti, quæ ſubito & ſine ratione, ſine bonis ſignis finita eſt. Certum puto, relictis morbi ſeminibus inducias forte ſequi non pacem, & nihil *Hippocratis* effato *S. II. aph.* 12. verius, quam illud, τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ὑποστροφὰς ποιεῖν. Concedi de cortice poteſt, quod ſæpe ſubito ſolvat, at negamus ſine ratione & ſine bonis ſolutionis ſignis fieri.

g) Jam ante ſcholam Stahlianam inſurrexerunt multi adverſus corticem, inter quos *Jo. Jac. Chifletius* in *L. de pulv. febrif. orb. Americ. C.* 2. *p.* 55. calida eum amaritie ſua ſiccare, terrea auſteritate ſtipare colligit, & ad unum omnes relapſos ait, quos Bruxellæ cortex ſanavit. *C. IV. p. m.* 70. At tunc mos fuit, exhibere in frigore febrili, v. *ib. C. III. p.* 60. Amarities illa ſubadſtringens non niſi tonicam virtutem, in cortice majorem, quam in aliis amaris, alioquin etiam febrifugis, probat. *Vop. Fort. Plempius* auſu etiam magis hoſtili, & ut *Sebaſt. Badius* cenſuit, ore, dente, lingua, calce, & calamo in corticem irruit, crebras recidivas, multa funera & ingentem eorum numerum, quos cortex extenuatos, phtiſicos, cachecticos reddidit, recenſens. Quin & reperti ſunt, qui vix quemquam ab uſu corticis ad ſeptennium ſuperfuiſſe tradiderunt. In hos commotior *Rich. Morton Exerc. l C.* 7. *Op. T. II. p. m.* 80. *bona quæſo verba*! inquit: *Quot ego ipſe poſt quatuor luſtra annorum, & quod excurrit, ab uſu corticis vegetos atque firma valetudine utentes vidi, & magis athleticos, quam prius. Forte illi, qui hæc objiciunt, vix per ſeptennium ejus vires experti ſunt.*

dem ſententiis innutriti ſunt, penu obſervationes hujus generis depromunt, ſi æquioris judicii videri velint, cogitare debebant, febri diutius ſævienti, ſub qua, ut ſuperius expoſuimus, degenerat ſolidorum & fluidorum indoles, hanc omnem ſymptomatum turbam verius deberi. Nam ex veterum teſtimoniis abunde conſtat, *h*) eo tempore, quo nulla in corticem ſuſpicio cadere potuit, ex ſinu febrium in corpore diu adflicto eadem mala germinaſſe, medentum quoque errores interdum acceleraſſe. Longe vero manifeſtior fit cenſuræ illius, quæ corticem premit, injuria, cum multa ejusmodi mala, partim a febribus nata, partim ab artis erroribus ſuſtentata, ad pereniorem ſub provida manu & legitimum probi corticis *i*) uſum penitus ceſſerint *k*). Dantur viri ingenui & ſapientes, qui corticis quidem innocentiam ſtrenue tuentur, quod nunquam viribus ſuis lædat, his tamen ajunt

h) Ita *Hippocrates aph.* 44. *S. IV.* φύματα καὶ ἐς τὰ ἄρθρα πόνους ex longis febribus derivat. Iisdem *L. de int. affect. C.* 53. *Op. T. II. p.* 262. λεῦκον φλέγμα tribuit, quo facies, deinde venter & phlegma tument. *Galenus meth. med. ad Glauc. L. I. C.* 9. tumorem inde lienis & ſtatu diſtenta præcordia notat.

i) Velut circa uſum legitimum altera, ſic circa probi corticis ſelectum prima cura medicum occupat. *Rich. Morton Exerc. I. C.* 8. *Op. T. II. p.* 97. anxium ſemper & tremulum ſe præſcribere ait corticem, nec niſi præguſtatum, adulterinum enim & effœtum plerumque in officinis venalem eſſe. Requirit corticem coloris cinnamomi, ſaporis ſatis grati & aromatice amari, odoris mucidi, ſuavis, aromatici, præterea friabilem & tenuem maxime, qualis a ramulis ſucco plus ſaturatis raditur. Damnat injucunde amarum, intenſe acerbum, glutinoſum, nigricantem, effœtum. Plenius probitatis notas proſequitur *ill. P. G. Werlhofius Obſ. de febr. S. III.* §. 3. *p.* 82-87. & doctorum circa hanc rem judicia comparat & conciliat.

k) *Rich. Morton Exercit. C. V. Op. T. II. p.* 52. *febris chronica*, inquit, *viam ſternit ad plures alios morbos maxime funeſtos, hydropem, phthiſin, icterum, ſcorbutum &c. qui quidem omnes cortice peruviano copioſe exhibito & ſæpe repetito curantur, vix alia ratione.* Adſenſum *ill. Werlhofius l. c. S. II.* §. 6. *p.* 66. his verbis præbet: *omnem in his paginam implet cortex.* Addit eximias tum ſuas tum aliorum obſervationes, de arthritide, cachexia, ictero, natis a febribus & cortice ſanatis.

ajunt unice ſupprimere febrem, adeoque, cum hæc intra certos limites ſalutaris, vetera mala, ut epileptica & podagrica aliave vincat, & corpus purum, durabile, longævum reddat fieri poſſe non tam corticis, quam medicorum culpa, qui eo intempeſtive in tali febre utuntur, ut dictis beneficiis privemur, & ſuperſtite morboſo fomite mox gravius febrile incendium erumpat *l*). Fateor, me non comprehendere ſatis talem remedii virtutem, quæ intacta cauſſa febrem tollat. Si enim illa iisdem nocendi viribus in corpore ſupereſt, cur hæc ſilet? Neceſſe erit, ad vim morboſi ſtimuli, (qui in quas latebras ope corticis refugiat & quieſcat, non adparet) æque ac ante ſuperſtitis ſuſcitari febrem, & in eo coquendo vel expellendo ad legem Naturæ occupari. Si dixerint, effectus tantum febris remanere, quis non videt, iis ipſis tanquam conſtanti foco ali febrem ac ſuſtentari? Igitur pronior ſum, ut credam, corticem, cum motus corporis vegetiores, a quibus etiam vigor coctionum ſecretionumque pendet, ſua virtute in multis morbis inſtauret, agere in cauſſam illam, qua irritante vel nata eſt febris vel confirmata. Fieri autem ſecus non poteſt, quam ut cedat febris, ſi vitium, ad cujus ſtimulum inſurgit, jam æmulis alieni remedii viribus ſublatum ſit. Non igitur cortici virtutem tribuo febri adverſam, ſed in potioribus actionis ſuæ momentis congruentem, atque in depurando corpore & coquendis cruditatibus ſub majori lenitate commendabilem. Neutiquam noxia adſtrictione, ut ajunt, ſupprimit motus corporis & cum iis febrem, ſed quidquid internarum functionum eſt, novo vigore & vitali robore inſtruit, & ſecundum Sydenhamum *m*) ſanguinem & ſpiritus confortat, ac dejectam corporis œconomiam renovat.

l) innoxium medicamentum eſſe, *Gerh. Switenio* extra dubium eſt, ad §. 767. *Aph. H. Bœrh. Comment. T. II. p.* 560. Ipſe mane jejunus bihorii ſpatio unciam corticis in pollinem triti ſine incommodo ſumſit, alios etiam, qui palam damnarunt, clam & ſub fuco adhibuiſſe teſtatur. Negat tamen ipſe, corticem veluti febrem ſic natas ab ea morboſas in ſolidis fluidisque mutationes tollere, *ib. p.* 565. ſed proprie latentem in nervis characterem, qui paroxyſmos revocat, ſopire cenſet. Hoc fuſe & argute proſequitur *l. c. ad* §. 757. *p.* 538-540.

m) *Diſſ. Epiſt. ad. Gu. Cols. p. Op.* 412.

renovat. Ex quo ſimul intelligitur, cur in debiliores quam in robuſtos inſignior corticis poteſtas ſit? immo & illud, cur nec in primis febrium paroxyſmis metui adeo debeat ejus uſus *n*)? ac ſane metuunt plerique, tanquam ſuſpenſo Naturæ ipſius repurgantis coquentisque molimine. Si congruunt fere viribus & cortex & febris, optabilior in debilioribus remedii lenitas videri poteſt. Velim tamen, febrium medicatricem indolem in primo illo conflictu, quo depuratur corpus citra noxam, haberi reverenter, nec niſi caute ſubſtitui medicamentum, in ſuo quidem genere præſtantiſſimum; ad Naturæ tamen ἀκϱίβειαν non niſi e longinquo accedens. Plus ſemper habet hæc machina corporis, ad ſui vindicias tam affabre conſtructa, in ſe quam extra ſe in medicaminibus præſidii. TH. SYDENHAM cortice tam proſpere uſus, ut mali inde aliquid accidiſſe, quæ verba ejus ſunt, viderit nunquam, nec cum ratione ſuſpicari potuerit, neutiquam tamen audet cito nimis adhibere, antequam morbus ſuo ſe ſe marte aliquamdiu protrivit, nec crebras a cortice recidivas, quas RICH. MORTON parcis nimis doſibus tribuit *o*) diſſimulare, nec inter has

n) *experientiam meam*, inquit *ill. Werlhofius l. c. S. IV.* §. 3. *p.* 139. *plus decies data occaſione repetitam teſtor, neminem eorum ulla poſtmodum febre recidiva vel alia prava conſecutione mulctatum eſſe, ubi ego in prima acceſſione vocatus, periculi deinde inſtantis juſto metu ob aliorum exemplorum ſimilitudinem & pravorum ſignorum terrores percuſſus corticis ſtatim uſu febrem fugavi, & eo continuato ad omnium functionum integritatem ægrum perduxi; quamvis nulla deinde medicinæ opus uſus ad præcidendam reverſionem.* Poſt citatos deinde in conſenſum egregios viros cum ſingulari modeſtia ſubiicit: neque vero, cum ſufficiens nondum extet experimentorum copia, ſemper id & ubique eventurum eſſe ſpondere audeo, ulteriori & alienæ experientiæ rem commendans. Ipſe mutuas conſenſus & diſſenſus rationes ulterius evoluit S. V. §. 4. p. 196. ſq.

o) *R. Morton Exerc. I. C. IV. Op. T. II. p.* 46. id incommodi a parca nimis doſi derivat, quod morbus vel in propria vel alia forma revireſcat. Immo experientia ſua fretus fidenter adfirmat, febrem, quæ a cortice fugata redit, etiam redituram fuiſſe, ſi alia methodo, vel febrifugo vel viribus Naturæ ſubacta fuiſſet. *l. c. C. VII. p.* 79. Cui judicio favet *Celſus* circa quartanam, quam facile ait reverti L. III. C. 16. Quid mi.

has recidivas cortici inhærere *p*). At abunde alii uſum tam eximii remedii juſtis cancellis circumſcripſerunt *q*). Ego in his ſubſiſto.

rum, ſi a cortice idem forte accidat? *Galenus* ſollicite diſquirit, quae febres recidivas habeant? quando? & in quibus? Hic *Op. Ed. Iunt. Ex. p.* 42. *G.* ibi. *CL. IV. p.* 209. *E.* illic *CL. III. p.* 164. *A.*

p) *S. I. C. V. Op.* 93. Quartanam ait non tam debellari a cortice, quam inducias impetrare, cum commodo tamen ægri, qui interea paulatim reſpirat: præpropero uſu corticem inefficacem reddi, & ſanguini ſe deſpumanti moram iniici. Nihilominus & hoc agnoſcit quartanam, quia plus temporis impertit ad exſaturandum virtute corticis ſanguinem, citius ſolvi, nec tam frequenter quam in tertianis & quotidianis recidivam fieri *Ep. I. Reſp. Op. p.* 305. 306. Inter hæc prudentis medici tunc eſſe credit, non pertinaciter nimis inſiſtere cortici, ſed aliis, ut amaris, curationem ingredi. Hic miror, *R. Mortonum*, qui *Exerc. I. C. VI. Op. T. II. p.* 66. corticem catholicum febrifugum vocat, quod omnes febres intermittentes & alias plurimas in quavis tempeſtate, in omni ſexu, ætate & temperamento radicitus & penitus, cito tuto & feliciter ſanat, mox tamen ipſum fateri, in tribus caſibus, ubi corticis copioſus & diuturnus uſus fefellit, pulverem chamœmeli cum antimonio diaphoretico & ſale abſinthii intra biduum profligaſſe febrem, tam immorigeram cortici. *l. c. p.* 64.

q) *Herm. Bœrhaavius in aph.* 767. cautiones hic neceſſarias in compendio tradit, prohibens uſum corticis in ſtatu corporis inflammatorio vel purulento, & gravibus viſcerum obſtructionibus, nec probans in vernis febribus nec autumnalium initio. Confer. *Swietenii Comment.* T. II. *p.* 562. & inprimis ill. *Werlhofii L. de limit. laudib. med.* §. 13. 14. 15. *p.* 62. *ſq.* it. in Obſ. febr. S. II. §. 5. p. 50.

DISSER-

DISSERTATIO DE SALUBRITATE FRUCTUUM HORAEORUM.

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 5. SEPT. 1754.

RESP.

GOTTL. AUG. SEGNITZ.

LUSATO.

§. I.

Dum inter creſcentes æſtus moleſtias cervicibus noſtris Sol Sirius imminet, nihil dejectas vires blandius reficit, languentiumque corporum ſqualores abſtergit ſalubrius, fructibus horæis, quos & adſpectu & odoratu & guſtu ſuaviſſimos, liberali proventu & mira varietate, frutices, arbores ipſæque herbæ nobis jam offerunt. Naturæ profecto, quæ æſtuantis hoc tempore & areſcentis corporis indigentiæ adeo benigne proſpicit, hæc munera eſſe, maternæ indulgentiæ & ſollicitudinis plena, nemo temere ambigit, aut LUDOVICI NONNII *a*), viri alioquin egregii & in hoc argumento verſatiſſimi, ſubſcribere audet judicio, blandas ſubeſſe vitæ inſidias, ipſamque latere peſtem. Annon Deum hæc frivola inſidiarum ſuſpicio coarguit, ſi fructus, ſub nativa venere, qua tantum non omnes alliciunt, aliquid veneficii

a) *de re cibar. L. I. C.* 28. *p.* 88.

neficii continerent *b*)? At ille error longo ſeculorum decurſu, ex præceptis Galenicis, multorum, etiam peritiſſimorum medicorum, animis obhæſit; excuſſus ex parte noſtro ævo, merito tamen ſuo etiam ulterius excutiendus.

§. II.

Galenus igitur, quam ſibi & amicis noxium fuerit, fructus horæos ingurgitaſſe, quam ſalutare, ab iis deinde abſtinuiſſe? ita reliquit in librorum ſuorum monumentis, ut plerique auctoritatem ejus ſecuti, timide & diffidenter fructus, in quibus tantum gratiæ Natura recondidit, attigerint, velut novercalis lenocinii reos. Scribit ille *c*), ſe undevigeſimo ætatis anno, cum toto caniculæ tempore fructuum fugacium copia ventrem explevisſet, una cum æqualibus ſuis, in calidum ſub autumno morbum incidiſſe, ut ſanguinem mittere neceſſe eſſet, increpatum ideo a patre, tunc ex agro in urbem reverſo, & ex illa intemperantia ad priſtinam frugalitatem revocante. Addit, cum altero anno diem obiiſſet pater, ſe largiter iterum fructibus illis uſum mox ſimili morbo laboraſſe, & eodem venæ ſecandæ remedio indiguiſſe. Ex quo tempore ad annum usque ætatis vigeſimum octavum quotannis fere laborans, & inter hæc veritus, ne abſceſſus eſſet, ubi ſepto adhæret jecur, omnem ſibi fructuum illorum uſum interdixit, modicum ficuum & uvarum indulſit. Tunc vero proba corporis adverſus cruditates exercitatione, ſe diutiſſime a morbis immunem vixiſſe ſcribit, cum amicis, eadem vitæ inſtituta & eandem a fructibus abſtinentium ſecutis. Inter has igitur non nimis prægnantes rationes, quibus fallaciæ multum ſe miſcuit, pravi ſucci eſſe omnes fructus illos, ſique præterea in ventriculo corrumpantur, non longe a venenoſæ materiæ indole abeſſe, judicat *d*). Ejusdem doctrinæ veſtigiis inhærentes medici, quoties

b) confer viri perilluſtris *Gerh. a Swieten comment. in Aph. Boerh.* 1097. *T. III. p.* 480.

c) *de ſuccor. bonit. & vitio, C. I. Op. Edit. Iuntin. Cl. II.* §. 34. *C. D.*

d) *ib. C.* 8. *Op. Cl. II. p.* 37. *E.*

ries ægrotantium deſiderio, quod ferri in fructus illos cognoverunt, non ſunt moroſe obluctati? Licebit hic paullatim ſubſiſtere, & id inprimis notare, GALENUM, qui ſalutarem corporis ſtatum nactus non erat, ſed puer æque ac adoleſcens morbos, nec paucos nec leves, expertus, ut ipſe de ſe teſtatur, plurimamque nihilominus noctium partem vel ægrotantium cauſſa vel certe ex ſtudiorum dulcedine, vigilando ſemper & lucubrando exegerat *e*), ideo facile exigui etiam peccati pœnam luiſſe, idque eo facilius, quod pater, ſummæ probitatis & temperantiæ, eum a puero ſeveris victus rationibus adſtrinxerat. Has enim nemo adſuetus, nedum imbecillior, impune offendit. Eodem loco, quo gulæ ſuæ errores circa fructus GALENUS confitetur, ait *f*), ſe audentius ſtudia ſua præ condiſcipulis omnibus non interdiu ſolum ſed & noctu tractaſſe, poſtea in corrigendo errore occupatum exercitationis juſtam curam habuiſſe. Igitur in corpore per ſe infirmo & neglectis exercitiis per continuas lucubrationes magis enervato lædere noxa etiam parvarum virium potuit. Artis autem auxiliis id conſecutus eſt, cum viginti & octo annos natus legem ſibi non illam ſolum reiiciendorum fructuum, quibus juſto iniquior fuit, ſed & alias majoris momenti præſcriberet, inter quas eſt ſalutaris corporis exercitatio, ut plurimis deinde annis nullo morbo, niſi forſan diaria febre, ſe tentatum eſſe gloriari poſſet. Patria, quam temperatioris cæli fuiſſe notat, *g*) ipſum ex Alexandria redeuntem ſub illa ætate *h*) recipiens addere fortaſſis aliquid novi momenti conditis tunc a ſe novis vitæ legibus potuit.

§. III.

Hæc ubi in fronte paucis expoſui, unde prima fructibus calumnia nata ſit? animus eſt, nomen & ſpecies, & indolem eorum, omnis noxæ expertem, niſi aliena culpa intercedat, expendere, ut pronior ſit ad vindicias via. Subſiſto non nihil in nomine fru-

e) *de Sanit. tuend. L. V. C. I. Op. Cl. II. p.* 88. *F.*
f) *Op. Cl. II. p.* 34. *C.*
g) *II. de temp. Op. Cl. I. p.* 20. *A.*
h) *de compoſ. medic. per genera L. III. C.* 2. *Op. Cl. V. p.* 231. *B.*

fructuum horæorum, ab hora, ut adparet, deſumto, unde nondum caligo omnis depulſa eſt. Per horam vulgo intelligimus tempus, tum anni tum diei, nunc vagum nunc definitum. *i*) Antiquiſſimis temporibus, horæ annum potius, k) quam diem *l*) divide-

i) prout ad menſuram decurſus Solaris per majora vel minora ſtadia, nunc ſtricte nunc paullo laxius, exigitur. Sic nomen ſuum hora, tamquam juſta progenies, Soli debet, ſeu Appollini, qui Aegyptiis Horus audit. v. *Macrob. Saturn. L. I. C.* 21. *p. m.* 303.

k) Sunt, qui tradunt, inquit *Cenſorinus de die nat. C.* 19. *p. m.* 104. Horum inſtituiſſe annum, eoque ver, æſtatem, autumnum, hiemem, ὥρας vocari, velut annum ὧρον. Ita poſt *Homerum Plinius* horam genitalem anni Ver vocat, *Hiſt. Nat. L. IX. c.* 35. *Horatius* horam flagrantis caniculæ Aeſtatem nuncupat *III. Carm.* 13. 9. Sed ut annum, ita poſtea diem noctemque in quatuor horas majores, quæ ſingulæ tres minores comprehenderent, diviſas legimus.

l) Hora, quo ſenſu diei partem notat, inaudita antiquis Græcis fuit, judice *Cl. Salmaſio Plin. Exerc. in Solin. polyh. p.* 458. *B. Anaximenes* quidem *Mileſius*, diſcipulus *Anaximandri*, cui idem inventum a *Laërtio* & *Suida* tribuitur, umbrarum rationem, & quam vocant, gnomonicem inveniſſe, primusque horologium, quod adpellant ſciothericon, Lacedæmone oſtendiſſe *Plinio* dicitur *H. N. L. II. C.* 76. At gnomonem illam *Anaximenis* vel *Anaximandri* non horis monſtrandis ſed æquinoctiis, ſolſtitiis & meridianis ſerviiſſe, Græciamque plusquam ducentis annis ab *Anaximandri* morte veris ſciothericis horologiis caruiſſe, & neque *Platonem*, *Ariſtotelem*, *Theophraſtum*, neque novos Comicos, quorum princeps *Meander* eſt, aliosque plures poſt *Alexandri Magni* æuum τῆς ὥρας pro particula diei meminiſſe, docte oſtendit *Salmaſius l. c. p.* 446. *A.* Pluribus etiam ſeculis hoc horarum nomen incognitum Romanis fuit, nec in XII. tabulis obvium, cum moris tantum eſſet, diei ortum & occaſum, deinde quoque meridiem diſtinguere, donec *M. Valerius Meſſala* A. M. CDXCI. primum in foro Romano horologium ex Sicilia advectum Romæ erigeret, quod cum non ſatis ad horas congrueret, elapſo circiter ſeculo etiam accuratius juxta illud poſuit Q. M. *Philippus Cenſor*, & paulo poſt *Scipio Naſica* horario ex aqua horas æque noctium quam dierum diſtinguere docuit. Tamdiu populo Romano indiſcreta lux fuit. v. *Plin. H. N. L. VII. C.* 60. Nec defuerunt tamen, quibus tam utile inventum cauſſa querelarum eſſet, ut Paraſito Plautino eſurienti apud *A. Gellium L. III C.* 3. his verbis indignanti:

Ut illum di perdant, qui horas reperit,
Quique adeo primus ſtatuit hic ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem. &c.

videbant, hinc tanquam Deæ, quatuor anni temporum præſides, cultæ. *m*) At, quod jam argumentum noſtrum propius illuſtrat, hora ſenſim per excellentiam dicta eſt æſtas *n*), tanquam venuſtior ac maturior anni pars, *o*) ac Solis beneficia uberius ſuſcipiens. Itaque fructus horæi ſunt æſtivi, qui illa adultiori & venuſtiori anni parte ſub Solis luculentiori fotu creſcunt & colliguntur, ſuaque ſe gratia, licet cito tranſeunte, tantum non omnibus commendant. Ipſe GALENUS *ὥραν* ait Græcis illud æſtatis tempus deſignare, in cujus medio canicula oritur, ſub quadraginta dierum limite. *p*) Addit diſerte, fructus, qui vel creſcere tunc incipiunt, vel vigent, vel declinant, hinc horæos nuncupari. Ab hoc GALENI & veterum norma vix abludit calculus LUD. NONNII, *q*) qui *ὥραν* & quadraginta ejus dies ab ortu vergiliarum ad ortum caniculæ computat, & ſub hoc tempore obvios fructus cum Græcis horæos, cum Latinis temporarios & fugaces adpellat; illos autem fructus, qui a canicula ad occaſum vergilia-

rum,

m) Horis & ædes ſacras & aras multis locis dicatas fuiſſe, ex *Pauſania Iac. Dalechampius* refert in *annot. ad Athenæi deipnoſ. p. m.* 804. *α.* Ita in ſuis ad eundem auctorem animadu. *Iſ. Caſaubonus p. m.* 933. 30. ex *Porphyrio* enarrat, quotannis pompam Athenis ductam fuiſſe Soli & Horis ſimul.

n) quod inter alia colligi poteſt ex *Athenæi deipnoſ. L. XIV. ad finem C. XX. p. m.* 656. *A.* Hic Athenienſes *θύεντες ταῖς ὥραις* ſic deſcribuntur, ut inter hæc ſacra carnes elixarent non aſſarent, & præcarentur Deas (Horas), ut ſquallores & calamitoſos æſtus arcerent, & ope moderati caloris & tempeſtivorum imbrium (*ὡραίων ὑδάτων*) ad commodam maturitatem, quidquid e terra germinat, producerent. Nempe *τὴν ὄπτησιν* aſſationem cum cœlo torrido, *τὴν ἕψησιν* elixationem, blandius coquentem, cum cœlo modice calido comparabant. Igitur Horæ unice hic cultæ ſunt ob ea beneficia, quæ æſtas impertit.

o) quæ ratio eſt, cur Horæ dictæ etiam ſint Deæ venuſtatis, & *ὡραῖον* ſit, quidquid tempeſtivum, maturum, venuſtum eſt. Quo ſenſu *ὡραῖος γάμου* adoleſcens apud Xenophontem, *ὡραία ἀνδρός* puella nubilis apud Athenæum audit.

p) *de aliment. facult. L. II. C. III. Op. Cl. II. p. 16. D.*

q) *de re cibaria L. I. C.* 28. *p.* 89.

rum, quaſi poſt ὥραν, ſe offerunt, circa finem æſtatis & autumni initium, quod anni tempus Græcis ὀπώρα eſt, ſerotinorum & autumnalium nomine diſtinguit.

§. IV.

Verum ne quid diſſimulem, contigit nomini fructuum horæorum quod multis aliis nominibus, quæ rerum, quas deſignant, ſub ambiguitate aliqua interpretes ſunt. Non enim ſtabiles ſatis hi nobis termini videntur, a quibus fructuum horæorum nomen deſcendit, cum eorum celerior ſub alio cœlo, ſub alio lentior ſit proventus. Ad quodcunque etiam cœlum reſpicias, fidem non implet tam ſcrupuloſus dierum calculus. GALENUS ideo ipſe cum autumnalibus fructibus ſæpe horæos confundit, vel ne confundere videatur, uno fere judicio damnat. *r*) Bene tamen ad levandam hanc, cujuscunque demum momenti ſit, difficultatem, non ad tempus ſolum, quo fructus noſtri emergunt, jubet attendere, ſed & ad diſcrimen ab aliis fructibus, ad reponendum idoneis. Ita horæum novo ſenſu dici poterit, quod durabile non eſt, ſed ad horæ exemplum, fugax ac lubricum. Nobis omnino ſufficit, per horæos ſeu horarios fructus ſimpliciter intelligere æſtivos molles, ſucculentos, parum durabiles, at gratia ſua ac ſalubritate, temporis, quo creſcunt, genio egregie congruentes. Patet excludi omnes fructus, quos firmioris ſicciorisve compagis eadem æſtas producit, ut frumenta, legumina, nuces & ſimilia. *s*) Ita jam potiores horæorum ſpecies ſuccincte enarrabimus.

§. V.

r) *de ſuccor. bonit. & vit. C.* 8. *Op. Cl. II. p.* 37. *E.* Oporam ait ficus & vuas continere, quibus principatum fructuum autumnalium tribuit *de alim. fac. L. II. C.* 9. *Op. Cl. II. p.* 17. *G.* At totum quoque caniculæ tempus, quo fructibus fugacibus cum damno ipſe indulſerat, vocat Oporam *Cl. II. p.* 34. *C.* cum ὥρα ei eſſet, in cujus medio canicula oritur, *Cl. II. p.* 16. *D.* Mox horæis & autumnalibus commune dicit, quod non effugiant ſucci pravitatem, *Cl. II. p.* 17. *E.* Nec ficus cum vuis antea laudatas magno eximit diſcrimine, cum exacte maturas minimum pravi ſucci habere cenſeat, *ib.* Immo vero *Hippocrates* jam ſucculentiſſimas vocat peſſimas de *Diæt. II. Op. Lind. Ed. T. I. p.* 228. *XXX.* 8.

s) quæ ad reponendum idonea Naturam ſuam diu retinent, quod de fragis, moris,

§. V.

Fraga, de quibus dudum Romanis, non æque Græcis conſtitit, *t*) ſub primum æſtatis ingreſſum, immo jam ipſo adultiori vere ſe offerunt, & novo indies proventu ad medium ſerenioris autumni tempus ſua apud nos munera impertiuntur. *u*) Fructus vulgaris herbæ ſunt, & tam grati ſaporis quam odoris jucundi fragrantisque, neque hinc ſine omni adſtrictione tonica, quæ etiam in iis, quorum ſylueſtris origo eſt, inſignior adparet: cum hortorum cultura amplitudinem & teneram diffluentemque mollitiem augear, non æque gratiam ac virtutem. *x*) Conſtant hi fructus partibus aquoſis, mucilaginoſis, ſubacidis, nativo ſpiritu irriguis ac paucis terreis, quibus bene temperati humectant ſicciora per æſtatem corpora, orgaſmum humorum & imprimis bilis, corrigunt, adpetitum cient, viſcera aperiunt, aluum laxant, renes expur-

moris, ceraſis non valet, niſi ſub acceſſu condimenti. Obſervatio *Eberh. Gockelii* de ceraſis acidis, in vitro bene clauſis puteoque immerſis & per annos XL. incorruptis, ſapore tantum perdito, huc non pertinet. De rebus enim in aere & ambientium cauſſarum actione perdurantibus ſermo eſt. v. *Eph. N. C. D. II. A. VI. O.* 123. *p.* 267.

t) Nullum, quod ea vetus Græcia ſciverit, luculentum veſtigium eſt. An *κόμαρον Apuleii*, fructus arbuti, mæmecylon? Ipſo *Galeno* teſte arboris fructus eſt non herbæ. An mora terreſtria? Dixit *Servius*, non accepit nomen a Græcis. Plenior certe notitia Romanis fuit. *Virgilius* Eclog. III. 92. humi naſcentia fraga vocat. *Ovidius met. I.* 104. ubi tellurem ſcribit, roſtro adhuc intactam nec vomeribus ſauciam, omnia per ſe primis hominibus dediſſe, non omittit fraga.

Arbuteos fœtus montanaque fraga legebant,
Cornaque & in duris hærentia mora rubetis.

Et *metam. XIII.* 815. *Polyphemus Galatheam* invitat:

Ipſa tuis manibus ſylveſtri nata ſub umbra
Mollia fraga leges, ipſa autumnalia corna.

u) ducere agmen fructuum & claudere apud nos videntur. Ita ſub finem octobris elapſi autumni vidimus adhuc fraga copioſe ſatis venalia.

x) nihil ait hortenſi cultu ingenia profeciſſe *L. Nonnius de re cib. L. I. C.* 30. *p.* 97. Solum forte *B. Piſanellum* aſperitas ſylveſtrium fragorum offendit, *de alim. fac. p.* 14.

expurgant, ipſosque calculos molliunt & ſoluunt quadantenus, *y*) adeoque juvenibus, ſiticuloſis, cholericis & tabidis etiam *z*) plurimum conducunt. Hinc crebra laus in febra ardente, ictero, vitiis hepatis & renum nimioque hæmorrhoidum fluxu. *a*) Munditiеs quoque & innocentia fragorum licet humi repentium, & inſectorum ſordibus magis expoſitorum, pene miraculo eſt Lud. Nonnio, qui nunquam auditum ſcriptumque eſſe ait fructuum horum eſum aliquid maligni reliquiſſe. *b*) Adeo, inquit, nulla iis cum venenis cognatio. Fatemur, raras eſſe ſuſceptæ noxæ obſervationes, nec tamen nullas, *c*) hinc non agere ſuperfluum, qui

y) *Theophil. Lobb. in tract. de diſſolventibus calculos ope alimentorum C. VI. Exp.* 26. digeſſit calculum cum ſucco fragorum frigide per dies X, repertus eſt mollior & ad dimidium pondere diminutus. Mollities quoque notata in *Exp.* 28. ubi alium calculum per horas VII. digeſſit. *Geſnerus* quoque in *Ep. p.* 92. hanc fragorum vim prædicat, *Bœrhaave* in acinis quærit.

z) *Io. H. Schultze in diſp. de fruct. hor.* §. 8. *p.* 13. juvenem Halenſem ſcribit ex febre hectica tabidum, cum ver in æſtatem tranſiiſſet, & ſpei nihil reliquiſſent medici, fragis liberaliter indulſiſſe, ita remittente æſtu, ſomno reficiente, viribus inſtauratis, lætum ſanumque autumno in patriam rediiſſe. Idem refert, virum nobilem, qui graviter febre decubit, quæ ex acuta in lentam tranſierat, medicis mora, fraga, cerafa ſuadentibus obſecutum ad ſtatum athleticæ valetudinis rediiſſe.

a) *Crato Conſil. L. III.* 15. mirifice extollit in nimio hæmorroidum fluxu.

b) *de re cib. p.* 97.

c) ſcripſerat jam *Ambroſ. Pareus Op. Chir. L. XX. C.* 24. bufones venenum ſuum ſalivatione & vomitu in herbas eructare, præſertim in fraga, quæ vehementer adpetere dicuntur. *Gu. Fabr. Hildanus Obſ. Chir. Cent. V. C.* 38. reſtituit feminam robuſtam triginta annorum, quæ ſumtis aliquot illotorum fragorum manipulis dolore ventriculi, tribus abhinc horis, ad animi usque deliquium correpta fuit. Nihil profuit theriaca. Tumens cum hypochondriis ventriculus, vertigo, obfuſcatio viſus & alia ſævienis veneni indicia, non niſi a vomitu & exhibitis deinde cardiacis remiſerunt. Hic non injuſta fuit adſperſi fragis a bufonibus vel anguibus veneni ſuſpicio, at juſtior etiam medendi ratio. Anguium loco erant Mantuæ milites, de quibus *Damœtas* apud *Virgilium Ecl. III.* 92.

Qui legitis flores & humi naſcentia fraga,
frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

qui probe ante uſum ab omni adſperſa ſorditie abluunt, brevi tamen opera, ne tenue & odorum diſſipent, deinde, ſi e re videtur, lac vel cremorem ejus, aut etiam vinum, vtrinque cum polline ſacchari, admiſcent. Poſterius mavult L. NONNIUS, *d)* prius etiam cum magno ſanitatis diſpendio fieri cenſet MELCHIOR SEBIZIUS. *e)* Neque vero lactis neque vini ſocietas placet clariſſimo viro, ST. FRANC. GEOFFROY, *f)* qui evoluto fragorum acido coagulum lactis metuit, & vino mucoſam fragorum pulpam ægrius diſſolui putat, & commentitiam frigiditatem, quam corrigere vulgo vinum creditur, irridet, cum aqua vero promtius ſolui, coqui & permeare fraga cenſet. Nos tam moroſi non ſumus, ut retrahere ſanos ab uſu, ad quem magis inclinant, temere audeamus. Nec enim lactis in vacuo puroque ventriculo longa mora eſt, nec fragorum tantus acor, ut imminentis ſtatim coaguli juſtus metus ſit. Vini etiam cognatior cum fragis natura eſt, & in corpore debili ac difficilius coquente, blandum, ne mora corrumpat, ſtimulum præbet. Noſtro itaque judicio aqua corporibus calidis, ſiccis, exercitatis, lac puris & quietis, vinum frigidis & imbecillis magis idoneum vehiculum, ſub quo fragis vtantur, præbebit. Superbibere cereviſias, quæ inflant & acorem exaltant, non æque tutum eſt. *g)* At præter dicta, quam grata ex fragis julapia aliave præparata! ne nempe in æſtatis limite omne eorum meritum, omnis ſalubritas, ſubſiſtare videatur.

§. VI.

In *Alb. Krantzii Vandalia* L. IX. C. 9. legimus, MELCHIORI, *Duci Brunſuicenſi & Epiſcopo Suerinenſi*, fratri *Ottonis* regis Neapolitani, hauſto medone, cui venenum mixtum, & ſumtis hinc ob orta tormina fragis, pariter a manu ſceleſta venenatis, ſic corpus intumuiſſe, ut cum veſtibus ipſe venter creparet.

d) de re cib. L. I. C. 30. p. 97.

e) de alim. facult. L. II. C. 6. p. 138.

f) de mat. med. T. III. p. 490.

g) Vit. Ridlinus lin. med. A. 1697. p. 501. 31. alio teſte refert, ſuperpotam fragis cereviſiam vix horæ ſpatio virum egregium vita privaſſe.

§. VI.

Ad fugaces herbarum fructus referri etiam poſſunt, immo a Galeno *h*) præ ceteris referuntur cucurbitæ, pepones, melopepones & cucumeres, non ignota antiquiſſimis temporibus nomina *i*). Cucurbitæ mitem ſuo ſapore genium produnt, quo ſitim, æſtum, acrimoniam temperant, coctuque faciles ventriculum non gravant, & ne mora corrumpat, ſe prompte ob lubricitatem ſubducunt, quin & modice alunt. Quam ſalubriter etiam in febre ardente fervorem viſcerum & ſitim e bile nata ſyrupus e ſucco cucurbitæ compeſcat, ſchola Arabum agnovit & cum ea Iul. Alexandrinus *k*) & Melch. Sebizius. *l*) Ita dum ſanis ægrisque conſulunt cucurbitæ, facile fero, ut Galenus *m*) crudas, quibuscum nemini facile commercium eſt, niſi qui excavatis injectum vinum mane bibere pro aluo ſoluenda velint, inſuaves coctuque difficiles ſenſum frigidi ponderis cum niſu ad vomitum in ventriculo excitare arguat. Merito elixas Celsus *n*) ſtomacho idoneas vocat, neque has jam facile coqui Galenus negat, licet ob fatuitatem ſaporis inter *ἄποια* referat; & cum Hippocrate humidas frigidasque adpellet *o*), quæ nobis ſalutaris

h) *de alim. fac. L. C. II.* Ubi a fructuum horæorum nomine tranſiturus ad ſpecies C. III. cucurbitas C. IV. pepones C. V. melopepones C. VI. cucumeres tractat, jam C. VII. de arborum fructibus agens, quibus veſci moris eſt; autumnales, horæos, nuces & omnia miſcet.

i) dum Iſraelitas memoria deliciarum Aegypti ſollicitat, *Num. XI.* 5. inter alia referuntur הקשאים ואת האבטחים. *Seb. Schmidius* per cucumeres & cucurbitas vertit. Non hic tango moroſam litem de קיקין *Ionæ IV.* 6. Pugnavit acriter pro cucurbita *Auguſtinus*, cui accedit verſio Syriaca, Arabica & Aethiopica, & LXX. *κολοκύνθην* ſcribunt. Sit hedera *Hieronymi*, ſit ricinus recentiorum. Fertilis certe Aegyptus fructuum fuit, de quibus hic loquimur.

k) *ſalubr. IX.* 9.

l) *de alim. fac. L. II. p.* 343.

m) *de alim. fac. L. II. C.* 3. *Op. Cl. II. p.* 16. *F.*

n) *de medic. II.* 24.

o) *l. c.*

taris æſtivi cibi nota eſt. Coctæ in juſculis & parum conditæ cœnam dant non inſipidam ſobriis. Hæc cœna erat *Tauri* philoſophi, ad quam Athenis amicos invitavit, ex lente & concurbita conſtans *p*. Tali cœnæ, quam toties renovavit *Atreus Cæcilius*, concurbitarum amantior, illuſit MARTIALIS *q*). Ars adparandi inter nimia condimenta vel potus errores aliis exitium magis quam ludibrium accivit. Puella octodecim annorum fluxu menſtruo aliquamdiu privata, & ab itinere trium milliarium, quæ pedibus confecit, redux, tunc ligna findens, deinde copiam cucurbitæ cepatæ, piperatæ & in clibano aſſatæ deglutiens & multum aquæ frigidæ potans latuit altero die tertio mortua reperta, tumida, fœtida; livida ab umbilico ad pedes *r*). Alia rheumatica pulmento cucurbitæ ſuperbibens cereviſiam frigidam acidam, quæ per triduum ſteterat in vaſe, periit quoque inter vomitus & alvinas dejectiones. Ventriculum ſub fuſo liquamine & in fundo maculas ſphacelatas conſpicere licuit *s*). Tam horribilem ſcenam fatua cucurbita luſerit? Suſcipit facile ex GALENI *t*) judicio alienas noxas, miſtorumque ſe facultatibus adſimilat, quibus in illa vitæ victusque ſpurcitie impura ſuccubuiſſe corpora vix mirum eſt. In hoc tamen nocentium virium fœdere, parum erit, quod juſtus cauſſæ arbiter cucurbitæ tribuat. Extra hæc vincula ſuam facile innocentiam tuebitur, ut licet in noſtris regionibus, quod LUD. NONNIUS *u*) monet, ad integram maturitatem non perveniat, coctæ

p) *v. A. Gell. noct. Attic. L. XVII. c. 8.*

q) *Epigr. XI. 31.*

In partes lacerat ſecatque mille,
Has prima feret alterave cœna,
Has coena tibi tertia reponet.
Hinc ſeras epidipnidas parabit,
Hinc piſtor fatuas facit placentas,
Hinc & multiplices ſtruet tabellas.

r) Obſervatio *Chriſt. Seligeri* in *Eph N. C. D. II. A. I. O. 139. p. 341.*

s) Obſervatio *Mich. Ern. Ettmülleri* in *Eph. N. O. Cent. IX. obſ. 66. p. 152.*

t) *l. c. p. 16. G. K.*

u) *de re cib. L. I. C. 21. p. 65. 66.*

coctæ tamen eodem judice verus honor ſit, & probum Plinii contra Chryſippum judicium. *x*) Cucumeres ſativi, quos cultior gula parvulos, immaturos, virides, ventricoſos, tanquam ſuaviores & innocentiores adpetit, flavos & maturitati proximos plebi relinquit, minus abs ſe videntur bonæ famæ maculam depellere poſſe, acrem certe Galeni cenſuram ſubeunt *y*. Benignius Dioscorides *z*) refrigerare nec facile corrumpi, aluo, ſtomacho & veſicæ utiles eſſe, & olfactu revocare, quos animus liquerit, cenſet. Crudis veſci non niſi robuſtis adſuetisque licet, reſecto autem cortice cartilagineo diſcindere in taleolas, harumque ſalſugine conſperſarum potiorem ſuccum exprimere, reſiduum oleo, aceto & pipere condire, nec gratia vacat, nec moderato uſu lædit. Largo horum cucumerum uſu melancholicam, quæ nihil fere alterius cibi ſumſit, Frid. Hofmannus *a*) ſanitati ſuæ reſtituit, idque in epicriſi ſubiicit, hos fructus in diverſis aliis mente captis utiliſſimos deprehendi, optimique inter cibos mente ægrotantium condimenti nomen mereri. Forte in ipſo ſucco damni minus eſt, quam tenaci nec raſa ſatis pulpa. Cauponi tumidi ventris poſt ſex menſium febrem Sam. Ledelius *b*) emeticum dedit, quo juxta cum aliis rejecti ſunt cucumeres, jam ante tres anni quadrantes devorati, ſpecie adhuc recentes & vix commanſi. At ſuccus ſolus prelo expreſſus & ſaccharo dulceſcens bis de die ad duas uncias datus eſt tabidis & hectico calore flagrantibus, non ſolum ſine omni incommodo, ſed & firmo & ſtabili fructu, teſte I. H. Schulzio *c*). Probe permeat, eluit putre & bilioſum corrigit, æſtum reprimit, illum quoque a Venere natum,

tum,

x) *Hiſt. Nat.* L. XX. C. 3. ubi *Chryſippo* medico cucurbitas in cibis damnanti reſpondet, omnium conſenſu ſtomacho utiliſſimas judicari & interraneorum veſicarumque ulcerationibus.

y) L. II. *de alim. fac.* C. 6. ubi illos etiam, qui bene coquunt, pravum ſenſim in venis ſuccum colligere putat.

z) L. II. C. 163.

a) *medic. ſyſtemat.* T. IV. P. IV. C. VIII. O. 7. p. 238.

b) *Eph. N. C.* D. III. A. II. O. 48. p. 58.

c) *diſp. de fruct. hor.* §. 5. p. 10. Addit, Halæ adhuc vivere, qui teſtimonium certum dubitanti perhibeant.

tum, quem cohibere DIPHILUS *d*) cenſuit, & græcum ideo proverbium textricibus, quas jam Ariſtoteles ſalaces dixit, cucumeres adſignavit *e*). Probant multi elixos, ut mitioris genii, at nemo non parvulos, anethi vel fœniculi comis, lauro, pipere, macere, aceto ſimilibusque conditos, in quibus nec humoris exceſſus nec frigoris eſt. Cucumeri cognatus pepo eſt. Hujus ab initio nomen omni fructui, qui maturvit, ut vuis, teſte GALENO *f*) datum fuit. Deinde ex cucumerum genere, qui magnitudine excederent, pepones dicti ſunt, *g*) aliter a veteribus, qui avide crudis veſcebantur *h*), aliter noſtro ævo, quo etiam coctorum fatuitatem accuſamus, deſcripti. DIPHILUS, meliorem quam cucumeri ſuccum tribuit *i*). GALENUS, qui neutrum probat, illum peponis etiam nondum corruptum ad vomitum compellere, corruptum ad choleram ait *k*). Nec tamen negat, peponem humidum frigidumque plus quam cucurbitam permeare, & diureſi expellere, cutisque maculas abſtergere. Ea ſpecies melopepo dici cœpit, quæ rotundiorem, cum oblongior pepo ſit, odorati mali formam habet. Contracta ſenſim vox eſt in melonem, quem major etiam cultus diſtinxit *l*). Hodie nobis epulum præbet

d) *Athen. deipnoſ. L. II. c. 27. p. m. 68. E.*

e) τον σικυὸν τρώγȣσα γύναι τὰν χλᾶιναν ὕφαινε.
Cucumerem edens mulier lænam texe.
Iſ. Cauſaubonus tamen *in Athen. L. III. C. I.* mauult de cura domeſtica intelligere, quæ mulieribus incumbit, cum maturus fuerit cucumer, de hieme & veſtibus hiemalibus cogitare.

f) *de alim. facult. L. II. C. 4.*

g) *Plin. Hiſt. Nat. L. XIX. C. 5.*

h) unde *Iulio Alexandrino*, *P. Andr. Matthiolo* & aliis ſuſpicio nata, melones fuiſſe.

i) apud *Athenæum l. c. p. 68. F.*

k) *l. c. Op. CL. II. p. 17. H. & ſequ.*

l) latuit olim diu ſub cucumeris nomine, inquit *Plinius H. N. L. XIX. C. 5.* Annon cucumis: quem ibidem mira voluptate adpetiiſſe *Tiberius* dicitur, melo fuit? Cura *Tiberii*, ut hibernis etiam diebus cucumere ſuo frueretur, convenit cum cura *Gallieni*, qui hieme ſumma melones exhibuiſſe *Treb. Pollioni* ſcribitur. v. *Hiſt. Aug. Script. Ed. Salmaſ. p. 182. B.*

bet ſub æſtivis caloribus jucundiſſimum. Solidior certe dulciorque melo, moderate exhibitus *m)* torpentem æſtu ventriculum recreat, ſitim exſtinguit, facile permeat, renes detergit, & cum ſaccharo, pane, ac tantillo vini generoſi ſumtus minime meretur ſeveram D. PANAROLI cenſuram *n*), qui principum decretis rem ſanitati tam infeſtam ab uſu humano excludendam eſſe judicat. Si perſpirabilis materiæ quadrantem judice Sanctorio *o*) melonum vſus aufert, id incommodi largior diureſis facile ſarcit. Si huc congruunt, quæ de melopeponibus GALENUS *p*)habet, minus ſunt humidi, minus noxii ſucci, minus celeris corruptelæ. Congeneris naturæ angurias & citrullos recentiorum prætereo. Nihil reſtat, quod inter fructus fugaces herbarum attingere ex quorundam ſententia fas poſſit videri, quam aſparagus & cinara. Sed illi inter olera ante æſtatem emergentia locus eſt, hanc æque amicam ſtomacho & modice alentem æſtas quidem, at non ſub illo charactere, qui horæis in ubertate ſucci ſui proprius eſt, impertit *q*).

§. VII.

Ex fruticum ſuffruticumque fructibus, qui hujus loci ſunt, occurrunt potiſſimum ribeſia, vuæ criſpæ, fructus rubi utriusque, berberes & vaccinia. Ex his ribeſia Græcis vix nota, plus culta Arabibus, debentur groſſulariæ non ſpinoſæ hortenſi. Baccæ rubræ vel albæ, nam nigras acerbiores & gravæ redolentes haud eodem

m) Intemperantiam eorum, qui cum *Carino* inter poma & melones natant, ut *Fl. Vopiſcus* ait, per vomitus choleram & febres putridas funeſtam fieri poſſe non nego. *Io. Cuſpinianus* in vita *Friderici* III. quatuor Cæſares melonum eſu interemtos enarrat.

n) *P. I. O.* 39.

o) *med. ſtatic. S. III.* 25. 26.

p) *l. c. C. V.*

q) Eſt articoca ſeu ſcolymi non aculeati fructus globoſus ex ſquamarum unguibus & medio diſco eduli conſtans, qui plerumque ex pingui juſculo carnium cum miſcela aromatum editur, *Columellæ* deſcriptus, *Theophraſto* Siculis tributus, inter nos hodie abundans, cum ævo *Hermolai Barbari* Venetiis in uno horto conſpiceretur.

eodem gradu collocamus, ſub varia magnitudine, quam cultus hortorum auget, ſuccum præbent ſaporis grati, acidi, dulcis, qui vi benigna ſaponacea ſoluit, putre inhibet, ſitim, æſtum, colluviem bilioſam & natum inde cibi faſtidium corrigit, æſtivos oris ſqualores ut & ventriculi detergit, hunc etiam moderata adſtrictione roborat, & in dyſenteria, hæmoptoe, cholera gravique febre multum levaminis promittit. Crudis, aqua ablutis & ſaccharo conſperſis, nemo locum inter æſtivas delicias negat. Id vero beneficii, quod iis tribuimus, per hiemem quoque protrahunt condita ribeſia & rob eorum, Jo. Jac. Wolfius r) viri meminit, in quem morbi nephritici & iſchicatici vis conjuncta incubuit, qui dolens, nauſeans, ſitiens, languens, adlatis ex improviſo ſumtisque ribeſiis ſaccharo conditis, mire ſenſit mala illa levari, uſus deinde cum fructu ob ſimilitudinem virium tinctura ex floribus & fructibus ſpiritu vitrioli acidulata. Anginoſos collutio ſucci ribeſiorum cum aqua roſarum & plantaginis ſæpe conſolatur. Immoderatum fructuum uſum ſtuporem dentium, gravedinem s), tormina ipſumque malum iliacum t) peperiſſe, paſſim legimus, quæ mala iis aliquando imminent, qui vel acido jam laborant, vel ſordida & ſine juſtæ manducationis opera deglutiunt u), vel etiam improvide aquam ſuperbibunt aut cereviſiam. Vuæ criſpæ etiam groſſulariæ debentur, ſed vulgari albæ, utplurimum ſpinoſæ. Baccæ maturæ, flavæ vel purpureſcentes, molles, dulces & quadantenus mucilaginoſæ temperate adſtringunt; fortius immaturæ, virides, auſteræ, quæ ſaccharo lenitæ teneris carnibus, ut pulliſ gallinaceis, probi condimenti loco*, jungun-

r) *Ephem. N. C. D. II. A. VIII. O.* 61. *p.* 157.

s) quaſi quadrigis advectam levi uſu ribeſiorum deſcribit *G. Hannæus* in *Eph. N. C. D. II. A. VI. O.* 138. *p.* 288.

t) in matrona, quam clyſtere ſanavit, notat *Io. G. Gruebel Eph. N. C. D. III. A. IV. O.* 95. *p.* 199.

u) *Eph. N. C. D. II. A. IV. O.* 73. *p.* 177. *Io. Lud. Hannemannus* mercatorem Hafnienſem cum quinque filiis nimis indulſiſſe ribeſiis ſcribit. Pater purgante ſumto ribeſia integra & tumida rejecit. Filii non niſi e longa macie ſunt eluctati.

junguntur. Sequuntur fructus rubi tum ſylveſtris tum idæi *x*). Priores ex atro rubentes, maturi, molles, rite abluti bene permeant, pectus & renes expurgant, nec proba adſtrictione carent, quæ manifeſtior eſt in minus maturis & acerbiuſculis, qui ſiccati nimios fluxus ſiſtunt. Poſteriores, tum albi tum rubri teneræ carnis ſuavitate & odoris fragrantia longe antecedunt, lapſas vires reficiunt, bilioſisque & æſtuantibus jucunde inſerviunt. Recens decerptis ablutisque fas eſt ſine mora frui, hanc enim in tanta teneritudine inter vermium & variæ corruptelæ inſidias diu non ferunt. Fugientem virtutem ſumme analepticam ſiſtit ſaccharum *y*). Berberes, quos ſpina acida gignit, plus habent in ſe tutelæ. Sunt baccæ rubræ ſubadſtringentes, quæ ob vehementem acoris gradum vix crudæ feruntur, dilutior ſuccus in faſtidio ventriculi, æſtu interno, morbis malignis & diarrhoea bilioſa *z*) levat & reficit egregie, nec in condito & tabulis paruam ſuccus ille laudem meretur. Ultimi ſubſellii ſunt vaccinia *a*), baccæ nigræ, foli-

x) Hi fructus ruborum mora etiam vocantur, & batina quidem, ut a fructibus mori arboris diſcernas. Nam βάτος græce, rubus latine, frutex eſt, maſculini ideo generis, quod ut ipſe Priſcianus ait, non ſit arbor. *Dioſcoridi* tamen βάτος ἰδαία dicitur *L. IV. C.* 38. *p.* 257. rectius *Plinio* rubus idæus *H. N. L. XXIV. C.* 14. Ille nomen inde derivat, quod copia fructuum horum in Ida ſit, hic, quod alius rubus ibi non ſit. *Ian. Ant. Saracenus in not. ad Dioſc. p.* 80. legit non *alius*, ſed *alias*, hinc male *Plinium* carpit, quaſi neget, rubum idæum in aliis locis germinare. Suggeſſit corruptam vocem *alias Herm. Barbarus in corrollario ad Dioſc. Ed. Ruell. p.* 213.

y) Ita rob rubi idæi tam amabile. Præfert ut analepticum gemmis *Conr. Geſnerus L. I. Ep. p.* 4. confectioni alkermes *Th. Bartholinus de med. domeſt. diſſ. V. p.* 207. qui & in morbis venenatis theriacæ comparat.

z) in hac præſtantiſſimum apud Aegyptios remedium fuiſſe, teſtatur *Proſp. Alpini de med. Aeg. L. IV. C. I. p. m.* 253. Ipſe feliciter uſus in peſtifera febre.

a) non hæc vaccinia ſunt liguſtri albi, de quibus *Virgilius* ut in vere ætatis triſtem ſenectutis, quæ ſequitur, imaginem repræſentet, *Eclog. II.* 17. agit.

O formoſe puer nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

ſolidiuſculæ vitis ideæ vulgaris ſeu myrtilli officinarum. Acidula mucagine refrigerant, ſubadſtringunt, nec gratia vacant, licet plebi magis relinquantur. Rubræ exigui myrtilli baccæ etiam ſuaviores ſunt.

§. VIII.

Inter arborum fructus horæos primum ſub admirabili varietate locum ceraſia occupant, & ſub frigidiori cœlo etiam tuentur. Arbores enim, ex quibus illa legimus, frigidum amare aërem, in tepido parvas provenire, calidum ne ſuſtinere quidem, PALLADIUS ſcribit *b*). Hinc in Aegypto nulla cura gigni poſſe, ex PLINIO *c*) diſcimus. Id conjecturam confirmat, borealibus populis prius hanc arborem inquilinam fuiſſe quam Romanis. Ad hos eam ſero, cum ipſo, ut putant, nomine, ex oppido Ponti Ceraſunte L. LUCULLUS, victor *Mithridatis*, attulit *d*). SERVIO, *e*) qui italis jam ante Lucullum ceraſia cognita fuiſſe putat, ſed dura & cornorum nomine, miror adſentiri IS. CASAUBONUM *f*). Nam inter ſylveſtris & ceraſi & corni fructus luculentum

Ubi *Servius*, cui flos liguſtri albus, vacciniorum, quæ pro violis habet, flos purpureus eſt, excuſatius peccat, quam *Matthiolus*, *Bellonius*, *Ruellus*, quibus etiam vaccinia pro floribus habita, vel *Fuchſius & Dodonæus*, qui vaccinia quidem pro baccis agnoverunt, ſed non liguſtri. v. *Canepar. de atram. deſcr. V. p. m.* 318. *ſq.*

b) *de re ruſtica L. XI. Tit.* 12. *Oct.*

c) *Hiſt. Nat. L. XV. C.* 25. qui pariter ſeptentrione frigidisque gaudere ait.

d) Larenſis apud Athenæum *in deipnoſ. L. II. C. XI. p. m.* 51. ex ſcriptorum Romanorum conſenſu hoc nomen ceraſi a Ceraſunte defendit contra Græculos, cui *Daphnus* objicit *Diphilum*, qui ſub *Lyſimacho*, uno ex ſucceſſoribus *Alexandri M.* vixit, & ceraſiorum gnarus vocat εὐςόμαχα, εὔχυλα, ὀλιγοτρόφα maxime vero ἐκ ψυχρȣ̃ λαμβανόμενα laudat, Mileſia vero tanquam diuretica. *Iſ. Caſaubonus* ad Athen. l. c. p. 103. longe antiquiores Græcos, & ante natalia urbis Ceraſuntis ceraſi meminiſſe ſcribit. Igitur urbs potius a ceraſiis dicta, ut olim Rubi urbs Campaniæ a ruborum frequentia.

e) *ad Virgilii Georgica L. II.* 18.

f) qui *l. c. p.* 103. parva, inſipida, nulloque in pretio & dignatione fuiſſe, adeo ut ceraſum pro corni ſpecie vulgo haberent, judicat, nec multum

tum nimis diſcrimen intercedit, in forma, mollitie pulpæ, gratia ſaporis & tempore proventus. Sylveſtres fruges, quas cerafus procerior fundit, parvas quidem, at minime inſipidas hic omitto, nec quas ſativa humilior præbet majores, ſapidiores nobilioresque, per omnes claſſes, oblectamenti plenas, hic proſequor. Ubique ſuccus dulcis, vinoſus & vario gradu acidus in febre, æſtu, ſiti ac torpore ventriculi & coctionis multum continet præſidii, ut fas ſit cum Geoffroy inter fructus horarios ceraſia maxime commendare *g*). Pauca hic dicit Galenus & ceraſia moris adſimilat *h*). Si Simon Sethi cacochymica vocare audet, vetuſtiorem opponimus laudati Diphili auctoritatem, qui ſtomacho grata eſſe & bonum ſanguinem gignere ſtatuit. Ipſi Salernitani, circa hæc alioquin Galenicis erroribus immerſi, tria ceraſiorum merita jactant *i*). Penes quem eſt delectus, iſta magis corporis ſui uſibus accommodat, pro varia virium miſcela. Aquoſa teneræ carnis gravant minus, liqueſcunt celerius, diſtribuuntur & vias excretionum lubricant. Dura, oblonga, cordata, quæ olim Daracena vocabant, coctionis, licet magna non ſit, plus tamen paulo requirunt, deſcendunt tardius, & alimenti, licet multum non ſit, plus tamen quam alia promittunt, & ſolidiuſcula carne corruptionum cauſſis reſiſtunt. Dulcia leniunt, amaricantia vires ventriculi fouent, acida & vinoſa eas plus excitant, putre inhibent, roborant. Ex his laudari impenſe ſolent illa nigra ſerotina ſucci ſanguinei acidiſſimi. Quem lædunt facile niſi forte podagricum? Jo. G. Hoyer Patricii Muhlhuſani meminit, quin-

intereſſe putat, inter ceraſi ferum fructum nulloque mollitum cultu & corni. Verum hujus baccæ oblongæ inſtar olivarum, ſtipticæ, pulpoſæ & jucundæ parum, ſub ſero autumno natæ multum ab horæorum genio diſcrepant.

g) Mat. med. Tom. III. S. II. p. 287. Addit paulo poſt p. 288. vulgari judicio deſinere febres, ubi matura fiunt ceraſia.

h) *de alim. Fac. L. II. C. XII. Op. CL. II. p.* 19. *A.*

i) *C. XL.* his verbis:

Si ceraſum comedas, tibi confert grandia dona;
Expurgat ſtomachum, nucleus lapidem tibi tollit,
Hinc melior toto corpore ſanguis ineſt.

quinquagenarii ac ſobrii & ob podagram ab omni vino abſtinentis. Is tenuem acorem, quem in vino fugit, reperit in ceraſiis, quorum decerptis in horto aliquot pugillis dormientem hoſtem poſtridie excitavit. Biennio ab hinc ad eundem errorem dolor podagricus recruduit *k*). Caveant podagrici & hypochondriacis hos fructus relinquant, quorum ſiccatorum decocto complures ex numero eorum convaluiſſe liquido adſeverare non formidat Jo. Fernelius *l*). Sanis præcipue, at & ægrotantibus multis, ex ceraſiis & variis eorum præparatis, aqua, condito, rob, ſyrupo, vino, ſpiritu aliisque copia cardiacorum & ſtomachicorum remediorum offertur.

§. IX.

Nihil adiicio, quam mora, perſica & armeniaca, quorum pariter cito miteſcentium, ut cum *Plinio* dicam, transuolat velocitas. Mora ſeu ſycamina arbori debentur, quæ ſapiens dici non hoc ſolum nomine meruit, quod exacto demum frigore germinet, ſed & ſub hac cunctatione primos præ aliis arboribus fructus, ſub benigniori quidem cœlo, producat *m*). Nobis matura ſatis & ſucculenta videre non niſi calidiori æſtate licet. Ex his autem nigra, nam alba fatuæ dulcedinis negligimus, grati, acidi, vinoſi ſucci plena, non ſunt niſi debili admodum & impuro ventriculo inimica. Languentem alioquin ejus adpetitum exacuunt, ſitim frenant, bilis feruorem reſtinguunt, celeriter transeunt, aluum lubricant, lotium pellunt, calenteſque, cholericos & ſub æſtivo cœlo ac labore ſqualentes jucundiſſime recreant, inprimis munda & ſub ſolis ortum decerpta. Eorum eſu ſalubres Horatius *n*) æſtates

k) *in Eph. N. C. D. III. A. III. O.* 45. *p.* 52. Simile de cognato refert ad rob ceraſorum acidorum ſumtum.

l) *Conſil.* 45.

m) ita *Nicander*, qui moream arborem vocat, *in Georgicis, apud Athenæum L. II. C. XI. ad finem teſtatur.*

n) *Serm. IV.* 4, 21.

ille ſalubres
æſtates peraget, qui nigris prandia moris
finiet, ante gravem, quæ legerit arbore, ſolem.

æſtates promittit, ſub fine prandii, moderati ſcilicet, quale plerorumque Romanorum erat. Si ſecus, jactatæ ſalubritati repugnat adſerta in ſcholis medicorum cautio, ut ſtent fructus horæi in anticœnio non inter bellaria *o*). Succus mororum *p*) & rob diamoron bene de faucium malis crebro meruerunt, immo & in putridis morbis. Adſtrictio, quæ in maturis moris leviſſima, in immaturis vim nimii fluxus, maxime alvini, ſiſtit ſalubriter. Perſica fugaciſſima & ob ſucci luxuriem celeris corruptelæ, nervos lædere, flatu diſtendere & putres generare febres creduntur. GALENO *q*) in illam ſententiam præeunti, quod pravi ſucci ſint & cito corruptibilis, adnuunt tantum non omnes. PAUL. AEGINETA *r*) improbi ſucci eſſe & ſtatim in ventriculo coaceſcere ait ſub ſuffragio commentatorum, *Andernaci* & *Cornarii*. Salernitani inter inſalubres & vitandos cibos primo loco collocant *s*). Clamant alii, jam in patria, unde nomen habent, in ſinu geſſiſſe vera venena, ad Aegyptum demum translata exuiſſe. Id teſtatur ISIDORUS & venuſtius COLUMELLA *t*) patriis armata venenis, jam nocendi ignara, ambroſios ſuccos fundere ſcribit. Negat hoc patrium dedecus PLINIUS *u*), & quid ipſe? *x*) innocuum pomum vocat, ægris expetitum, nec alium innocentiorem cibum ex

Lambinus & *Turnebus* prandium intelligunt, cujus initium & finis ſint mora. Sufficit ſobrium prandium eſſe, quale *Seneca* deſcribit *Ep.* 83. ſine menſa, & poſt quod non ſunt lavandæ manus.

o) v. *Lud. Nonnium de re cib. p.* 93. ubi damnans morem ſeculi ingeſta poſt alios cibos mora vitiari ait, & ad deleterii medicamenti pravitatem proxime accedere, ut *Galenus* ſenſit *de alim. fac. L. II. C.* 2.

p) de quo benignius ſentit *Diphilus* quam *Dioſcorides*. Hic *L. I. C.* 180. mora ſimpliciter vocat *ἔυφθαρτα καὶ κακοςόμαχα*, hic *ἔυχυλα μέσως καὶ ἐυςόμαχα*, apud *Athen. L. II. C.* 12. *p. m.* 51.

q) *de alim. fac. L. II. C.* 19.

r) *Op. L. I. C,* 81. *p.* 96. *ſq.*

s) *C. VII.*

t) *de cultu hort. L. X.* 406. 408.

u) *Hiſt. Nat. L XV. C.* 13. refellit fabulam & ad Perſeam refert, quæ in totum alia eſt. Argutius omnia inſpicit & limitat *Cl. Salmaſius de homonym. hyles Iatr. C.* 68. *p.* 83. *ſq.*

x) *ib. L. XV. C.* 12.

ex pomis eſſe. Sane a maturis, odoratis, ſapidis, ſucci non immodici, quorum nucleus a carne facile abſcedit, ſub moderato uſu, quem aliquid aromatici vini condit *y)*, nihil noxæ eſt metuendum. Nec dubitat DIOSCORIDES *z)* εὐςόμαχα καὶ εὔχυλα adpellare. Armeniaca *a)* e genere perſicorum derivat GALENUS, nonnihil etiam his præſtare, & minus, quippe ſiccioris pulpæ, corrumpi, & aceſcere judicat *b)* DIOSCORIDES etiam εὐςομαχώτερα nuncupat *c)*. Merentur id laudis grandia, calore ſolis percocta, bene colorata, & odore ac ſapore jucunda, ſucci non illaudabilis & modice alentis. Plura hic non tangimus, nec ipſa poma & pyra, licet ex parte præcocia ac ſucculenta, nec ficus, pruna, meſpila, & in quæ plus juris autumno eſt.

§. X.

Atque hi fructus horæi, quomodo corpori, inprimis ſub æſtatis incommodis periclitanti, ferant ſuppetias, non una ratio illuſtrat. Semper æſtas molles & exiguos cibos, dilutos & copioſos potus, quæ HIPPOCRATIS verba ſunt, *d)* exigit. Manifeſtum

y) Fruſtra metuit *Bruyerinus*, ſuccum illum a vino celerius introrſum rapi. Haud crudus rapitur in exigua etiam mora. Male *Salernitani* muſtum ſuadent *C.* 42.

Perſica cum muſto vobis datur ordine juſto.

quod inflat facile & fermenteſcit, id haud corriget muſtum in eadem mala proclive.

z) *L. I. C.* 164. *p. m.* 80. Etiam *Averroes collig. V.* cardiacis ob odorem commendat, quibus forte magis conveniunt aqua, ſyrupus vel conſerva florum perſicorum.

a) Latine præcocia, poſterioribus Græcis βερικόκκα, unde corrupta vox abricoces. Diſtinguebant olim minora præcocia, & majora cultu inſitionis armeniaca, nunc utraque barbara vox comprehendit.

b) *de alim. fac. L. II. C.* 20. Cum eo *Lonicerus* inter perſica refert, *Plinius* ad pruna, & *H. Barbarus* ſola ait e prunis odore commendari, in *Dioſc. L. I. C.* 67. *Ed. Ruell.* Hodie genus ſeorſim conſtituit.

c) *l. c.* C. 165.

d) *de ſalubr. diæt. Op. T. I. p.* 626. *l.* 14. 15. ubi homo per æſtatem dicitur χρώμενος τοῖσι σιτίοισι μαλακωτέροισι καὶ τοῖσι πόμασι ὑδαρεςάτοισι καὶ πλείςοισι. Opus enim tunc eſt, ut corpus ſit,

feſtum enim eſt, prævalentis tunc æſtus iniurias ſiccare fontes coctionum, & vires ac tonum ſolidorum labefactare. Quibus ſiccitatis & æſtus nocumentis quæ fructibus tam ſucculentis opportunior medela eſt? Si præterea fas fuerit, ad laboris & cibi menſuram ſemper reſpicere, quibus, ut eum eodem dictatore artis loquar *e*), contraria virtus eſt, altera conſumens, altera replens, utraque vero mixta ad ſalutem corporis tendens; concludimus, vires æſtivo corpore ſolutas, uti multum laboris non permittunt, ita nec cibo egere, qui multum alat, plus illo, qui liquidum hic diſſipari pronum farciat conſtanter. Ineptum igitur eſſe, quis non intelligit? in hoc corporis ſtatu alentis virtutis penuriam fructibus obiicere, ubi ſemper ſuſpecta haberi debet etiam boni chyli & ſanguinis abundantia. Tertium eſt cavere, ne ſub æſtuante cœlo humores noſtri ad putrem corruptionem pronius deflectant, & illa inprimis bilis incendia, quæ toties cum corporis exitio deflectant, & illa inprimis bilis incendia, quæ toties cum corporis exitio deflagrare ſolent, liberius exardeſcant. Igitur talia ingeri debent, quibus ille in putredinem niſus, uti naturalis, ita hoc tempore major, cohibetur, & juſtum languenti ventriculo ab incenſa bile levamen conciliatur. Id quod gratus ille acor, qui blandam ſolubilemque fructuum mucaginem comitatur, benigne præſtat, & vi oppoſita ſaponacea, abſtergente & leniter eliminante, quidquid dictæ noxæ in ſinu oritur, invaleſcere & lædere vetat. Hoc triplici virium connubio ſubveniunt nobis æſtivis diebus fructus horæi: non gravant languentia tunc coctionum præſidia, non favent liquidorum diſpendio, non niſui in putredinem. Neque, quaſi in his vnice ſubſiſtendum eſſet, excludimus frumenta, novella legumina, lac, teneras carnes & alia; verum hæc magna ex parte plus cautionis requirere, ſæpe gravare nutritii liquidi copia, certe non æque permeare, diſtribui, vias excretionum reſerare, & interna vitia, inprimis ſaburram atrabi-

ψυχρόν καὶ μαλακόν, quia *ἡ ὥρα* (ita æſtatem vocat) *θερμὴ καὶ ξηρή. ib. p.* 627. 19.

e) *de diæt. I, Op. T. I, p.* 180. *II.*

atrabilariam æſtate collectam corrigere & eluere arbitror. Jam inter hæc elucet, quam mitem corporis noſtri curam gerat providentia, quam jucundum eorum ſenſum, quæ nobis tunc proſunt, inſpiret, & quam mirifice inſtruat æſtatem, ut iis abundet, quibus contra ejus noxam defendimur. Hinc in feruidiſſimis regionibus copia horum fructuum, inter majores etiam guſtus illecebras, emergit, ſuntque integræ gentes, quæ ſuaviter iis fere ſolis victitant. Quid primis & longævis hominibus patuit magis quam hortus amœniſſimis fructibus dives? Acutiſſimi morbi, qui gravius quam violenta æſtas exurunt corpora, quam ſalutari inſtinctu rapiunt ægrotantes ad has noſtras delicias, quibus negatis ſuccumbere eos ſæpe videas, tanquam ereptis corpori in ſuam tutelam armis. Nec hic minor in chronicis virtus elucet. Vir perilluſtris Gerh. a Swieten *f*) furentiſſimos ex melancholia maniacos perfecte ſanatos vidit, qui cibos & remedia ex veneni ſuſpicione averſati ſola fraga & ceraſia adpetierunt, non ad manipulos & temperanter, ſed ad viginti libras & ultra quotidie, ſub toto integrarum hebdomadum decurſu. Secuta diarrhœa ſolvit & excuſſit fecem atrabilariam, ac brevi furores omnes pacavit, protinus reſtitutis legitimo victu exhauſti corporis viribus. Hinc non dubitat vir ſummus in melancholicis inprimis morbis, quibus tam contumax genius, palmam inter remedia maturis fructibus tribuere. Veteres ſubinde inter ſolventia & helleborina confecerunt morbum, at ſub ingenti virium ſtrage; cum pro eodem ſcopo ſucci horæorum ſolvant tam leniter corrigantque materiam morbi, & tam pacate eliminent. Gaviſus olim H. Boerhaavius non ſemel eſt lætabili indulgentiæ ſuæ ſucceſſu, quem in ſummo agnovit ægrotantium ſub conceſſis fructibus levamine, licet importuni cenſores ſcelus adpellarent, publica auctoritate inhibendum. *g*) Multum hodie deferbuit obtrectantium æſtus. Videbimus tamen, quæ illorum conquerendi de fructibus ratio ſit, quam varia & quam juſta?

§. XL.

f) *in aph.* 1097. *H. Boerhaave Comment. T. III. p.* 480.
g) *ib. T. I. p.* 126. *ad* §. 88.

§. XI.

Prima querela eſt, quod exiguum alimentum præbeant. Princeps enim ingeſtorum meritum eſt alere, fructibus vero oblectamenti magis quam alimenti nomen convenit. *h*) At quid facile eſt, quod in ſobrii hominis alimoniam non ſufficit? & quid in primo hominum ævo fructibus noſtris ſuffecit luculentius? Natura in paucis, quæ vitæ diſpendia reparant, & coquentium organorum viribus reſpondent, adquieſcit. Qui hos limites migrant, & plus alentia copioſe adpetunt, in perpetuo fere cruditatum periculo ſub difficilioris coctionis onere verſantur. *i*) Id quod inprimis æſtate fieri conſtat, ubi, ut jam oſtendimus, coctio languet, & ex conſenſu medicorum paucioribus cibis & humidioribus corpus reficiendum eſt, quippe in quo magna conſiſtit fructuum horæorum, tanquam æſtivi cibi, commendatio. Habent præterea cibi exigui nutrimenti id inter laudes ſuas, quod humectent aluum, celeriter digerantur, perſpirationem interdiu & noctu augeant *k*), inde vix ipſa copia infeſtent *l*). E contrario cibi multi nutrimenti ſtringunt aluum, ægre digeruntur, parum perſpirant *m*), & vires quidem fortiores, quibus ſubacta ſunt, conſtantius ſuſtentant, imbecillas autem, quibus non ſubiguntur, facile opprimunt. Denique eo injuſtior querela eſt, quod parce alant fructus, cum eorum, quæ plus alunt, ſocietatem, ſed cautam & ad ſtatum æſtivi temporis reſtrictam, haud temere adſpernemur.

§. XII.

h) Verba ſunt *Plinii* de fructibus herbarum, ut fragis. *Hiſt. Nat. L. XXI. C.* 15.

i) qui plus comedunt, quam oportet, aluntur minus, quam debent. Verba *Sanctorii* ſunt *in medic. ſtatic. S. III.* §. 54.

k) ib. *Sect. III.* §. 47. Addit §. 49. ubi difficultas coctionis, ibi tarditas perſpirationis.

l) *ib.* §. 5. quod liberalior tenuis alimenti uſus admodum perſpirationem intendat.

m) *ib.* §. 48.

§. XII.

Altera non multo juſtior querela eſt, quod tonum partium laxent. Largimur quidem, ab aquoſa mucagine, qua abundant fructus, & a tenui alimento, quod præbent, multum roboris exſpectari vix poſſe. At licet de tonica adſtrictione, & de vinoſi ſucci vi cardiaca, per ſolum ſæpe odorem recreante, cujus non ſpernendo gradu fructus participes ſunt, nihil commemorem; certum tamen eſt, calori æſtivo, qui partium nexum debilitat, cum inertia ad motum, ſiccatque & corrumpit humores, reſiſtere fructus non poſſe, quin præſentius ex illa parte malum declinent. Quemadmodum moderatum hiemale frigus roborat corpus, ut major vaſorum in contenta actio ſit; ita modicum horæorum frigus tonum partium, quem calor cum viribus diſſoluit, reſtituit quadantenus, & areſcentium humorum fontes blando & corruptelæ oppoſito liquido inſtruit. Ipſe GALENUS *n*), qui omnes horæos pravi ſucci dixit, non diffitetur, ab illis, qui æſtu vehementiori & longiori itinere ſe confecerint, ſumi utiliter: quo conceſſo miror, quod humectandi virtutem tanquam perpetuam, illam refrigerandi non niſi adſcititiam agnoſcat, quam nempe fructus ex aqua frigida, nive vel glacie ſumta conſequuntur. Quid ignem magis quam aqua exſtinguit? quid putrium humorum, ſub diſſipata lympha & acrium ſtimulo, incendia melius quam horæorum aquoſus & acidulus ſuccus inhibet?

§. XIII.

Novum, quod jactant opprobrium, eſt flatulenta fructuum indoles, ob largam, quem obſervata BOYLEI, HALESII & aliorum evincunt, materiæ elaſticæ complexum. Hæc diſtendens primas vias, & per partes ſpaſmo correptas intercepta, dum ob majorem ſe liberandi niſum cum ſono erumpit, pro re habetur non moleſta minus quam indecora, cui ægre in honeſto ſodalitio ignoſcitur. At præ aliis talem fructuum noſtrorum conditionem eſſe, nego. In ſanis & robuſtis materia illa elaſtica, quoties abun-

n) *de alim. fac. L. II. C. II. Op. CL. II. p. 16. E.*

abundat, paruo niſu & per vias patentes tacite elabitur. In illis vero non minus ejus materiæ eſt, quam hypochondriacis, modo quod viæ ibi liberæ ſint, hic intercluſæ. Illi ad talia, quæ flatulenta dicuntur, copioſe ingeſta ne ructant quidem, hi ad pauca ructant, vel quod pejus eſt, flatibus omni tranſitu prohibitis diſtenduntur. Nempe ut cauſſa prima flatuum eſt materia elaſtica, ſive communis aer ſit, ſive cibis irretitus, ita altera cauſſa eſt ſpaſmus, vias, per quas oberrat & enititur, intercipiens. Hæc etiam potioris virtutis eſt, cum ingeſtorum corruptela, ubi vis coctionis non prævalet, facile fibras tam irritabiles ad ſpaſmum compellit. Idem ingeſta faciunt in ſe acria, ut arſenicum, ſub quo pauxillo, licet nemo flatulentum dixerit, ſaniſſimorum venter fere crepat. Nam aër etiam cibo non incluſus ſub omni momento deglutitionis ventriculum adit, & ſub vario caloris gradu nunc ſe expandens nunc contrahens, hoc oſcillatorio motu juvat coctionem primarum viarum *o*), & alias actiones, quæ ſine eo ſilent tanquam oppreſſæ. Talis aer copioſior, non niſi in debili & ad ſpaſmum irritabili corpore, vias obſtructas reperit, ut cum molimine & ſono erumpat, vel retentus diſtendat. In ſanis nihil reperit obſtaculi, niſi interdum in puellis, quæ arte ſibi ſpaſmum parant, & corpus in arundineam formam cogunt, ſua hinc culpa, licet nollent, flatulentæ. Etſi igitur largior, in fructibus horæis non modo copiam aeris latere *p*), ſed & facile ſub calore corporis & proprio in fermentationem niſu extricari, ut adeo augeat illum, qui jam ſine ciborum vinculo intravit, nondum tamen ſequitur, ut præponderans aer ac ſui jam juris, nullo retinente ſpaſmo, ſe cum impetu vel moleſtia aliqua corporis ſubducat. In imbecilli-

o) qui aer tamen in ſecundis viis latentior vix ullum elaterem exercet, alioquin internæ œconomiæ leges nimis turbantem, id quod illuſtrat mors ex tantillo aeris venæ animalis injecti. Poteſt tamen & intro vis morbi extricare aerem & elateri ſuo reddere. *Ruyſchius in Ep. probl.* 16. *p.* 11. feminæ ſubito exſtinctæ cadaver ſecans cor vidit aere plenum, ſine ullo fere ſanguine.

p) quod fructus horæi ad cauſſas flatuum pertineant, *v. H. Boerhaave aph.* §. 647.

cillioribus ob vitium coctionis & indigeſti cibi reliquias crebræ ſunt ſpaſmorum cauſſæ, ob quas ſive fructibus horæis, ſive aliis fruantur, ad novi aeris geneſin, qui cedere nequit, inflatio fit, diſtendens non raro inter magna tormina membranas, & vaſa per eas ſparſa anguſtans, motumque ſuffocans cum ipſa inflammatoria febre, in gangrenam aliquando ac ſphacelum tendente. Non hæc fructuum crimina ſunt, ſed impuri corporis, quod hinc provide a flatulentis abſtinet, quorum parua tantum pars & innocentior ſunt fructus, quive hanc noxam, ſi coctos offers, propemodum exuunt. In iis, quæ mox ſequuntur, de his uberius dicendi redit occaſio.

§. XIV.

Non enim prætereunda eſt majoris momenti querela, in facilem nempe celeremque fructus horæos corruptionem tranſire, ſique intro non ſit, quod reſiſtat & emendet, ſuſcepto vitio totum corpus contaminare. Bene eſt, quod ſub illa tantum conditione, quæ ſatis ſalva videtur, metuant aliquid ſiniſtri. Facile tam mollium & tenerarum partium coalitus, qualis in plerisque fructibus reperitur, penetrantium & ſoluentium cauſſarum actioni, immo intra breve tempus, ſoli aeri alluenti ſuccumbit. Sed illud primum inde redundat commodum, ut corpus, quod ingeſta viribus ſuis ad legem ſanitatis ſubigit, nihil in materia tam mutabili & morigera inueniat, quod non coquere facile & ad mores inquilini humoris fingere poſſit. Alterum eſt, quod iſtam ſpontaneam corruptionem, in quam fructus ruunt, non, ut in externo aere fieret, foveat corpus, ſed oppoſita virtute inhibeat. Corpus per ſe in putredinem, fructus in acorem tendunt, ergo his occurrit in corpore, quod conſtanti lege eorum corruptioni repugnat. Omnibus noſtris humoribus ſub ipſo ſenſim vitali motu alcaleſcentibus, ne id fiat, quid adfundi poteſt ſalubrius, quam crebrior chyli, ſuo genio aceſcentis & a niſu in putredinem alieni, riuus? Et quæ tandem eſt illa corruptio, de qua tantopere metuunt? Aceſcunt & fermenteſcunt fructus, quæ via eſt ad vini & aceti naturam, rerum, ſub quibus multum novi beneficii pro genere humano latet. Neque vero ſine ratione inſtant adverſarii,

corruptionem fructuum, ſub inchoante eorum in primis viis fermentatione, vim non levem minari, nec ſemper reprimi ſatis ac cohiberi a Naturæ, inprimis imbecillioris, viribus poſſe. Id igitur vel inuiti agnoſcunt, reſiſtere certe fermentationi, velut ipſi acido, quod fermentatione gignitur, corpus noſtrum vi fabricæ ſuæ & humorum. Fateor viciſſim, fructus illos pulpoſos, molles, ſucculentos, maturos, ex acido dulces promtam, ſi reliqua fauent, fermentationem ſubire. Accedit materiæ ad fermentandum tam opportunæ tum calor in ventriculo & inteſtinis, tum aer vi ſua elaſtica accedens libere, tum major fere loci quam in reliquo corpore quies. Qui inter hæc ſequuntur acres, acidi & elaſtici ructus, dant vera inchoantis fermentationis indicia, quæ ſi in illum gradum adſurgeret, cujus ingentem noxam experimenta declarant, opus profecto arctiori limite eſſet in laudibus fructuum horæorum. Sylveſtris ille ſpiritus ſub vigore fermentationis proſiliens verum eſt venenum, nec tam ſubitum aci funeſtum aliud. Si dolia optimo muſto fermenteſcente plena ſpiritum illum ſub anguſtiori ſpiraculo eructant, hunc inſpirans robuſtiſſimus uno cadit momento mortuus, ſi parcius admittit, apoplecticus, certe in illo pleniori vigore fermentationis, paralyticus vel fatuus *q*). Adeoque de ſpiritu, qui æſtivis diebus in calido corpore a nimio horæorum eſu naſcitur, & convulſo interdum ventriculo exire prohibetur, ſummo elatere diſtendit, ingentive acrimonia ſtimulat latera, quid niſi funeſti ominentur medici? Nihil hic regero, quam quod multæ nimis conditiones, quæ raro vel nunquam conjunctim exiſtunt, ut juſtus tanti periculi metus ſit, requirantur. Nihil fermentationi poteſtatis eſt in victum animalem, neque magna ex parte in vegetabilem. Igitur in conſueta ciborum miſcela, perpetuum fermentationi, ne vegetabilia ſibi ſubjecta tangat, obſtaculum eſt. Pone tamen fructuum unice horæorum ingenti copia ventriculum oppleri. In robuſtis quidem intra brevius tempus, quam naſci fermentatio poteſt, ſub tritu ſolidi & miſcela inquilini humidi, ut bilis, quæ fermentationi valide obſiſtit, facilis tam ſolubilis materiæ coctio &

q) *Comment. Swieten. in aph. Boerh.* T. II. p. I. p. 180.

& propulſio contingit. In imbecillis major mora eſt, ut forte inchoantis fermentationis noxæ haud penitus diſſimulari queant. At præterea, quod levia ejus initia ſint, probe monet CHEYNÆUS *r*), vegetabilia, quæ tardius matureſcunt, & ſolarium radiorum igne diutius foventur, ut vuæ, ſuccos accipere, qui a fermentatione ſpiritus acriores, ſubtiliores, copioſiores præbent, quam ab iis fiat, qui, ut fraga vel ceraſia, citius matureſcunt. Horum igitur molimina fermenteſcendi facilius inhibentur, in corpore etiam modicis viribus inſtructo. Fieri tamen non nego ſub illo niſu, ut aer copioſius liberetur, & cum acrioribus contentis diſtendat ac ſtimulet, inter moleſtiſſimos flatus & tormina, donec vel excretiones per diarrhœam aut choleram ſequuntur, vel ſub violenta tenſione inflammationes cum quovis funeſto exitu ſuo. Partem hujus culpæ delevit TH. SYDENHAMI *s*) auctoritas, cum alioquin choleræ æſtivæ menſe Auguſti & Septembris fere omnes fructibus horæis adſcriberentur. Sit ita, ut in corpore impuro & imbecillo, præter modum & unice fructibus noſtris indulgente, aliquid non prorſus diſſimile eveniat. Sane ut ii, quibus res eſt cum vinis, violentam eorum in doliis fermentationem halitu ſulphuris accenſi dextre inhibent, & homines multos ſaliente cereviſia vel fermenteſcente muſto uſos, hinc flatulentos & ad mortem anxios, ſpiritus ſulphuris vi ſimili liberat; ſic idem ſpiritus vel etiam terreſtrium & abſorbentium actio, ut terræ Britannicæ, vel ſalis abſinthii ſimiliumque, ſopiet hoc loco, quod ab horæis metuimus *t*).

§. XV.

Non omitto vermium geneſin fructibus objectam. Hanc ita diluunt experimenta FR. REDI, ut fructus noſtri, quos eo nomine accuſant, nec fotus nec cibus opportunus vermium ſint, nedum in ſinu ſuo ſtamina eorum contineant. Quam celeriter pereunt injecti in ſuccum contuſorum fragorum & ceraſorum vel malo-

r) *de ſanit. tuend. C. II.* §. 4. *n.* 1. *Ed. lat. p.* 35.
s) *Op. S. IV. C. I. p. m.* 171. *C. II. p.* 175.
t) conf. *Swieten. Comment. in Boerh.* §. 650. *T. II. p.* 241.

malorum perſicorum & armeniacorum! *u*) Id quot etiam de prunis, pyris pomiſue compertæ fidei res eſt, modo quod in horum corticibus oblique terebratis ovula ſua tanquam tutis latibulis deponant, & opus ſit, abluendo decorticandoque noxas in uſu emergentes præcavere.

§. XVI.

Idioſyncraſiam, quæ ſæpe innocentiſſimarum rerum uſu nos privat, non niſi paucis tango. Ch. Frid. Garmannus *x*) in viro quodam tam inſignem fragorum nauſeam deſcribit, ut ſine anxietate nec adſpectum eorum nec odorem ferret, ſentiret autem cum perturbatione animi, etiam ubi in domo abſcondita laterent. Ita ſolo malorum conſpectu & odore Jo. a Guerceto *y*) turbatus animo fuit, ut ſtatim, ſi adponerentur, e convivio exiret. Ad malorum citreorum odorem ſimile ad tempus ſtudioſo cuidam Hafnienſi contingit *z*). Quid quod femina eſſet, quæ ægrotans nullum plane remedium ex omni re vegetabili ferret *a*). Sed nihil hæc fructuum noſtrorum extenuant laudes, licet uſum limitent.

§. XVII.

Nec tamen dilutis illis, quæ obiiciuntur, offenſionum cauſſis, patro-

u) *Fr. Redi Obſ. animalium viu. p.* 177. 31.

x) *Eph. N. C. D. I. A. III. O.* 376. ex teſtimonio *I. M. Neſteri.* Neque non hujus loci eſt tumor, rubor & pruritus cutis, quo *A. Libavius de Antipath.* ſcribit commilitonem ſuum ſemper ab uſu fragorum ad dies aliquot laboraſſe. Viderunt inde maculas faciei P. I. *Sachſius in Gammarol. L. II. S. I. & Th. Bartholinus in C. III. hiſt. anat.* 57. & maculas totius corporis *H. Grube* de ſimpl. med. fac. p. 113. ſolutas largo ſudore. An ipſum *V. Riedlinum* huc referam? *lin. med.* 1695. p. 196. *quoties*, inquit, *fraga edi, toties hoc anno catarrhorum incommoda ſenſi.* Nam potius ſiſtere catarrhos fraga in oris collutione, *B. Piſanelli de alim. fac. p.* 15. docet.

y) Secretarius R. *Franciſci I.* apud *Bruyerinum.*

z) refert *Io. Lud. Hannemannus in Eph. N. C. D. II. A. I. O.* 72. *p.* 176.

a) notat *Ch. Mich. Adolphi in Eph. N. C. VII. & VIII. O.* 37. *p.* 83. Sed vix videtur experimento tam amplo locus fuiſſe.

patrocinari velim ingluviei & intemperantiæ *b.*) Nihil tam ſalutare eſt, quod extra ſobrii vſus limitem non contrahat noxam, licet hic fortaſis non adeo inſignem, ſine alterius cauſſæ acceſſu. Quis non excuſet ceraſia, quæ teſte FRID. FERD. ILLMERO *c*) vomitus, tormina & deliquia animi duodecim hominibus peperunt, ſi cognoverit ſimul, errore mulieris pro ſacchraro pulverem glirium adſperſum fuiſſe? Ita plebs fructus maligna ſæpe pruina inquinatos carpens nec comedens ablutos, negligentiæ ſuæ luit pœnas. Guloſi pueri etiam in his minus attenti plus interdum malorum experiuntur, ob corpus acido magis obnoxium. Certe corpus omne impurum magis contaminat cibos, qui tenerioris texturæ reſiſtunt minus. Quodſi vacuus ventriculus, qui tamen velocius coquit & propellit, non omnis culpæ expers eſt, erit longe minus repletus alio cibo diſtentusque, qui ſubſiſtere cogit fructus, quorum tam neceſſarius eſt celerior deſcenſus, & per calorem ſub illa mora vitiat. Addo inter ipſa ſæpe ingeſta eſſe, quæ ſua actione corrumpunt, ut aromata, quæ acidam acrimoniam protinus exaltant. Hæc & alia firmant regulam, licet robuſtiores ſtringat mitius, fructus horæos a bellariis excludendos, & quoties cibus capitur, præmittendos eſſe. Accedit cautio, quæ ſuperbibere vetat aquam frigidam, vel ipſos fructus aquæ gelidæ, nivi aut glaciei immerſos capere ubertim. Nam quo plus æſtate corpus calet, eo timidius & cautiori gradu ad juſtam frigoris temperiem redeat. Sordidius plebeii cereviſiam ſæpe non frigidam ſolum ſed & acidam corruptamque ſuperbibunt, de cujus exitiali noxa diſſerunt auctores. Sic nempe Natura nos indulgenter quidem & ſub magnis illecebris, non tamen niſi ratione duce & quosvis ſcopulos vitante, invitat ad genialem & opiparum horæorum uſum.

b) Qualis olim in *Cl. Albino* fere incredibilis fuit, qui jejunus quingentas caricas, centum perſica Campana, melones Hoſtienſes decem & alia multa comedit, teſte *Iul. Capitolino. v. Hiſt. Aug. Script. Ed. Salmaſ. p.* 83. *C.*

c) *Eph. N. C. D. I. A. III. O.* 40. *p.* 68.

DISSERTATIO
DE
DOCTARUM LUCUBRATIONUM NOXIIS

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 6. SEPT. 1755.

RESP.

JO. BARTHOLDO JENISCH.

OSTERODANO.

§. I.

Quidquid ex arida materia conſtans ignem alit nocturnis laboribus prælucentem, lucuber vel lucubrum veteribus adpellari conſuevit. Ita Iſidorus hoc nomine modicum ignem deſcribit, qui ex tenui ſtuppa & cera ſubſiſtens in umbra lucet *a*). In qua tamen etymi norma licet lucubratio omnem nocturnum laborem deſignet, ad lumen illud, quod, ubi Sol diſceſſit, ars nunc rudior nunc cultior, ſub varia materia ac forma, in uſum vigilantium & ad ſuſtentanda oculorum miniſteria ſubſtituit; uſus tamen penitius reſtrinxit vocem, ut ſolius hominis intelligamus operam, eamque in re ſeria & honeſta poſitam, cum quadam manus vel ingenii ſe exercentis perſeverantia. Quis enim præter APULEJUM *b*) jumenta dixerit lucubrare, dum molam agitant? Homi-

a) *Orig. L. XX. C. X. in collect. Dionyſ. Gothofredi p.* 1322.

b) *L. IX. de aſino aur. p. m.* 772. ubi jumenta molis adligata farinam lucubrare, eo inconcinnius ait, quod illorum labor ſine omni externo lu-

Hominem quoque, qui ad lucernam inter pocula luſusque vigilat, quis dixerit lucubrare? Vel quis ſerios etiam labores noctium cito interruptos iſthoc lucubrationum nomine dignos cenſeat? *c*) Neque vero diffitemur, hominibus tam doctis & ingenuis, quam rudioribus quibuscunque, ſervis etiam & ancillis, idem lucubrantium nomen ſub dictis conditionibus convenire. COLUMELLA ruricolarum enumerans labores, quales ſunt, palos cædere, ridiculas findere, corbes ex vimine ſtruere, ferramenta parare, manubria aptare, non dubitat, quidquid horum una lucubratione, vel veſpertina vel antelucana, confici poſſit, curioſius definire *d*). Inter ancillas etiam lucubrantes ſedentem ſera nocte *Lucretiam*, cum *Sextus Tarquinius* ſuperveniret, venuſte deſcribit LIVIUS *e*). Nobis tamen ſermo hic non erit, de lucubratione illa vulgari, licet honeſta, utili & in plures horas protracta, quæ corpus, ſed de illa, quæ mentem exercet; non quæ in

mine fit, utpote velatis oculis, ne vertigo corripiat, molam agitantium. Paulo minus, quia de hominibus agit, at ſatis etiam, dum lumen artis excludit, improprie de iis loquitur, qui viam intempeſta nocte lucubrant. ib. *L. VI. p. m.* 538. 539. Non tango improprium apud alios auctores cadente ſeculo uſum vocis, dum pro re ad lucernam facta, vel ipſo tempore nocturni laboris, ut *Gellius in præf. ad Noctes Attic. Edit. Gronov. p.* 7. lucubrationem ſumunt.

c) Præcipuus fere character lucubrationis eſt longa in opere perſeverantia, haud circa confinia noctium ſubſiſtens: unde frequens veterum vox ἀγρυπνᾶν, παννυχίζειν, νυκτογραφεῖν. Poterat merito ad tales etiam in vulgari opere lucubrationes *C. Furius* provocare, qui veneficii accuſatus, quod agellus ejus vicinis ampliſſimis fertilior eſſet, ferramenta ſua adduxit, ligones, vomeres ſociamque laborum filiam, *hæc* inquiens, *ſunt veneficia mea, ipſas lucubrationes & vigilias adducere in forum non poſſum. Plin. H. N. L. XVIII. C. VI.*

d) numerat palos decem, fidiculas quinque &c. v. *de re ruſtica L. XI. C. II. Ed. Geſn. p.* 748. 749. 761. *Longis enim*, inquit, *noctibus ad diurnum tempus aliquid adjiciendum eſt*, & paulo poſt: *præcipue in regionibus, ubi brumales dies horarum novem ſunt, noctesque horarum quindecim.* Conf. *Virgil. Georg. L. I. v.* 289. *ſq.* ubi pariter ruricolarum ad ignem hiberni luminis operas attingit: De cannabi lucubrationibus decorticata loquitur. *Plinius H. N. L. XIX.* 9.

e) *Hiſt. L. I.* 57.

in cannabi vel ligno, manum laſſat, ſed quæ legendo, ſcribendo, meditandoque, quidquid cerebrum cum nervis pro animalium functionum exercitio ſuggerit, ſub majori virium ſtrage, pedetentim conſumit.

§. II.

Doctam lucubrationem merito a fucata illa & commentitia, quam vani homines jactant, diſcernimus. Non pauci ſunt inter eruditos, qui libros ſuos, licet dierum fœtus ſunt, noctium & lucubrationum nomine malunt inſignere. Dum PLINIUS inſcriptionum pompam depingit, qua craſſiores ſui ævi, quoties libro feſtiviorem titulum quæſiverunt, utebantur, facetiores, inquit, lucubrationem vocant *f*). Et quid fieri facetius poteſt, quam quaſi tritum nimis & vile ſit, dierum beneficio libros ſuos tribuere, plus gloriæ ſibi inde polliceri, ſi, quidquid effudit ingenium, proles noctis audiat. Ab *Ulpio Marcello*, viro alioqui modeſto & frugi, duodecim codicillos ſingulis noctis horis miſſos ad amicos eſſe legimus, ut vigilare tota nocte videretur, & ad imitandum tantæ vigilantiæ exemplum alios accenderet. Verum non diſſimulat DIO CASSIUS *g*), veſperi eum codicillos ſcripſiſſe & ut dictis horis diſtribuerentur, uni ſuorum in mandatis reliquiſſe. Quæ lucubrationis ſpecies ſi vanitatis plus habet, altera verior quidem at nocentior in Naturæ inſtituta & valetudinis leges gravius impingit. Haud obſcure Natura docet, diem ſub ipſa luce, quam ſpargit, vigiliis & laboribus, umbram vero & ſilentia noctis quieti convenire. Ad obeunda vitæ negotia non eſt major vigiliis neceſſitas tribuenda, quam ſomno ad reparanda, quæ cito

f) *in H. N. præf. ad Veſpaſ.* Legunt hæc verba alii aliter, ſed huic ſenſui a perſpicacioribus probato congruunt, quæ ſequuntur: *Apud Græcos primus deſiit nugari Diodorus & βιβλιοθήκης hiſtoriam ſuam inſcripſit.* Ex iſto *Plinii* judicio poteſt *Gellius* inter facetiores ſui ævi recenſeri, dum noctium nomen libro impoſuit, quamvis ipſe in præfatione fugiſſe ſibi videatur, quæ veteres feſtive & ſæpe nimis lepide libris ſuis inſcripſerunt, cenſeatque ſe ſuum incurioſe & prope ſubruſtice noctes adpellaſſe.

g) *Hiſt. Rom. L. LXXII. 8. Edit. Reimar. T. II. p.* 1209. 1210.

cito deficiunt, virium impendia, novumque fibris ab opere feſſis vigorem inſpirandum. Quæ tamen regula limites admittit. Non enim hoc inde concludi velim, inter æqualia dierum noctiumque jura dimidiam vitam edormiendam eſſe *h*), nedum illud, nocturnis horis, quæ hieme creſcunt, detrahi nihil pro moderato labore poſſe. Verum in has, tanquam lacinias diei, quidquid incidit lucubrationum, cogitemus incidere in tempus exhauſtis corporis & animi viribus a diurno negotiorum curſu proximum, hinc, ne immodice protrahatur, cavendum eſſe. Extendere omnino vitam & circumſcribere noctes convenit *i*), at non ipſa vitæ ſtamina, negato juſtæ refectionis intervallo, ut jam in primo vitæ ſtadio deficiant, morborumque cauſſis tacite ingruentibus debilius reſiſtant, imprudenter labefactare.

§. III.

Antequam ad noxas illas, quas, ut cum QUINCTILIANO loquar *k*), lucubrationum fuligo parit, enarrandas tranſeo, facile largior, eos, qui modice vel a puero adſueti illam fuliginem hauriunt, fauente inprimis corporis robore & ætatis vigore, id, velut alia multa, in ſe noxia, ſi plures reſpicias, impune ferre. Largiri etiam poſſum, vigilias extra diem, dum partem officiorum ſupplent, non omni laude carere; quin & hoc, in quo plus momenti ſitum eſt, parce & ſobrie viuentes breviori ſomno recreari. Adeoque non tam arcte poſitos dierum noctiumque cancellos adgnoſco, ut his vel illis detrahere aliquid vel adiicere, pro rerum varie incidentium conditione, nefas ſit. Velut meridiatio ſeu ſom-

h) *Plinius* tamen, licet ipſe ſomni parciſſimi, ait, *æſtimatione nocturnæ quietis dimidio* quemque *ſpatio vitæ ſuæ vivere. H. N. L. VII.* 50. Sic dividere ſomnum vitæ tempus nobiſcum inſtar publicani, queritur *Clemens Alexandrinus II. Pæd. c.* 9. Dum improbant morem ſeculi, agnoſcunt tamen, tanquam univerſis prope communem.

i) Sunt verba *Senecæ in Ep.* 122. *ad Lucil.* contra illos, qui ut *M. Cato* dixit, nec orientem unquam Solem viderunt nec occidentem, vel quorum vigilia, ut ibidem ait, medio die incipit.

k) *Inſtitut. Orator. L. XI.* I. I. 23. *p. m.* 564. Huc olens *Demoſthenis* lucerna pertinet, quam etiam ſcripta ejus olere, *Pytheas* cenſuit.

ſomnus diei convenire nonnullis poteſt, ſic idem de lucubratione ſeu vigilia noctis ſentiendum eſt; hic maxime in robuſta & juvenili, ibi in languida & ſenili ætate, in qua ipſe TULLIUS, detractis lucubrationibus meridiationem, qua antea uſus non fuerit, ſe jam addere ſcribit *l*). Verum, ſi prætereo, quos vel morbus vel ætas, vel victus nocte quærendi ratio, vel alia quædam neceſſitas a communi viuendi lege diſpenſat, reliqui, quorum maximus ſine dubio numerus eſt, dum diem inter conſueta negotia, quibus Sol ſuo lumine propitius eſt, tranſigunt, probe gnari, durabile non eſſe, quod alterna requie caret, ſub diſceſſu Solis & ipſo jam languentium virium ſenſu nutum Naturæ ad ſomnum invitantis merito ſequuntur; certe infirmiores non ſine luculenta noxa illum vitæ ordinem turbant & illa lucis & noctis officia peruertunt. Nullam FABIUS lucubrationem laudat, ad quam integri refectique non accedimus *m*). Nec ſcribit ibidem fruſtra: abunde ſi vacet, lucis ſpatia ſufficiunt, occupatos in noctem neceſſitas agit. Fecit hæc neceſſitas, ut ipſas olim noctes, quarum eſt ſopire corpora, in vigilias tres vel quatuor dividerent *n*), ſtabiliente ad Trojam hanc conſuetudinem *Palamede o*). Id quod tamen minime repugnat communibus quietis per noctem capien-

dæ

l) *de divinat. L. II. 68. p. m. 709.*

m) *Inſt. Orat. L. X. III. 27. p. m. 564.* Vocat optimum ſecreti genus.

n) Græci tres vigilias numerabant *περὶ πρώτης καὶ δευτέρας καὶ τρίτης φυλακῆς*, *teſte Iulio Polluce in Onomaſt. L. I. C. VII. S. VIII. Ed. Hemſterh. p. 46.* Sic primum tempus vocabant *νυκτὸς ἀρχομένης*, alterum *νυκτὸς μεσούσης* tertium *ὑπὸ λυκαυγὲς*, *Homerus ἀμφιλύκην νύκτα* vocat, quaſi dubiam noctem, quæ auroram præcedit. *Iliad. VII.* 433. Nec Hebræorum alia diviſio fuit, niſi quod *Matthæus* ex conſuetudine Romanorum, ſub quorum tunc Imperio erant Judæi, *C. XIV. v.* 25 quartæ vigiliæ meminerit. Nec tamen utrinque differt horarum numerus, cum Græcorum vigilia tribus, Romanorum quatuor horis conſtaret, longioribus hieme, brevioribus æſtate: unde vigiliæ ad clepſydram agebantur, plus aquæ capientem, quoties de cera, interiorem partem oblinente, aliquid hieme detraheretur. v. *Æn. Poliorcet. in T. III. Polyb. Ed. Gronov. p. 1682.*

o) *Plin. H. N. L. VII. 46.*

dæ juribus. Nempe pro majori dormientium ſecuritate nullo non ſeculo neceſſarium viſum eſt, vigilare in omnibus locis paucos contra pericula hoſtium, furum, incendiorum & alia, quæ ſub ejusmodi tempore, quo nullum ad depellendam injuriam minus opportunum eſt *p)*, opprimere facilius inermes poſſunt.

§. IV.

Partiamur & nos noctem, ut tunc impenſi laboris ſalutaris vel noxii ratio plenius ſibi conſtet, in tres partes, quarum ſingulæ ſint quatuor horarum. In primam partem, quæ incidit lucubratio, veſpertina nobis audiat, a ſexta hora, quæ diem in æquinoctiis terminat, ad decimam. Quæ poſtremam occupat, antelucana adpelletur, ab hora ſecunda noctis ad matutinam ſextam, pro noſtro computandi more *q)*. Cum utriusque alia ſit hieme, alia æſtate ratio, immo æſtate, ubi Sol allucet, vix proprie ſatis lucubratio locum habeat, patet potiorem nobis de altera, ut inſalubriori, quæſtionem inſtare. At & pro inſalubri magis habendum eſt tempus noctis medium inter veſpertinum & antelucanum, quod vel ipſa æſtate omni propemodum Solis adſpectu nos privat. Nox intempeſta dicitur, quod judice Isidoro *r)* ſine actu humano ſit, per quem tempus dignoſcitur, certe eſſe ſine illo debeat. Sunt tamen, quorum intempeſtiva ſtudia his etiam, quæ omnia ſopiunt, horis manum iniiciunt, non bis aut ſemel in menſe, dum moles negotiorum vel alia neceſſitas compellit, ſed continuo fere tenore, quo tamen, niſi de die detrahant horas, quæ ſomno reficiunt, cito exhauriuntur. Fas eſt, expo-

p) Quippe ubi nemo poſſit ſibi auxiliari, nec vocare ullum ex his, qui vellent auxiliari, ut *Dio Chryſoſtomus* ait, *Or. III. de regno p. m.* 42. ubi ejus ore *Socrates Xerxem* vocat ὕπνου ἀσθενέστερον.

q) Prior lucubrandi ratio veteribus eſt ἐφεσπερεύεσθαι, poſterior ἐπορθρεύσασθαι. *Iul. Poll. l. c.*

r) *Orig. L. V. C.* 31. *in collect. Dion. Gothofredi p.* 940. Vocat tempus medium & inactuoſum noctis, quando agi nil poteſt, & omnia ſopore quieta ſunt.

exponere primum longi pervigilii damna, deinde ex ſuis deducere rationum fontibus, utrum illa majora ſint circa primum, an ſecundum, an tertium diviſæ a nobis noctis terminum? Cum larvis vero pugnaremus, ſi illos ſeorſim, qui tota nocte lucubrare, Græcis *διανυκτερεῦσαι* dicuntur, & libros ſuos, quaſi hac nocturna ingenii fætura natos jam olim *παννυχισμοὺς* vocarunt, tangere operæ pretium putarem. Hi enim, ſi quem ſenſum indigentiæ ſuæ habent, mox integris in vicem diebus dormientes manifeſtum proderent in permutandis noctium dierumque officiis veſaniam *s*). Verum quemadmodum publicæ rei intereſt, ut præſtanda mutuo civium officia in idem vigilantium tempus conſpirent; ita privatæ rei commoda maxime pendent ab illis communis commercii legibus, quibus non minus quam ſanctis Naturæ inſtitutis repugnaret, qui oculorum, quorum conſtans vigor ſolertem ſui curam poſtulat, non ad æquale, purum ac ſtabile Solis lumen, ſed ad inæquale illud, impurum, tremulum, fuliginoſum, quod ars impari longe beneficio ſubſtituit, miniſterio utitur.

§. V.

Protracti inter lucubrandum pervigilii generatim prius evoluenda eſt ratio. Nemo negat, optabile eſſe, ut commercium animæ cum corpore, quod in ſolis viget vigiliis, haud longo & crebro ſomno ſuſpendatur. Quid enim & cujus in ſe pretii vita dormientis eſt? SANCTORIUS etiam ipſis vigiliis roborari functiones animales cenſuit *t*). Solet certe a longo meditationum exercitio mirifica animæ ad ſua munera proclivitas, gerendis rebus intenta & reluctans ſomno ſuboriri. Miramur ſæpe, vegetis adſuetisque tantillum ſomni, profundi quidem, at perexigui, pro reparandis ad tempus viribus ſufficere. Verum meminerint iſti bonorum ſuorum prodigi, ſeram in fundo parſimoniam eſſe. Simile his accidit, quod aliis, qui inter magna corporis exercitia vege-

s) Sic Romæ erant, qui noctu vigilarent, ſterterent interdiu, ut *C. Petronius*, cui dies per ſomnum, nox officiis & oblectamentis vitæ transigebatur. *Tacit. Annal. L. XVI.* 18.

t) *Medic. Static. S. IV.* §. 48.

vegetiori aliquamdiu vita frui videntur, at ætatis decurſum, ſub quo corpus a prima mollitie ad ultimam rigiditatem celeri nimis paſſu contendit, præcipitant. Hinc HERM. BOERHAAVE iis, qui in pervigilia prompti ſunt, ſomnum ſalutarem & præ reliquis, licet ultro ſe non offerat, capiendum eſſe cenſet *u*). Quod dudum ſuggeſſit HIPPOCRATES *x*), & proprius ſub levi attentione omnium ſenſûs confirmat, tam vigilia quam ſomnus, ſi modum excedunt, impune non feruntur. Suſpectæ mihi fidei eorum teſtimonia ſunt, qui continuarum per menſes immo annos vigiliarum exempla referunt *y*). Quis enim teſtium, niſi ipſe ſomno caruerit, his obſervationum moleſtiis par fuerit? A plurium quoque teſtium, quos per vices ad latus illorum hominum, conſtanter vigilantium, adſediſſe dixeris, vel potius finxeris, fide pendere, tutum non eſt, quippe quorum magna ex parte nihil interſit fallere & falli. In immenſum creſcit illa obſervandi difficultas circa totas gentes, quas tamen ajunt non dormire, ut *Troglodytas* PHOTIUS *z*). Opus non eſt, ut multis verbis evincam hos, qui talia undique colligunt, in futili fabula exornanda verſari. Nequit profecto molle cerebrum, nequeunt teneri nervi, niſi induciæ dentur, quæ vigilis vitæ ſiſtunt diſpendia, illis functionibus cum conſtantia quadam ſufficere. Pervigilium eſt ſtatus communis ſenſorii continuo motu irritati, cum majori nervorum ſpirituumque mobilitate. Plus in eo ſtatu conſumi ſpirituum, quam reparari res evidens eſt inter majora tunc ad plures functiones impendia, & ideo ſomnum, in quo nobiliorum partium miniſteria ceſſant, & plus ſpirituum reparatur quam conſumitur, ſapientiſſima Naturæ lex interpoſuit. Utraque noxa, tum quæ ex ſubtilioris liquidi penuria, tum quæ ex perenni attritu partium tenerrimæ fabricæ naſcitur, novam pandit malorum ſcenam. Neceſſe eſt, diſſipato tenui inter protractas functiones animales, reliquam humorum maſſam ſpiſſitudine & acrimonia laborare. Nullus

u) *Inſtitut. medic.* §. 770. *ad finem.*
x) *Aphoriſm. S. II.* 3.
y) *Balth. Bonifacii Hiſt. ludicr. L. XVII. C.* 1.
z) vel potius *Agatarchides apud Photium in Bibl. Ed. Gr. Schott. p.* 738.

lus vero celerius humor in acrimoniam degenerat quam bilis, quæ velut ſub ſomni placidiori & æquabiliori motu miteſcit, ita palam facit, cur neminem magis quam cholericos longæ vigiliæ offendant. Ipſa atra bilis, quæ eſt fex craſſa ſanguinis ſuo ad hypochondria decubitu & ipſa mora acrior, enormes parit ſub nimiis vigiliis, ex perpetua irritatione natis, dejectiones. Tota tunc ſimul laborat & coctio & nutritio. Illam enim ut in ſomno meliorem cum GALENO *a*) tantum non omnes agnoſcunt, ita ratio latet in illo dormientium motu levi & æquabili, qui macerat aſſumta lente, nec crudi ingreſſum in ſanguinem præcipitat, ut fieri in vigiliis ſolet, ubi interveniente vario motu muſculari turbantur multa & tumultuarie procedunt. Nutritio autem quod probe notandum eſt, ſitum partium naturalem exigit, remittente omni tenſione; remittit autem in ſomno. Unde infantum, quibus plurimum ſomni eſt, celerrimus nutritionis & incrementi progreſſus obſervatur. In vigiliis vero partibus tenſis & motu inæquali ac ſæpe oppoſito agitatis ægre nec tuto alimonia accedit. Non mirum hinc eſt, ſequi ex pervigiliis maciem, cum e contrario ſomnus judice H. BOERHAVIO plus quam reliqua omnia in corpore pinguefaciendo præſtet *b*). Iſta vero macies, ut læſæ coctionis ac nutritionis proles eſt, ita poſt tenuiorum in ſanguine partium diſpendia, quæ ſolus ſomnus reparat, reſiduum acre debiles & jam affectos nervos infeſtius ſtimulans triſtitiam, pravam imaginationem, deliria *c*), inquietudinem corporis, febrem mali moris & ſimilia parit, ſigillatim mirabiles nervorum dolores, vix optimis remediis ſub prudentiſſima manu ceſſuros *d*). Hæc

a) *de ſympt. cauſſ.* L. I. C. 8.

b) *Præl. Acad. Boerh. ad Inſtit.* §. 768. *in Comment. Haller. Vol. VI.* p. 144.

c) Vigiliæ in omni morbi ſtatu diu durantes inter ea ſunt, quæ ipſam phrenitidem tum veram, tum ſpuriam præſagiunt. *H. Boerhavii Aph.* 722.

d) quales in ſe ipſo expertus *Boerhavius* eſt, cum toto die æſtivo a ſummo mane ad Solis occaſum de re ſeria meditatus eſſet, totis inde ſex hebdomadibus vigil, mox cum vehementiſſimis totius corporis doloribus diutiſſime conflictatus *Pr. Ac. l. c. V. VI. p.* 145.

Hæc malorum caterva eſt in perenniori pervigilio, & confirmat Jo. Gorteri judicium, præſtare exceſſum ſomni quam penuriam *e*).

§. VI.

Ad hæc pervigiliorum damna accedunt alia, quæ ex vita ſedentaria emergunt, nec ideo plebis lucubrationes facile comitantur. Omne corpus, ſi infantem in utero excipis, ſub eodem ſitu fit immobile, omnis muſculus diu quieſcens rigeſcit, ipſæ ad catenam feræ agilioris motus ſui plurimum amittunt. Ut fibrarum, quæ ſibi commiſſæ in mutuo partium contactu jam arctiores plus ſemper reſiſtunt internorum motuum legibus, flexilitas conſervetur, extendi crebro eas & laxari opus eſt: unde præter ingens propriæ fabricæ beneficium perennis cordis flexilitas & durabilior motus pendet. Vel mollem ceram videas aut tenera virgulta, niſi perpetuo fingat manus & reſignat, dureſcere. Ita ſe habent litterati, quietis indies & ſolitudinis amantiores, qui immorigera ſentiunt, ubi motu opus eſt, inprimis diuturniori, corporis membra, nec jam animum habent, qui illum ſevere ſatis exigat. Diminui vero non poteſt ſub hac quiete humorum vitalium velocitas, quin hi in majorem tendant ſpiſſitudinem. Sanguis extra vaſa effuſus, ut quieſcendo ſtatim concreſcit, ſic intra vaſa ſub langueſcente motu non quidem ad ſimilem concretionis gradum, ad inſignem tamen indies lentorem tendit, & boni circuitus æque quam coctionum ſecretionumque, quæ a vigore motus pendent, beneficio deſtituitur. In minoribus præſertim vaſis, ad quæ poteſtas motus fractis deſcendit viribus, accumulantur liquida, unde torpor, frigus, pigritia, hebetudo, leucophlegmatia ac ſimilia mala ſub collecta cruditatum mole oriuntur, permoleſtum quietæ vitæ ſatellitium *f*). Via autem ad vitam longam alia non eſt, quam quæ in moderamine nimii motus & nimiæ quietis conſiſtit, ut corpus nec ſub violento attritu, nec inerti humorum colluvie ſuccumbat.

§. VII.

e) *de perſp. inſenſib. ad Sanctorii aph.* 336. *p.* 454.

f) *H. Boerhavii Aph.* 769.

§. VII.

Alia etiam ratio occurrit, cur eruditorum lucubratio, præ illa, quæ plebis eſt, corporis adfligit valetudinem. Ibi pertinax in una re ſtudium fatigat, & ſcribentis manus, legentis oculi attentique animi ſolertia occupat nervos, & robur eorum infringit. Hic in laboris interpolati varietate ſenſorium commune nunc huc nunc illuc mittit commeatum. Videas plebem partes corporis, quæ vim aliquam ſine laſſitudine ſuſtinent, exercere, haud nimis oculorum acie uti, animum quoque inter jucunda colloquia, quæ operis progreſſum non turbant, recreare. At cerebri nervorumque apud eruditos contentio partem afficit, quæ ob teneram fabricam moderato exercitio & crebra quiete ac refectione eget, reliquas partes in otio, quo marcent, relinquit. Longa meditatio dum conſumit ſpiritus, horum materia, ob motum tum vitalem tum muſcularem, in ea præparanda neceſſarium, & jam languentem, haud reſtituitur ſatis, hinc ſub illa penuria eruditi impalleſcunt libris & enervantur. Inter perſeverantium meditationum tentamina magis magisque exhalat mobile, craſſius imminuto motu accumulatur, & læſa jam coctione ac ſecretione vires cordis ac cerebri elangueſcunt, chronicarumque obſtructionum, maxime in imo ventre, infeſta figitur ſedes. Melancholia, vix alterius cauſſæ quam protractarum ſub triſti ſilentio cogitationum, infelicior proles eſt. Omnis ſane animi motus, qui cerebrum nervosque atterit, motu omni corporeo fortior & nocentior habendus eſt *g*). Nam motus corporis aliquos tantum nervos certæ parti domeſticos gravius afficit, abrumpi vero pro lubitu poteſt, & inter ipſas conſumtiones præparat humores ad novum a ſomno ſpirituum proventum. At motus animi intenſior ipſas nervorum origines agitat, conſumit tantum, non reparat, & irrequieto ſtimulo ipſum ſomnum, a quo medela eſt, arcet. Quod non de magno

g) *Sanctor. Med. Stat. S. VII.* §. 39. Sic §. 35. ut oſtendat plus corpus ab animi motu quam ſuo pati, *commotus* inquit *animus corpore quieſcente plus quam corpus commotum animo quieſcente perſpirat & pondere diminuitur.*

magno tantum animi pathemate ſed & fixiori cogitatione valet *b*). Nata hinc coctionis, ſecretionis, excretionis & nutritionis vitia in funeſtas cachexias terminantur.

§. VIII.

Veſpertina lucubratio propriis præter recenſita vitiis laborat. Quæ licet luculenta eſſe putem, ut mox adparebit, non tamen illorum morem probo, qui protinus a coena decumbunt. Bene ſibi, inprimis infirmiores proſpiciunt, qui a frugali coena, quæ in paucis cerealibus vel aliis coctu facillimis conſiſtit, horam unam immo alteram transmittunt, antequam ſomnum capiunt, tunc quidem placidum, continuum, reficientem, at onuſto ventre & in lectulum ſtatim translato gravem, turbulentum, interruptum. Velim autem brevi illo a coena intervallo, nihil majoris momenti agi, quod vel oculorum vel mentis vires intendit. Talia forte ſunt, quæ diei fata vel errores leviter ſub examen revocant. Ita *Auguſtus* a coena in lecticam lucubratoriam ſe recipiens diurni actus reſidua confecit *i*). Semper audiendus Celsus: ſi lucubrandum eſt, fieri id non poſt cibum oportet, ſed poſt concoctionem *k*). Tuto mane ſurgit, idem ait, qui bene concoxit, ſi non, redormire debet. Quæ certe & omnem lucubrationem veſpertinam damnant, & matutinam ipſam, ſi coctio nondum abſoluta. Certe quidquid urgentis negotii eſt, protrahi facile ultra opportuna ſomni tempora non debet. Opportuna dico, in quibus non nova ſolum virium diſpendia in corpore jam exhauſto inhibenda ſunt, ſed & in quibus contra ingruentem tunc aëris & cœli inclementiam protegenda valetudo eſt. Scire juvat, halitus in aere per diem elevatos a Sole & ſuſpenſos non lædere, nocturno denſatos frigore cum frequenti noxa deſtillare. Craſſiores, impuriores

h) Plus in nodoſo problemate ſolvendo una duabusque horis mathematicus laſſatur, quam totius diei mechanico labore. Sunt verba *H. Boerhaavii l. c. Vol. IV. p.* 486.

i) *Sueton. in vita Auguſti C. LXXVIII.* Permanſit tamen ad multam noctem.

k) *de medic. L. I. C. II.*

res nocentioresque ſunt, qui veſperi ad minimam altitudinem elevati cito deſcendunt, dum Solis abeuntis calor haud æquivalet eorum gravitati. Id quod facile perſuadet, haud perinde eſſe, die laboremus an nocte? & nullum hiemis tempus altera aut tertia hora ab occaſu Solis, nullum æſtatis tempus ipſo crepuſculo plus metuendum infirmioribus eſſe. Malam hieme veſpertinam lucubrationem nuncupo, peiorem æſtate. Nam Sol hibernus aqueos maxime halitus evehit, qui leviores adſcendunt altius, & cadunt tardius nec ſimili cum noxa. At Sol hibernus tetra & putria elevat, quæ antequam in aëre mixta & ſubacta ſunt, cadunt citius ſub occaſu Solis & infeſtius contaminant. Hinc poſt intenſiores dierum calores, ſub cælo æſtuantiori, horæ veſpertinæ tantum non peſtiferæ deprehenſæ ſunt; ut qui ſui juris ſit, merito fugiat periculum & contra tempus valetudini ſuæ tam inimicum tepido lecti fotu ſe prudenter præmuniat. Ebrius eo tempore cubitum eundo minus periclitatur, quam ſobrius tunc lucubrando. Id quidquid eſt damni, inter recentiores fuſius proſecutus eſt Georgius Cheynæus, *l*) & infirmiores, ſi ſeneſcere velint, ab intempeſtiva illa lucubratione avocare graviſſimi momenti rationibus nititur. Dictis accedit vulgaris obſervationis fides, paucis ante mediam noctem horis plus corpus ſomno refici quam duplo temporis ſubſequentis: non tam ob vitatum illud infeſti aeris contagium, quod horis antelucanis evaneſcit, quam ob corporis ſub prægreſſo diurno labore languentiſſimi, ut otio refoveatur, manifeſtam indigentiam. Poſſunt plus ab his præceptis indulgentiæ ſperare robuſtiores, fas tamen eſt, ſi qua ipſis conſervandi roboris cura ſit, eos commonere, ne virium ſuarum fiducia in contrarii experimenti diſcrimen audacius deſcendant.

§. IX.

Antelucana lucubratio plerisque haud ſimili videtur vitio laborare. Poſt exhalationes terræ tam inſalubres, ſub occaſu Solis deciduas, aer mane purior ſiccior ſalubrior refectos ſomno cum cer-

l) *de infirmiorum ſanitate tuenda C. III.* §. 5. *p. m.* 121. *ſq.*

certiori ad conſuetos labores ſucceſſu admittit. Vigil animus eſt; ſerenum cerebrum, agile peracta coctione corpus. Haud peccant, qui per æſtatem aeri illi matutino ſe exponunt liberius, & tanquam leni frigidario immergunt, quod ſolidorum robur & vegetiorem humorum circuitum ſuſtentat *m*). Tum quoque erectus ſitus & modica membrorum agitatio accumulata per ſomnum perſpirabilia cum magno levamine expellit, & ad craſſiorum pariter excretionem, cujus noctu torpet ſtimulus, commode invitat. Ita probis humoribus referti, & ab inquinamentis vacui gaudent, corporis animique vigorem mirabili conſenſu ſua obire miniſteria, juſſisque læte & alacriter defungi. Qui ſenſus alacritatis mediam inprimis ætatem, ſub novo illo virium commeatu locupletiorem, & hinc rebus gerendis maxime idoneam comitatur, cui propterea, quam amica Muſis aurora ſit, vel ipſum tempus, quod auroram præcedit, ſedulo ab iis, quibus aures præbet, eſt inculcandum. Huic credo tempori debuit *Euripides* opus, quod cunctante ſtylo elucubratum plenis per omne ævum gloriæ velis fertur, judice VALERIO MAXIMO *n*). Quam enim fœcundam lucubrantium cunctationem ſub illo tempore eſſe oportet, quod externi ſtrepitus, qui interpellat, tam expers eſt, interni ſucci, qui abundat, tam plenum! In ſumma tamen æſtate, ubi parum diſtant crepuſculi & diluculi confinia, operam quidem horis matutinis impenſam laudamus *o*), nullam tamen, quæ Solis ortum antecedit, lucubrationem. Quamvis enim Natura paucis contenta ſit, tum ratione cibi alentis, tum ſomni reficientis, eorum tamen, qui ante orientem æſtate Solem exſurgunt, vitatis licet veſpertinæ lucubrationis ſcopulis, non audeo intempeſtivis vigiliis adplaudere, & reliquos, qui non niſi Sole ante unam vel alteram horam jam orto

m) Os etiam frigida fovere, ſi æſtas ſit, experrectis imperat *Celſus de med.* L. I. C. II. Præſens oculis remedium *Aegineta* vocat. *Op.* L. I. C. 31.

n) *fact. dictorumque memorab.* L. III. C. 7. *de fiducia ſui Ext.* I. *Ed. Torrent.* p. 303.

o) hæ ſunt ſerenæ noctes, quas vigilare a *Memmio* didicit *Lucretius de rer. nat.* L. I. v. 143. Nolim enim hyemales cœlo ſtellato cum *Mich. Fayo* intelligere.

orto & vivo magis calore omnia refovente ſurgunt, pigritiæ alumnos adpellare. Tullius, dum majorum vigiliarum munus in *Marci Bruti* nomine jam adparuiſſe ſcribit, paruum eidem offert opuſculum, his jam contractioribus, id eſt, æſtivis noctibus, ut ait, lucubratum *p*). Igitur ipſis quoque æſtivis noctibus ſedit ad lucernam, ſed noctibus, quæ cœperunt contrahi, id eſt, ut interpretor, primum ver exceſſerunt. Veteres ante Vulcania ſomno in lucem vacabant, ipſis Vulcanalibus, quæ in finem menſis Auguſti incidebant *q*), auſpicii tantum cauſſa lucubrabant, ſtudiorum cauſſa non ante finem autumni *r*). *Plinius major* ipſis Vulcanalibus non ob auſpicia ſed ſtudia ſua lucubrare cœpit, ſtatim a nocte multa, id eſt, diu ante exortum Solis. Ejus antelucana hieme lucubratio ab hora ſeptima, cum tardiſſime octava, ſæpe etiam ſexta initium ſumſit. At hora ſexta noſtro calculo eſt media nox, ſeptima primæ, octava ſecundæ a media nocte reſpondet. Incredibile hoc avunculi ſui ſtudium *Plinius junior* adpellat, ſummam vigilantiam *s*). Noſtro judicio vacat laude, quod ſanctas & a Natura ſtabilitas tuendæ valetudinis leges tantopere offendit, neque hinc mirum, ſi ipſum *Plinium*, virum ampli corporis & imbecilli ſtomachi ſomnus inter ſtudia ſua nunc inſtans nunc deſerens erroris ſui commonuit *t*). Videtur hiems ob ampliora noctis ſpatia, quis enim tota edormiat? antelucanis lucubrationibus opportunior, grata aliis ut *Veſpaſiano u*), ſed & infeſta aliis ut

p) *in proemio paradoxorum.*

q) in diem X. Kalend. Septembr. incidebant feriæ illæ *Vulcano* tanquam ignis Numini ſacræ, hinc auſpicia nocturni ignis uſu capta.

r) Notum illud *Juvenalis Satyr. XIV. v.* 190.

Poſt finem autumni media de nocte ſupinum
Clamoſus juvenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe puer, vigila, cauſſas age!

s) ubi ad *Marcum* avunculi ſui vitam perſcribit *L. III. Epiſt. V.*

t) ib.

u) v. *Philoſtrati vitam Apollonii Thyan. L. V. C.* 31. *Ed. Olear. p.* 213. ubi *Apollonius* ſummo mane veniens, & quid faceret Imperator, ex janitoribus ſciſcitans, eumque pridem ſurrexiſſe & ſcribendis epiſtolis va-

ut *Auguſto x*). *Demoſthenem* adſidentem lucernæ ſuæ doluiſſe teſtatur TULLIUS, ſi quando antelucana opificum induſtria vinceretur *y*). Carmina ſua *Martialis* nocturnis lucubrata Camoenis vocat, cum paruus lychnus modicum olivi conſumeret *z*). In quo plus agnoſco reſtrictæ lucubrationis, quæ cum legibus valetudinis conciliari poſſit. Neque enim diſſimulo, hieme, in qua ſemper Natura plus ſomni quam æſtate poſtulat, nec matutinas illas ad lucernam lucubrationes, inprimis diutius protractas, ſua noxa carere. Ex eo, quod ventris hieme calidiores ſint, derivat HIPPOCRATES neceſſitatem & corporis uberius alendi & ſomni in præſidium coctionis protrahendi *a*). Tempus enim coctionis pro ingeſtorum copia varium, ſi hæc major, plus moræ, adeoque plus etiam ſomni exigit. Ita CELSUS totis per hiemen noctibus conquieſcere jubet, quod maxime ad ſenes & infirmiores ſpectat *b*). Adde, tectum hieme ſolertius & perſpirans ſalubrius corpus, ſi fotum lecti relinquit, facile ab acriori externo frigore offendi *c*), nec ſervientium miniſteria ad convenientem ſatis caloris gradum temperare loca, ad quæ lucubrantes ſe conferunt, hos etiam non nimis urgere hanc ſolertiam, ne mollioris animi videantur. Oculos vero vix ſomno recreatos ex illa caligine ſtatim candelis tremulo & impuro lumine coruſcis, ſub fixiori etiam rerum

care, audiens exclamavit: *nunc vir regnat*, ὁ ἀνὴρ ἄρξει. Teſtatur quoque *Plinius junior l. c.* avunculum ſuum ad Imperatorem ante lucem iniiſſe, & addit: namque & imperator noctibus utebatur.

x) *Sueton. in vita Auguſti LXXVIII.* 5.

y) *L. IV. Tuſcul. Quæſt. C.* 19.

z) Id ipſe de ſe ſcribit *L. IV. Epigr.* 89. *ad finem p. m.* 268.

a) *Aph. I.* 15. χειμῶνος ὕπνοι μακρότατοι. *Sanctorius l. c. S. IV.* §. 41. utiliorem hieme ſomnum ideo cenſet, quia matutinæ perſpirationi favet.

b) *de medic. L. I. C. II.* ait in eo numero maximam partem urbanorum eſſe, omnesque pene litterarum cupidos. Ibidem *B. Ronſſeus in annot. p.* 21. *Ultro fere*, inquit, *longitudo ſomni diuturnitatem coctionis comitatur.*

c) hinc ibidem *Celſus* in hieme veſpertinum & matutinum frigus fugiendum eſſe monet.

rerum, in quibus occupantur, adſpectu objicere, quid citius eorum enervat miniſteria, ut in primo ſenio hebeſcant? Nec illa candelarum proxime ſæpe oculis, ſi myopes ſumus, admotarum fuligo preſſo pectore citra noxam hauritur. Non prætermitto, extra aliorum commercia ſub illo tempore poſitos nimis ea opportunitate, quæ indigentias vitæ levat, deſtitui, & ſic plerosque multis neceſſariis, ne ſuis ſint oneri, neglectis ruere in ſellas, & ſuis immerſos cogitationibus hærere fixos ac prope immobiles, cumque magnis, qui deinde ſuperveniunt, totius diei languoribus conflictari. Perdunt uſum diei, dum de nocte aliquid lucrari cupiunt. Igitur antelucanam æſtate lucubrationem, quia in mediam noctem incidit, prorſus improbamus, hieme reſtrictam valde moderatamque, maxime ſi ambigua valetudinis fides eſt, commendamus. Loquor vero de conſtantiori vivendi ratione, non anomalis, qui aliquando ingruunt, & aliquid inſueti oneris imponunt, caſibus.

§. X.

Mediam noctem quæ lucubratio occupat, ceteris ut magis intempeſtiva, ita minus coloris admittit. Celebris olim *Cleanthis* & *Ariſtophanis* lucerna, ſi media nocte luxit, nulli ſalutis ſuæ curam gerenti in exemplum eſt commendanda. Ipſa vegetiorum juvenum corpora hæ noctes vigilatæ cito attenuant. Non eſt profecto, ut vires animi & corporis, quas inter diurnos labores bona fide exantlatos deficere oportet, eo adhuc tempore tentemus, quo atram nobis, ut quiete fruamur, caliginem ipſa Natura circumfundit, ipſique vigiles præ aliis animalibus canes conticeſcunt. Tam fragile corpus, quod inter leviores vitæ errores pedetentim rimas agit, quomodo molem illam injuriarum circa horas refectioni ſuæ tam imprudenter ſubtractas diu toleret? Conſtat, multos ſiccato longis vigiliis cerebro vehementerque irritato in febres tam acutas incidiſſe, ut cum initia morbi enarrare vellent, finito nondum ſermone furere inciperent. Demus, longam conſuetudinem id aliquando erroris diu ſuſtinere; nunquam ita ſuſtinebit, ut dierum deinceps opera ſine interpellante ſomno vel moleſtæ laſſitudinis ſenſu peragatur. Videas tales, ad omnia,

quæ de die adgrediuntur, elangueſcere cito, oſcitare, & faſtidii plenos interquieſcere. Quid vero juvat, aliquot horas noctibus ſuffurari, cum jure quaſi talionis horæ diei tranſeant inertes & ſine fructu! Nihil in illis verſuris lucri eſt, nunquam nocturna hora, quam tranſigere vigilando cupimus, diurnæ par habenda. Sub lumine & calore Solis, aerem & omnia circa nos refovente, licet ad cetera non reſpiciamus, plus per diem vigoris eſt, quam ſub ſqualido noctis horrore & frigore, ſupprimente perſpirabile, figente excrementitium & illas virium a die reliquias depaſcente. Verum quæ hæc magis illuſtrent, peti ex ſupra dictis poſſunt. Plato illos, qui ſapere & vivere volunt, longiſſimo vigilare tempore jubet, at ſervata valetudinis commoditate *d*). Ad quam reſtricta lucubratio ſtatis a coctione horis id facile promittit, ut vigilare ad ſenectutem viribus ſatis integris liceat, cum reliqui præmaturis exhauſti vigiliis vel occumbant cito, vel langueant conſtanter, adeoque vere ad eandem vigilis vitæ menſuram haud perveniant.

d) de Leg. III.

DISSERTATIO DE STATU MIXTO SOMNI ET VIGILIAE, QUO DORMIENTES MULTA VIGILANTIUM MUNERA OBEUNT.

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 13. JUL. 1756.

RESP.

JO. FR. MÜLLER,

OSTERODANO.

§. I.

Quemadmodum opulentiam & paupertatem in ipſo contactus ſui, quo a ſe invicem recedunt, momento deſinire nullus ſubtiliſſimorum hominum calculus audebit; ita res eſt minime expedita, extremos morbi & ſanitatis limites circa ipſa, in quibus hæc ruere, illa ſurgere incipit, confinia determinare. Tam variam corporis & mutabilem, in omni vitæ ſtadio, conditionem ad apicem ſanitatis, quæ quaſi ad unguem exacta dici poſſit, & in qua nihil vel in ſolidis vel in fluidis vel utrorumque motu deficiat, in iſtis humanæ cognitionis anguſtiis nunquam revocare licet; ſed latiori ſanitatem ſenſu adpellare ſufficit, quæ ab ultimo quidem perfectionis gradu varie deſciſcit, conſueta tamen vitæ

munera

munera adhuc cum vigore & conſtantia peragit. Non aliter ſe res habet circa multas corporum functiones, quæ Natura alio tempore in opere verſari, alio refoveri per otium, & novo virium commeatu inſtrui voluit. Somnum hic reſpicio & vigiliam, quæ ſibi ſuccedunt mutuo, non lege ſanitatis permutantur. Ille ſub cerebri quiete functionum animalium exercitium ſuſpendit, hæc renovatis ſuppetiis miniſteria ſenſus motusque voluntarii inſtaurat. Naturæ inſtitutum non eſt, tam probe diſcreta inter ſe committere, quum utriusque ſtatus miſcela nec functionum animalium organa inſtruat ſatis, nec jacturam dextre reparet. Dicere tamen non ſine veri ſpecie poſſis, raro homines dari tam perfecte ſanos, in quibus dormientibus deletum omne ſit ſenſus motusque animalis veſtigium. GALENUS certe dormientes negavit habere muſculos penitus otioſos, hinc ſomnum non perfectam quietem, ſed aliquam vigoris intermiſſionem nuncupavit *a*). ARISTOTELES non ſolum motum ſed & ſenſum in dormientibus ſervari ſtatuit *b*). Id vero etiam FRIDERICUS A FONSECA largitur iis, qui leviter dormiunt, non penitus ablatam eſſe movendi & ſentiendi poteſtatem *c*). Et P. SALIUS DIVERSUS aliquando in dormientibus vel motum tantum vel cum motu ſenſum ſervari, ex veterum recentiorumque & ſuis obſervationibus confirmat *d*).

§. II.

a) *de motu muſcul. L. II. C. 4. §. 5. Op. Edit. Iuntin. Cl. II. p. 514. C.*

b) licet illi ſomnus ſit privatio vigiliarum, *ςέρησίς τις ὁ ὕπνος τῆς ἐγρηγόρσεως*, vigilia vero conſiſtat *ἐν μηδενὶ ἄλλῳ ἢ τῷ αἰσθάνεσθαι*, hinc animal per quietem ſentire, *ἀδύνατον* cenſeat, & prorſus tanquam *ἐνάντιον* conſideret *τὸ ἐγρηγορέναι καὶ τὸ καθεύδειν in L. de ſomn. & vigil. C. I. II. Op. Ed. Duval. T. II. p. 90. C. p. 91. D. E. p. 93. A.* Attamen in *L. V. de generat. animal. C. I. Op. T. II. p. 696. A.* ſenſum dormientium his verbis adſtruit: *συμβαίνει καὶ καθεύδουσιν αἴσθησις.* Addit *ἀνίςανται καὶ πορεύονται βλέποντες ὥσπερ οἱ ἐγρηγορότες.* Ita viſum eundem ac vigilantibus tribuit, reſpiciens tamen ad ſingularem corporis ſtatum.

c) Conſult. medic. T. II. Conſ. 96. p. 575.

d) de affect. particul. C. 18. p. 335.

§. II.

Hæc non impediunt, quo minus mixtum illum ſomni & vigiliæ ſtatum, in quo dormientes varia vigilantium munera obeunt, & quem in præſentis diſquiſitionis argumentum delegi, convenire ſaluberrimis Naturæ inſtitutis negem, levemque ab his receſſum, quamvis plurimis communem, pro præternaturali protinus agnoſcam. Videbit omnino, cui vacat attendere, dari etiam, in quibus per totum illud tempus, quod ſomno exigunt, nulla in ſitu membrorum mutatio, nullum ab externarum rerum actione, modo ipſius ſomni vincula non diſſolvat, orientis ſenſus indicium occurrit. Quodſi plures fuerint, qui nunc in hoc, nunc in aliud latus recumbunt, nunc crura jactant, nunc brachia, nunc etiam vocem edunt, vix tenues illæ functionum animalium umbræ me movent, quin magna ex parte ad talia referam, quæ in momento interrupti ſomni & primo ac dubio adhuc novarum vigiliarum ortu contingunt *e*). Ubi vero manifeſtius illi motus, qui proprie vigilantium ſunt, in dormientibus notantur, ſane in illo ſtatu corporis haud morbum diffiteri Salius debebat, cujus ipſe periculum agnoſcit, & tantum quidem, ut ſub eo multi in aquas vel ignes vel præcipitia ruant *f*). Quis enim ſanum dixerit in illa cognoſcendi periculi, quod ultro adit, impotentia, quum aliorum, qui adeunt, cognitionem non excludat? quis non intelligit, cuſtodiæ Naturæ repugnare, quo tempore noxia discernere prohibet, eodem tamen iis ſe exponendi arbitrium relinquere? quis ſibi imaginari vincula poſſit, ſoli rationi injecta, ut ſine hujus luce decernat voluntas, quibus in ſummum diſcrimen valetu-

e) quod ipſum *Galenum* neceſſe eſt haud diffiteri. Ait enim toto ſomni tempore videri vim animalem quieſcere, *de ſympt.* cauſſ. L. I. C. 18. Op. Cl. III. p. 18. H. Alio loco vacationem ab animæ actionibus ſomnum vocat. L. Hag. p. 45. C. alio cerebrum refectione egens quieſcere docet. Op. Cl. III. p. 19. A.

f) *de affect. part. C.* 18. *Nec Mich. Ettmüllerus Op. Ed. Genev. T. III. p.* 197. pro morboſo affectu agnoſcit, ſed validum ſomnium vocat, quod ad brachia & pedes motum dirigit.

valetudo adducitur. Nequit ſomnus prodeſſe, niſi poſt vigilias, neque hæ, niſi poſt ſomnum. Magno ſane gradu miſceri, ſemper præternaturale & inſalubre eſt.

§. III.

Non igitur dubito, hunc ſtatum ſomni & vigiliæ mixtum, quo alia organa ſenſus motusque voluntarii agunt, alia feriantur, pendentem a tubulis cerebri, per quos ſecretio & motus ſpirituum fit, aliis occluſis, aliis apertis, conſiderare tanquam præternaturalem, & ad vitia ſomni, ob ipſam hanc functionum, quæ in vigiliis fiunt, miſcelam referre. Sed cur non ad vitia vigiliarum? vix enim differt, aliquid ſomno a vigiliis, aut his a ſomno accedere. Verum illa, quæ arguimus, luculenter in tempus ſomni incidunt, & his, qui dicta ratione laborant, tempus vigiliarum ſine vitio tranſit *g*). Poſſunt aliquando vigilantes torpore corripi, qui a ſomno non multum abeſt, & functiones ſolitas multum ſufflaminat *h*). Nec tamen erit facile, qui illos dormire putet, vel qui non uſum rationis ſub tali quoque ſomnolentia in potioribus momentis ſuperſtitem agnoſcat. In his vero, de quibus ſermo eſt, etiam ambulantibus, loquentibus, cantantibus, ſcribentibus, vel alia majora tentantibus, omnes tamen haud difficulter prædominium ſomni perſpiciunt, quum illi nec ſint actionis ſuæ conſcii, nec cauſſas, quæ ad illam impellunt, ſciant expendere, certe, ſi ad quæſita non penitus inepte reſpondent, horrendam in reliquis æque obviis & intellectu facillimis mentis caliginem prodant. Elucet, admittere animam ex turbato tantisper cerebri ſtatu imagines, quarum intuitu nixus aliquis voluntatis in organa ſuæ poteſtatis influit, non in pedes ſolum & manus, ſed & vocis inſtrumenta & alias partes ſub commercio animæ ſitas, licet omnino

g) Ita *Henr. ab Heers L. I. Obſ.* 2. religioſum nominat, qui vigilans pancratice valuit, at ter vel quater circa primas noctis vigilias trucibus, quaſi mors ab amicis intentaretur, ſomniis toto corpore concuſſus, nec ſine manifeſta febre, lecto exiliit.

h) quibus vigilantibus cuſtodiam rei minus fere permittere poſſis, quam viro frugi & ſtrenue dormienti, inquit *Galenus Op. Cl. II. p.* 514. *F.*

omnino in tam inſigni varietate potior & nobilior functionum & animalium pars ſomno ſepulta quieſcat, & hic ſtatus non ſolum ſomni, ſed & judice SYLVIO profundi ſit *i*).

§. IV.

Gradum hujus morbi, in cujus examen deſcendimus, determinat motus ſenſusque varietas in dormiente quadantenus ſuperſtes. Motus muſcularis, quem voluntarium adpellamus, hic ſæpe inferior non eſt illo, quem ſtatus vigiliarum ſub luculento animi nutu producit. Nunc ſurgunt e lecto, & ambulant, ut de *Theone Tironeo* SEXTUS EMPIRICUS refert, nunc altiora tecta nullo adminiculo fulti conſcendunt, ut idem de ſervo *Periclis* memorat, *k*) nunc inter ſilentia, nunc cantando ambulant, quod de Piſano quodam BARTOLUS habet, *l*) nunc clamore & tumultu omnia implent, nunc remanent in lecto & ſuas excurſiones ſomniant, ut ſagæ. Diſcrimen eſt pro corporum temperie, turbati cerebri nervorumque gradu, & muſculorum ad conſuetos motus plus vel minus proclivi obſequio. Fuit, qui per funem ad feneſtram e trochlea pendentem adſcendens nidum picarum in faſtigio domus ſpoliavit, hasque induſio involutas, redux tuto cubiculi loco repoſuit, id mane binis fratribus tanquam lepidum ſomnium enarrans, qui mox reperere picas in induſio & ſpoliatum loco indicato nidum *m*). Alius, quem ſodalem ſuum J. B. HELMONTIUS vocat, clavem ſemper cubiculi ſecum abſtulit, & ubi ſub plenilunio & nocte pruinoſa vicinum ædibus parietem muſco & foeno obſitum inſcendit & aliquamdiu oberravit, jam redux januam poſt ſe clauſam clave non hæſitanter tanquam circa meridiem reſeravit *n*), Hæc magna parte ad nocturnam dormientium ambulatio-

i) *prax. med. L. II. C.* 33. *p. m.* 476.
k) *v. Caſp. a Reies Elyſ. jucundar, Quæſt. camp. Qv.* 37. *p. m.* 274. *ſq.* ubi hæc & ſimilia ex variis auctoribus congeſſit.
l) quem citat *A. Tiraquellus Op. T. VII. p. m.* 22.
m) id de tribus fratribus in arce Bernſtein in uno cubiculo dormientibus refert *Iac. Horſtius in L. de Nat. differ. & cauſſis eorum, qui dormientes ambulant*, *p.* 173.
n) *de ortu form.* §. 54. *Op. p. m.* 136.

bulationem referri poſſunt *o*). At & diurnæ locus eſt, quam GALENUS non niſi expertis credibilem vocat, ſuoque exemplo confirmat *p*). Is quum per totam noctem iter feciſſet, integrum fere ſtadium dormiendo adhuc confecit, non prius excitatus, quam impegiſſet in lapidem. Id quod probat motus a vigili coeptos ſubrepente ſomno continuari ad tempus poſſe, quamvis fortaſſis non nimis diu, ob vias haud planas ſemper & offendiculi expertes. Apud BARTHOL. CASTELLUM Theologi mentio fit, qui a ſomno meridiano ſurgens & ambulans & colloquens cum uxore, rurſusque decumbens, nihil horum omnium paullo poſt vere vigil ſcivit *q*). Verum non tantum ad pedum, ſed & manuum, linguæ & aliarum partium officia in dormientibus ſatis ſæpe integra reſpicio, idque ipſo etiam die. FELIX PLATERUS teſtudinem pulſans & obdormiſcens perrexit nihilominus aliquamdiu pulſare, adſtantium, ad quos ipſe provocat, teſtimonio. Idem patrem *Thom. Platerum* & Jo. *Oporinum*, celebres tunc typographos, in hoſpitio minus commodo, ut tempus fallerent, græcum exemplar correxiſſe ſcribit, & *Oporinum*, quum textum prælegeret, obdormiviſſe, nec tamen a legendo tunc deſtitiſſe, niſi tota adhuc pagina abſoluta *r*). Sit ita, in die vigiliis deſtinato

haec

o) quam vocant *νυκτοβατεῖαν* vel *νυκτεγερσίαν*, vulgo noctiſurgium vel noctuuagationem, barbara non ſolum voce, ſed & nimis ambigua, quæ vigiles & ſanos comprehendit, quibus quod agant, noctu occurrit; etiam eos, qui non negotiorum ſed animi cauſſa noctu per plateas vagantur, & bellum cum lapidibus diſtricto gladio gerunt; vel alios pejoris notæ, qui, *ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones. Horat. L. I. Ep.* 2. *v.* 32. Nolim igitur, de quibus hic loquor, vel cum *Lev. Lemnio* ſimpliciter ambulones, vel cum *Iac. Horſtio* noctambulones vocare. Offendit minus vox æque barbara ſomnambulonum, quos *ὑπνοβάτας* vocant. Verum major argumenti noſtri ambitus eſt, quam ut in dormientibus inſolita tantum pedum miniſteria reſpiciat.

p) *de motu muſcul. L. II. C.* 4. *Op. Cl. I. p.* 314. *D.* Vera fuit, de quo alii dubitant, *ὑπνοβατεῖα*, licet aliis ſpeciebus non per omnia ſimilis.

q) *Lexic. med. Edit. Genev. p.* 674.

r) *Obſerv. L. I. p.* 12. Ad illum cenſum refer mulierculas ad infantum

hæc rariſſime contingere. Nos certe nullo hic diſcrimine habito, maxime ad ſingularem motuum, qui voluntarii dicuntur, in dormientibus genium & magnitudinem attendimus, ſive in pedibus, ſive manibus & aliorum muſculorum organis. Scholaſtici Blanckenburgici Jac. Horstius meminit, qui poſt coenam ſomno oppreſſus, quicquid adprehendit, tam firmiter tenuit, ut duo vel tres homines, iique robuſti, vix aperire manus ejus potuerint *s*). Coquus aliquis poſt longum iter feſſus & ſitiens ſurrexit ſub primo ſomno, perque ſcalas deſcendens & ex area ædium ad culinam properans, puteumque ingreſſus, hæſit pedibus manibusque adfixus, donec gelidæ aquæ ſenſu expergefactus opem cum clamore poſtularet *t*). Relaxat alioquin muſculos ſomnus, ut effluat manu, quicquid ea continuit. Hi vero homines, ſi quid prehendunt, extremis manuum pedumque articulis, ſe librant & fulciunt, contractisque tabulatis adhæreſcunt, ut concinne deſcribit *Lemnius*, *u*) eosque cum cochleis & limacibus comparat, qui dum oculis carent, prætenſis cornibus iter prætentant & editiſſima perreptant. Quantum quoque in ſolito domeſtico opere manus valeant, exemplum puellæ apud *Marianum* illuſtrat, quæ ſurgens in ſomno panes non minori dexteritate confecit, quam de die vigilans *x*). Conſpirat vero plerumque, quicquid aliorum muſculorum eſt, in illa manuum pedumque miniſteria. Eques Malacenſis, quaſi Mauris obviam iturus, ſurrexit noctu, arma cepit & ad littus equitavit *y*). Alius equitare de die ſolitus, dormiens

cunas, quas cum ſuſurro agitant, indormientes, vel ſemiſomnes in curru aurigas, ſcuticam ſubinde agitantes.

s) *l. c. p.* 174.

t) ut idem *Horſtius p. ib.* 176. recenſet. Tumuit inde magnus pedis digitus in coquo & doluit, ipſe de ſtatu ſuo nil ſcivit, quam ut ſupra ſe ignem, plenilunium enim erat, infra ſe aquam, in puteo quippe hiemali nocte frigidiſſimam, ſenſerit. Lepide *A Libavius* deductum illuc a genio putat, uti Petrum in carcere ab angelo. *ſingul. P. II. p.* 252.

u) *L. II. de occult. Natur. mirac. C. V. p. m.* 156.

x) *in Cap. ad audient. Citat Andr. Tiraquellus. l. c. p.* 22.

y) *Gaſp. a Reies Elyſ. jucund. Quæſt. camp. Qu.* 37. *p.* 274.

miens & ſurgens ſe veſtibus induit cothurnisque & calcaribus inſtructus, feneſtræ inſedit divaricatis pedibus, & non aliter ac ſi equus eſſet, voce & calcaribus ad curſum incitavit z). Mirabilia hic multa videri poſſunt, ut ingens audacia, non hæſitanter ea præſtans, quæ vigiles etiam audaciſſimi, qui altitudines, præcipitia, difficultates expendere norunt, audebunt nunquam, licet vere ſupra vires non ſint a). Nec minus mirabile dixeris, tam vehementes motus, quicquid ſomni eſt, non excutere, quum in aliis excitandis tam parvo molimine opus ſit. At & illud mirum eſt, quæ tanto motu animorum fiunt, nullum ſui veſtigium relinquere, & homines poſt novi ſomni interventum prorſus rerum geſtarum ignaros eſſe, vel aliquando tanquam inſomniorum obſcure memores. Solent vero in lectos ſuos poſt moram aliquam conſtanter & circa mediam plerumque noctem redire, modo nemo interpellet, vel ab incepto revocet.

§. V.

Longe etiam potior vis illa eſt, quæ loquelæ organa, quibus propius cum cogitante anima commercium eſt, mirifice inſtruit. Sic vero inſtruit, ut lingua ſæpe effutiat, quæ caute vigil animus preſſit. Aliquis captare hominum ſermones & ad judicem loci deferre ſolitus, quum in convivio obdormiſceret, cœpit omnia

z) *v. P. Salii Diverſi*, quem deinde juvenis ille conſuluit, *de affect. partic. C.* 18. *p. m.* 334.

a) miramur, muros & tecta adrepere. Audent tantum, qui in his rudes non ſunt. Extrema fere ἀναίσθητα in dormientibus prehendunt firmius, nec aſperis facile offenduntur, hinc in rimas & tenues exſtantias ædium manum infigunt. At ſimile fecerunt vigiles *Alexandri* milites, qui in rupem evaſerunt. *Maximilianum I.* legimus A. 1493. in altiſſimæ turris templi Ulmani extrema ora ſtetiſſe, pede dimidiato prominente, alterum totum præpoſuiſſe, & ſic intrepido oculo ſubjectam terram luſtraſſe. Vigiles audent multa & perficiunt, ubi periculum non vident, hoc ſi vident, eadem nec audent nec perficiunt. Quid mirum, dormientes, hoc metu periculi deſtitutos, ad rem unam attentiores, nec moleſtiori partium agentium ſenſu impeditos res adgredi, non ſupra vires quidem, at ſupra prudentiam vigilantium.

omnia a convivis audita judici quaſi præſenti enarrare *b*.) Alius ſurgens noctu & ambulans comitanti uxori omnia, quæ per diem callide celaverat, ſincere expoſuit, & ſecretiſſimos cordis ſinus aperuit, poſt hæc multum miratus, unde experta eſſet, quæ a vigili marito nullis blanditiis elicuiſſet *c*.) Idem adhuc juvenis poëſin in Academia profeſſus, quum carmina de die ad incudem revocaſſet, ſurrexit noctu, pluteum aperuit, ſcripſit & alta etiam voce, cum cachinno ſibi adplaudens & contubernalem ad adplauſum cohortatus, prælegit, mox rurſus ſe in lectum contulit, & mane rerum omnium, licet per horas ſæpe quatuor geſtarum, ignarus, revolvit chartas viditque cum ſtupore emendatas ſua manu & ſuppletas verſuum lacunas *d*.) Teſte Eusebio Nierenbergio, *e*) unus ex ſocietate Ieſu eleganter & viva actione tanquam ex ſuggeſtu cœpit dormiens concionari, nunc diſputare cum acumine & obſcura evoluere, nun verſus componere & poëmata recitare, ita, ut ad illum audiendum multi in domo ejus pernoctarent, & eximios ſibi a doctrina ejus profectus promitterent. Quis inter hæc probet facile nomina, quæ morbo noſtro multi imponunt, dum *Paracelſus* maniam noctis, R. Dodonaeus inſaniam ſomni vocat. *f*) Sanioris mentis vegetior actio ſuperat aliquando gradum, quem in vigiliis, quæ inter plura diſtrahunt, vix attingit. Fas eſt in illo corporis quieſcentis ſtatu vires animæ una parte quidem oppreſſas, at altera interdum plus ſolito exaltatas agnoſcere. Hinc Sylvius multos non

b) *And. Libav. l. c. p.* 267.

c) *Hen. ab Heers L. I. Obſ.* 2. *p.* 34.

d) *ib. p.* 33. metuit, ne mali genii opus eſſet. Simile de alumno ſcholæ *Gabr. Clauderus* recenſet. Is argumentum ſtyli, quod latine vertendum acceperat, in matutinas horas differens petiit lectum, at ubi ſtato tempore ſurrexit, ſe omnia jam elaboraſſe vidit. Id præceptori aperuit dæmoniacam illuſionem veritus. Igitur, qui juſſi ſunt dormientis curam habere, eum viderunt una vel altera hora a primo ſomno ſurrexiſſe, & in muſeo, quod intravit, res ſuas confeciſſe. *Ephem. N. C. Dec. II. A. V. O.* 189. *p.* 380.

e) *philoſoph. curioſ. L. II. C.* 25.

f) *medic. Obſ. C. XI. p.* 21. Qua voce etiam *P. Foreſtus* utitur *L. X. Obſ.* 50. *p.* 377.

non modo vigilantium munera exſequi, ſed & ſuperare ait, quod anima circa rem unam magis occupata ad nihil aliud attendat. *g)*

§. VI.

Hæc maxime iis eveniunt, quorum vegetior ætas eſt, mobilius corpus, temperies cholerica, ſanguis fervidus, ſpiritus agiles, animus audax. His tribui poteſt, quod in tanta obſequioſi corporis mobilitate ad levem annuentis voluntatis umbram agant, & pericula, quorum maxima pars latet, adeant promtius. Non id melancholicis, quos SALIUS *h)* in hunc morbum proniores eſſe cenſet, facile convenit, quippe tardis, meticuloſis & ſomni exigui. Iuſtius huc referuntur, qui profunde dormiunt, & quorum a ſomno injecta vincula nec metus aliquis nec corporis vehementer agitati injuria diſſoluit. Aetas juvenilis adeo obnoxia eſt huic morbo, ut in pleriſque cum ætate morbus ceſſet. Senes ſpiritu vitali vel exſtincto vel flaccido negat LEU. LEMNIUS tale quidpiam

g) *prax. med. L. II. C.* 33. §. 2. 7. *Zanardus* de ſe ipſo ſcribit, concinnas magis orationes & carmina promtius profluentia in ſomno quam in vigiliis ſe habuiſſe, de *univ. parv. mixt. hom. Qu.* 14. *p.* 98.

h) *l. c. p.* 334. Ignoſci tamen eidem facile poteſt, dum melancholicos ſub alio charactere, quam fieri ſolet, conſiderat. Eos enim ſpirituum ſubtilitate & tenuitate laborare ait, hinc promtos, loquaces, facile iraſcibiles & verſatilis ingenii eſſe, imaginatione autem, quam hic omnes fere coarguunt, pollere. Aliter plerique melancholicos ſibi concipiunt, ut *G. W. Wedelius*, qui iis fixiorem & obtuſiorem animum tribuit, qui cum illa ſpirituum mobiliate non conſiſtit, *phyſiol. ref. C. XIV. n.* 6. *p.* 522. At negat diſerte *Sylvius*, inter ſomnambulones locum eſſe triſtibus melancholicis. in *prax. med. L. II. C.* 33. §. 17. Scite *A. Libavius l. c. p.* 258. nullam facile corporis temperiem excuſat, ſi reliquarum cauſſarum actio in vigore eſt. Inſomnia, quæ huc ducunt, locum ubivis habent, & velut illa varii generis; plus quam res alias temperiem ſingulorum produnt, judice *I. G. Kulmo* in *Oneirol. C. IV.* §. 14. ita hoc tantum inde conſequitur, ut qui vel mobiliori vel fixiori temperie gaudent, ſurgentes & ambulantes pariter, nunc placide & cum ſilentio, nunc cum ſtrepitu, omnes pro ſuſcepto imaginum, quæ animo offeruntur, impulſu res ſuas agant.

piam, in quo magnis muſculorum viribus opus eſt, moliri poſſe *i*). Apud Hildanum tamen quadragenarius bene potus, & e convivioſe ſubducens, quum mox in profundum ſomnum incideret, ſurrexit, & quaſi nunc demum effugere convivarum pocula vellet, e feneſtra in ſecunda domus contignatione deſiliit, unde expergefactus & ſemianimis in domum reductus cultiſſimæ artis præſidiis diu eguit *k*.) In majorem certe ætatem id raro cadit, nec facile in tenellam, ob ſimilem conditionem corporis tantos motus non ſuſtinentis. Feminæ etiam laborant minus, quia plus humidi, minus ſpirituum & virium moventium habent. Hereditarium vitium ad morbos capitis proclive Thom. Willisius hic agnoſcit, & luculento exemplo mali hujus in liberos propagati illuſtrat *l*.) Familiam ſe noſſe ait, vbi pater & filii omnes hoc malo laboraverint, & hi noctu ſæpe per domum decurrentes & ſibi obuii, ſe invicem excitaverint. Inter cauſſas externas aërem turbidum, pluvioſum, nebuloſum Medici ſpectant, in quo corpus perſpirat minus, & quicquid viis cutaneis excluſum cum ſtimulo introrſum redundat, pacem cerebri & partium, quæ ab eo pendent, in munere ſuo quieſcentium, facile interpellat. Alii celerem a cibo ſomnum & novella vina & ebrietatem arguunt. Ego quidem ad alia vix magis attendo, quam ad magnas prægreſſas exercitationes vel longas vigilias nocturnorum itinerum. Hæc enim feſſum corpus mergunt altiori ſomno, nec ſtimulos tamen ex prægreſſis motibus reſiduos plane ſopiunt, quin illi ſub obſcuro animæ nutu facillime circa idem tempus incidentis ſomni renoventur. Certe in muſculos ad agile obſequium prædiſpoſitos anima jam poteſtatis ſuæ expers non eſt, & ſub exigua luce vis nervorum in hæc ſibi familiaris motus organa influit. Quid luna conferat, ſub qua pleniori vel ceteris inſignioribus phaſibus hæc plerumque mala contingunt, ad variam experientiæ fidem explorarunt multi. Macrobius homines ſub luna pleniori ægrius excitari & pro-

i) *l. c. L. II. C. V. p. m.* 154.

k) *Obſ. C. II. O.* 84. *p. m.* 159. ex litteris *Greg. Horſtii.*

l) *de anima brutor. C.* 16.

proximos inſanis eſſe, ut rem vulgo cognitam refert *m)*. Studioſi Ferrarienſis meminit Ios. Lanzonus ſemper ſub plenilunio media nocte ſurgentis & elevatis palpebris ſupremas ædium partes adſcendentis, quo vigilans vix perveniſſet *n*). Confirmat G. Wolfg. Wedelius, quicquid horum eſt, maxime in plenilunio fieri *o*). Cerarium vero quadraginta annorum omni novilunio feneſtras & muros deſerto lecto inſcendiſſe, Io. Bapt. Werloschnigg teſtatur *p*.) Eſt quidam in omni periodico malo lunæ conſenſus, & hoc ipſum inprimis, de quo agimus, lunæ phaſibus auſcultare Mich. Ettmullerus docet *q*), hinc etiam radios lunæ vitare Henricus Regius jubet *r*). Multis olim cerebri morbis ad vim lunæ renovatis commune erat lunaticorum nomen, quo inſanientes quidem & epileptici præcipue continebantur, at nec aliis excluſis, qui cerebri functionibus ſub pleniori luna quacunque ratione laborabant.

§. VII.

Cauſſa proxima ſine dubio in cerebro latet, quod ſuas ad functionum animalium exercitium ſuppetias, quas naturalis ſomnus pro neceſſaria quiete & refectione ſuſpendit, per illos adhuc nervos, in quibus vehemens per diem agitatio ſtimulum reliquit, non ſine quodam mentis ipſius impulſu continuat. Senſorium commune etiam in ſomno a cauſſis intro natis admittit motus, iis prorſus ſimiles, qui in vigilantibus, a ſola actione rerum exter- narum

m) *Saturnal. VII. 16. p. m.* 643.
n) *Ephem. N. C. Dec. III. A. V. & VI. O.* 119. *p.* 246.
o) *phyſiol. ref. C.* 14. *n.* 6. *p.* 522. Nam ut ſtylo ejus & ævi illius utar, humores microcoſmici ſequuntur motum & impulſum humidi macrocoſmici.
p) *Eph. N. C. D. III. A. IX. & X. O.* 152. *p.* 278.
q) *Prax. L. II. S. I. M. IV Op. Edit. Genev. T. III. p.* 197. Hinc a quibusdam, ait, lunatici vocantur, idque uſitatius, quam epileptici. *Galenus, nemo,* inquit, *dubitat, a luna aerem mutari, III. de diebus decret. Op. Cl. IV. p.* 157. *E.* & quomodo in dormientes agat, *ib. A.* illuſtrat, decretorios etiam morborum dies inde explicat, *ib. p.* 159. *E.* & præſagia in ſanis & ægris deducit, *ib. H.*
r) *prax. med. L. I, medicat. X. p.* 330. *ſq.*

narum in organa ſenſuum naſci ſolent: unde ſociæ his motibus ideæ recurrunt, quippe perpetui, motuum in ſenſorio communi certa & definita lege determinatorum, comites. Quas ideas, ſive gratas ſive ingratas, recognoſcens anima nutu illo, quo muſculorum motus dirigit, horum miniſteria ad grata conjungenda ſecum, moleſta amolienda pro cognitionis, hic ſæpe exiguo nec nullo tamen, gradu exigit. Satis illas mutui inter corpus & animam commercii leges experientia confirmat, ut opus non ſit ratiunculas comminiſci, quomodo illas cum dictis motibus ideas admittat, & quomodo reſpondentes his muſculorum actiones producat. Inſomnia clare explicant, easdem ab interno motu ideas renaſci, quæ ab externo per ſenſus natæ ſunt; has occupare animam, raro tamen otium motuum animalium a muſculis pendentium turbare. Nempe inter lenes illos & circa origines nervorum in ſomno ſurgentes motus undulatorios, hisque conjunctas ideas, quas intuetur animus, parum cerebrum laborat. Hinc pleraque pars inſomniorum, cuivis facile temperiei familiarium, haud cogit deſerere lectum ac divagari. Verum in corpore juvenili, agili, audaci, in quo irritabiliores nervi vim moventem & reparant facile & ſub levi ſtimulo diffundunt, maxime in loca, quæ ex longa exercitiorum conſuetudine promtius recipiunt, intelligi haud difficulter poteſt, maximam quidem partem nervulorum e medulla cerebri egredientium a ſolitis ſecretionis & motus legibus requieſcere, illos autem, quibus cum partibus in crebro motu poſitis, major conſenſus diu interceſſit, ad perfectam quietem ægrius pervenire, & recrudeſcente iisdem locis ſtimulo novis influere viribus, ſub aliquo impulſæ animæ conſenſu. Vim imaginationis peccare clamant omnes: at illa oblatas imagines nude cognoſcit, non motus corporis inſtruit. Agnoſcendum eſt, ſenſum internum inter inſomnia occupatum ſuperiores etiam animæ poteſtates excitare; & quidquid hinc fit, ne ſine omni rationis nec ſine voluntatis impulſu fieri. Sunt hic motus luculenter voluntarii & ad manifeſtum ſcopum in mirabili varietate, intra certos tamen limites, directi: licet homines, quid paulo ante voluerint, neſciant evigilantes. Cauſſa oblivionis eſt, quod imago rei voluntatem impellens nervos ut fulgur moveat, ac ſub novi ſomni inter-

terventu facile evaneſcat. Quicquid enim extra pleniorem iteratumque per intervalla mentis intuitum eſt, bona fide non obhæreſcit. Id etiam in ebriis adparet, immo ſobriis, quos cura vel ira vel in res alias defixa attentio diſtrahit, ut animus non revoluat & quaſi retractet talia, ſed quodam præſentis actionis torrente abripiatur. Haud reminiſcimur, ubi non aliquamdiu ſubſiſtit & per vices renovatur animæ actio. Maxima pars motuum voluntariorum etiam vigilantium memoria excidit, qui ad alia attenti, euntes tamen, ſæpe loca, quo ire deſtinabant, prætereunt: quorum tamen nihil fit anima non annuente, licet ad tenuem valde cognitionis ſuæ lucem. Quid mirum idem de ſomniante valere ſub debili, nec inficianda tamen, mentis impreſſione? Aliqui ex his obliviſcuntur omnium eo momento, quo ſui compotes fiunt. *Mart. Guttenberger* teſte HORSTIO *s*) contubernalem, quem nudum & dormientem & in cubiculo ambulantem adſcendere ad apertam feneſtram vidit, metu ne caderet, a tergo amplexus retraxit, quæſivitquequo id animo fecerit? Is primum nihil, dein hoc reſpondit, ſe omnia neſcire. Adeo unum momentum omnem voluntariæ actionis conſcientiam oblitterat. Nihilominus obſervatio docuit, in quibusdam non omne recordationis veſtigium deletum fuiſſe *t*). Sunt quoque, qui tangentes ſentire, cantum galli, latratum canis, ſapida & foedita diſcernere, lucernam in loco remoto dignoſcere & ſub acceſſu exſtinguere, & omnia in motu obſtacula provide vitare reperiuntur *u*). Ut tamen verum fatear, hos puto ab ipſo ſtatu vigiliarum pro-

s) *de Nat. differ. & cauſſ. eorum, qui dormientes ambulant. p.* 171.

t) femina ex mariti lecto exſiliens, ſed manu ejus retracta, & quid turbarum moviſſet animum? rogata, ſe alieni viri vim illaturi amplexus fugiſſe reſpondit, *v. Henr. Regii prax. med. L. I. medicat. X. p.* 331.

u) *v. P. Salii de curat. partic. morb. C.* 18. *p.* 332. & *Iac. Horſtii l. c. p.* 173. Adde *Henr. ab Heers L. I Obſ.* 2. *p.* 27. ubi ſacerdos ſub terribili noctis imagine rupit, quæ ipſe de die poſtulaverat, vincula, faſſus apertis ſibi omnia occurriſſe oculis, campanæ pulſum ſe audire & horas diſtincte numerare potuiſſe.

proxime abeſſe *x*). Singulare prorſus eſt, quod SAUVAGES *de la* CROIX in puella cataleptica viginti annorum notavit *y*). Hæc ubi ſenſus motusque expers aliquando hæſit, paulo poſt oſcitans, corpus erigens, circumſtantium mores fictis nominibus facete & cum geſtu motuque oculorum perſtringens, inter hæc etiam cantans, ridens, lecto exſiliens, per cubiculum ambulans, nuſpiam adlidens, denique ubi in lectum rediit & ſtragulis probe coeperuit corpus, mox novo inſultu cataleptico prehenſa, & tunc tanquam e profundo ſomno ad ſe rediens nihil omnium ſcivit, quæ prægreſſa ſunt. Medicus, quum illa fierent, exploraturus, an quis ſenſus mulieris eſſet, validiſſimis ſonis aures implevit, manus ruditer verſus oculum commovit, immo iis flammam candelæ tam prope, ut cilia adureret, adplicuit, ſpirituoſa quoque & alia oculis, naribus, ori inſufflavit, non neglectis paſſim per alia loca acicularum puncturis. Verum ad hæc omnia nec oculis nictitavit, nec inceptum ſermonem abrupit, nec ullum alterius ſenſus indicium dedit. His multum convenit cl. Viri J. C. G. KNOLLII, *z*) de olitore viginti duorum annorum enarratio. Is heri juſſu in cubiculo probe obſerato detentus, hora nona apertis oculis ſurrexit, & ubi exeundi viam ſibi interceptam cognovit, nihil non præſentis ſuppellectilis agitavit, veſtes nunc induit, nunc exuit, nunc menſam loco movit, nunc omnia permiſcuit & paullo poſt ſeparavit, priſtinisque locis apte ſuſpendit; at per præſentes & ad ea, quæ faceret, attentos omnibus ſubmotis curam convertit in lectum, in quo translato quum aliquid fregiſſet, lapide firmavit, mox acu, quam prioribus diebus parieti infixerat, ſublata & trajecto filo braccas & alia conſuere coepit, inter hæc tamen nec videns præſentes, nec nomine ab

iis

x) hic forte poſſunt *Mich. Ettmuelleri* nomina, quæ morbo impoſuit, ſomni vigilantis vel vigiliæ ſomniantis, in diſcriminis notam adhiberi. Non male alterum nomen ſtatui vigiliis propiori convenit. *prax. L. II. S I. M. IV.*

y) *hiſt. de l'Acad. R. des ſciences A.* 1742. *Ed. Amſt. p.* 551. Confer. perill. viri *Gerh. a Swieten Comm. in Aph. Boerh. T. III. p.* 457.

z) *in der Abhandlung von Nachtwandeln* 4. 1753.

iis crebrius & magno clamore adpellatus audiens. Adeo videntur ſenſus ſopiti eſſe, etiam ubi multa perſuadent in actione verſari. Patet inde actio cerebri in nervos motorios magis quam ſenſorios. Horum vero diſtinctam in cerebro originem vel ſola paralyſis illuſtrat, qua ſæpe aboletur motus in parte, dum ſenſus remanet, ſæpe ceſſat ſenſus ſuperſtite motu. In ſanis quoque ſubinde ſopiuntur ſenſus manente motu muſculorum, adeoque ſenſuum motuumque origo ejusmodi eſt, ut quum una poſſit ab actione ceſſare, altera poſſit pergere. In ſomno maxime naturali videmus ſenſum motumque ſopiri, in hac autem præternaturali ſomni ſpecie ſenſus magis quieſcit quam motus. Et quis neſcit? ſæpe in vigiliis ſopiri ſenſus, ut meditationibus immerſi nihil circa ſe ſentiant, corpus quidem moveant & ambulent, ſed nec curruum equorumque maximum ſtrepitum audiant, nec obvios amicos ſalutent, ſæpe ut coeci impingant & a via aberrent. In ſtatu corporis non multum diſſimili ambulant dormientes in ſomno, nunc clauſis nunc conniventibus nunc etiam apertis oculis & dilatata pupilla, quæ vero ad lucem candelæ oblatam ſe non contrahit, luculento indicio, quod viſus poteſtas nulla ſit. Ille opifex ſurgit noctu & domo exit, ut tabernam claudat. Id occurrit, clauſam non eſſe, haud illud oculis longe propius, nudum ſe eſſe. Si euntes haud facile in obſtacula incurrunt, cogitandum eſt, idem non raro a coecis fieri, quibus omnis latebra & opportunitas domus cognita pedem in progreſſu non remoratur.

§. VIII.

Non inter hæc mala miti ſemper præſagio locus eſt, licet animalium functionum læſio magna aliquando & diuturna eſſe poſſit, antequam ipſis vitæ cauſſis vim inferat. Conſtat, melancholicos & maniacos intra multos interdum annos pancratice valere, ſi valere quidem poteſt, qui magna ſui parte hominem exuit. Triſte hoc ſpectaculum eſt, humanarum actionem nobiliſſimam partem quaſi reſecari, & cum ea ſimul non exigui momenti arma, quæ in tutelam noſtram ipſa Natura nobis tradidit, eripi. Quibus non periculis miſeri de quibus loquimur, ſe inter nocturnos

illos errores exponunt? haud minoribus profecto quam ebrii & inſani. Audent omnia intrepide, quia imaginatio ſecundum ſententiam ANDREÆ LAURENTII vaporum caligine conſopita haud agnoſcit periculum: *a*) verius, quod quæ ad præſentem actionem impellunt, tenui nimis intellectum lumine, ob conſopitam maximam cerebri partem, inſtruunt. Mireris, non cadere, dum per trabes & lacunaria oberrant, quum ipſi vigiles de ſitu illo, in quo reperti ſunt, poſtea audientes exhorreſcant, & hinc ſæpe commonefacti, evadant meticuloſi, ipſo interdum hoc metu, ubi abeſſe oportuit, animum intempeſtive ſubeunte. Si *Paracelſus* angelo tribuit cuſtodi, quod de ſiniſtris caſibus non exemplorum plus occurrat, *b*) probo hoc magis, quam JO. BODINI conjecturam, qui a maligno ſpiritu duci putat dormientes per inacceſſa loca ac præcipitia, & inoffenſo pede reduci *c*). Non in malignum genium illa probitas cadit. Neque vero deſunt exempla, quæ perſuadere nobis poſſunt, manum injiciendam eſſe, nec relinquendos fato ſuo miſeros, nec mores hominum, qui tales inter ſe reperiri diſſimulant *d*), probandos. JAC. HORSTIUS, a nobili viro *Joanne a Schleiniz* accepit, ſe ipſum cum binis fratribus ſæpe in ſomno ambulaſſe, alterum etiam Lipſiæ degentem, quum ambularet & domus culmina adſcenderet, fracto crure decidiſſe *e*). Verum non modo his ſed & aliis, quos ſiniſtra fortuna in occurſum mittit, ingens ſæpe diſcrimen impendet. ANDR. TIRAQUELLUS Angli meminit, qui a templo divi Benedicti ad Sequanam tendens puerum interemit, & non expergefactus in lectum ſe iterum conjecit *f*). Interdum animus occidendi jam adfuit vigilantibus, ſed gravi ratione repreſſus eſt, in dormiente impulit

a) L. *IV. Anat. Quæſt.* 12.

b) adſentiente *Horſtio l. c. C. II. p.* 183.

c) *L. III. dæmonol. C.* 6.

d) plures opinione noſtra, inquit *Iac. Horſtius*, hoc malo laborant, & dici vix poteſt, quantum familiæ hæc vitia corporis diſſimulare & occultare cupiant, *l. c. C.* 7. *p.* 230.

e) *ib. p.* 172.

f) *de poen. temper, & remittend, C. V.* Op. *T. VII, p.* 22.

impulit injuriæ ſenſus, non frena injecit metus periculi, cujus jam cauſſas expendere minus proclive fuit. Ita ADRIANUS ALEMANNUS notat, aliquem Pariſiis gladio cinctum tranaſſe fluvium & interfeciſſe aliquem, quem interficere vigilans in animum induxerat, patratoque ſcelere ad ædes ſuas lectumque rediiſſe *g*). Gravius malum & ſibi & aliis accerſivit ille, cujus FRANCISCUS MENDOZA mentionem fecit *h*). Is nocte intempeſtiva ſopitus ſurrexit, gladium ſibi & clypeum aptavit, portas aperuit, foras exſilivit, urbem peragravit, & jam domum reverſurus incidit in magiſtratum civitatis magno ſatellitum numero ſtipatum. Irruit gladio, clypeum rotavit, punctim cæſimque feriit, donec ab uno ſatellitum vehementer vulneratus expergiſci coepit. Igitur licet hoc malum, ſi raro accidit, minus periculum habere, & cum ætate ultro ceſſare videatur, certe tamen ſi crebrius recurrit, nec ſine periculo eſt, & in ipſum hominem & alios redundante, nec ideo aliorum attentionem & opem negligenter exigit. Non quidem in iis, quæ ſub manu ſunt, facile aberrant, & ut ANDR. LIBAVIUS fingit, ſantalia & calceos pro matula arripiunt *i*); factum tamen non ſemel eſt, ut ad lectum redituri, per ſcalas vel feneſtras, quaſi per illos aditus eſſet, deciderint, Sunt mane in puteis demerſi reperti, in quem videntur, quaſi lectulo ſuo adſtarent, ſe dejeciſſe *k*). Neque prætereundum illud eſt, quod contumacius hoc malum in illo fervore actionum, quem apud multos notavimus, in epilepſiam ſecundum SENNERTUM, apoplexiam ſecundum HORSTIUM, melancholiam hypochondriacam ſecundum SYLVIUM ſæpe tranſierit *l*).

§. IX.

g) *Comment. in Hippocr. de aere aquis & locis.*
h) *L. IV. viridar. probl.* 16.
i) *ſingular P. II. p.* 251.
k) Contingit iis, quod ebriis ſæpe in ſimili mentis caligine. Aliquis bene potus in via ad puteum acceſſit, & exutis veſtibus calceisque in eum deſcendens ſuffocatus eſt. *A. Libav. l. c. p.* 266. Ibidem ſartoris ebrii meminit, qui per feneſtram apertam, pro ſponda lecti habitam decidit, miſere contuſus.
l) *v Sylvium in prax. med L. II. C.* 33. §. 40. *p.* 477. *Sennertum in med. pract. L. I. P. II. C.* 19. *Horſtium l. c. p.* 177.

§. IX.

Medendi ratio nimis apud pleroſque ab ingenio & hypotheſi pendet. Qui cum Iac. Horstio *m*) cerebrum humidum & frigidum, vt & hepar calidum & ſiccum ſibi concipiunt, commendant phlegmagoga, quæ ex cerebro pituitam, cholagoga, quæ ex hepate bilem educunt. Quis iſtas mali oppoſiti in eodem corpore ſedes tam temere adſignet, & omnem remediorum molem his tam lubricis ingenii commentis ſuperſtruat? Poteſt ſalutaris evacuantium illorum uſus eſſe, ſed invitare ad illum manifeſtior certe ratio debebat. Si cum magnis viris vapores calidos a jecore & corde communicari cerebro, & imaginatricem facultatem ratiocinatrice inconſulta motricem impellere pro certo habent; ſi cum H. Regio ſanguinis vapores craſſiores & viſcidiores, alioſue ſubtiliores & fervidiores, in cerebrum inter dormiendum diffuſos imaginationem depravare ſtatuunt, *n*) vel irradiationem ſpirituum arguunt; quam medendi normam hæc crepundia doctrinæ ſtabilient? An Salius, Zacutus aliique ex ſubtilitate ſpirituum hic, ut arbitrantur, *o*) peccante neceſſitatem craſſioris victus videri poſſunt clare deduxiſſe? Sic ſuadent legumina, quæ alii ut flatulenta & turbulentorum inſomniorum cauſſam juſtius reiiciunt. Sunt, ex recentioris medicinæ proceribus, qui vires imaginationis frangere, ſanguinem bullientem, calidum & bilioſum corrigere, cerebrum & nervos roborare ſuadent, *p*) & ita putant ex *Celſi* præcepto ſe rite curare, quippe quos cauſſæ cognitio non fefellerit. Temerarium hic cenſeo cum viribus interni ſenſus pugnare, vel ſi hoc poteſtatis noſtræ ſit, non perſpicere, quam ægre inter ſe concilies, vires illas imaginationis con-

m) *l. c. C. VIII. p.* 239.

n) *de medic. L. II. C.* 17. *p.* 85.

o) *v. Salii de affect. partic. C.* 28. *Zacuti de medic. princ. hiſt. L. I. Hiſt. XV in paraphraſi.*

p) *v. diſp. med. Halenſ. de ſomnambulis Præſ. F. Hoffmanno Reſp. I. C. Hoffteter p.* 21. §. 23.

convellere, ſimulque nervos & cerebrum roborare. Ipſos ſua deludit imaginatio, quum omnem artis adparatum contra imaginationis vitia convertant. Bilioſam vero & calidam temperiem corrigere non quidem prohibio, ſed ut illa ex millenis vix unum, niſi alia concurrant, in hoc malum præcipitat; ita diverſa ſæpe temperies, quæ illud comitatur, ſimile vel interdum majus correctionis molimen poſtulat.

§. X.

Nulla certe luculentior medendi lex eſt, quam ut cerebrum, quod a ſecretione & motu ſpirituum ſub intervallo nocturni ſomni remittit, adverſus intempeſtive irritantes illo tempore cauſſas tueamur. Tuebimur vero, ſi vires cauſſarum, tum proegumenæ, quæ variam corporis temperiem naturalem & præternaturalem comprehendit, tum procatarcticæ, quæ res non naturales ſua jam vi cerebrum irritandi notatas admiſit, in cognito gradu idoneis armis oppugnamus. Ex his vtrisque viribus quicquid morboſi tum in cerebro tum in organis ſenſuum & motus voluntarii, a virtute cerebri & nervorum pendentibus, natum eſt, ſolerter reſectis vel ultro fatiſcit malum, vel opem certe, quam novus nocentium virium commeatus non interpellat, facilius admittit. Res vero aliter in paroxysmo, ubi urgens ſymptoma inhibendum, aliter extra eum, ubi cauſſis penitius cognitis occurrimus, adgredienda eſt. Aequum eſſe arbitror, ſurgentem ambulantemque e longinquo comitari, & præcavere, ne quid ſiniſtri accidat, nec temere nomine ſuo adpellare, quod non raro exitium per ſubitas ruinas attulit. *q*) Fuit, qui rotam adſcenderet in ſomno, quo ſarcinæ attra-

q) Multi nec nomine ſuo nec verberibus facile excitantur. At nequit negari, familiariſſimum eſſe auribus noſtris proprii nominis ſonum, maxime ab ore vel parentis vel præceptoris vel ſodalis pronuntiatum præ alio longe majori ſtrepitu excitare. Aliquem, qui dormiens ambulavit ad profluentem, ſocius, ut moneret periculi, nomine ſuo inclamavit. Audivit ille, qui ultro ſubſtiterat, cecidit & ſubmerſus eſt, v. *Io. Bodini* dæmon. *L. III. C.* 6. Sic *Sprangerus* vidit quendam audito nomine corruentem, & *Greg. Horſtius* ad *Hildanum Obſ.* 54. *Cent. II.* pariter hominem, cum vocaretur, cadentem e feneſtra.

attrahuntur & demittuntur. Vidit deſcendentem paterfamilias & exhorruit, nec prius quam ſtragulis ſubjectis ſuo nomine adpellavit, quo expergefactus cecidit ſine noxa, *r*) neque deinde ambulavit noctu. Sunt, qui vas aqua frigida plenum ſubiicunt, cujus rei par ſucceſſus non eſt; nam cum terrore euigilant. Cerario illi ſuperius commemorato, medicus ſcapham aqua plenam poſuit, in quam ille incidit inter clamores convulſus; unde uxor in medicum, tanquam pereuntis iſthoc conſilio mariti auctorem, acriter invecta eſt. *s*) Satius videtur, eorum, qui per varia loca oberrarunt, reditum præſtolari, & in loca tutiora reverſos & expergefactos objurgando acriter caſtigandoque ab illo conſuetudinis errore retrahere. Severus morum præceptor adoleſcentes ſuæ diſciplinæ ſubjectos, qui ambulabant noctu, & culmina tectorum adſcendebant, redeuntes ad loca priſtina probe virgis excepit, neque hoc bis vel ter fecit, quum prorſus a nocturnis illis excurſionibus deſiſterent. *t*) Greg. Horstius non verbera ſolum, ſed & qua vehementia fieri poteſt, ingeri jubet, quod interſit excitatos magnitudinem periculi ſub inflictis pœnis ad memorem animum plenius admittere. *u*) Acuit enim memoriam imago pœnæ, & motum, cujus comes fuit, oblitterat. Felix Platerus dum hominis pariter meminit, qui virgis cæſus hanc conſuetudinem cito reliquit, virtutem remedii in eo collocat, quod ille pœnarum terror inter nova inſomnia ſe ultro offerat & excitet. *x*) Forte parcendum aliis eſt in epilepſiam ex terrore pronioribus, verum qui teneros nervos & timidos animos habent, ad hoc malum proclives non ſunt. Morbus autem ipſe, ut vidimus, crebra nervorum & violenta agitatione tranſit aliquando in epilepſiam via longe procliviori, quam per dolores verberum. In adultioribus forte decen-

r) *Iac. Horſtii l. c. p.* 175.

s) *Eph. N. C. Dec. III. A. IX. & X. O.* 152. *p.* 275. Convaluit tamen ope medici.

t) *Horſt. l. c. p* 172.

u) *probl. med. Dec. II. Qu. VI. p.* 44. Sic etiam vim & verbera ſuadent *Andr. Libavius ſingul. T. II. p.* 257. *Dan. Sennertus med. pract. L. I. p. II. C.* 19. *H. Regius prax. med. L. I. M. X. p.* 331.

x) *prax. med. T. I. C. IV. p. m.* 149.

decentioris remedii ſpeciem habet, quicquid vinculorum iniicitur. Hæc ſacerdos ille apud *Henr. ab Heers* ipſe poſtulavit, ut multiplici funium nexu pedes, ne ſurgere poſſet, prohiberentur. At rupit vincula & terrore plenus proſiliit *y*). Frid. a Fonseca *z*) corpus ad lecti columnam forti & laxo cingulo vel faſcia ligari vult, ut poſſit quidem æger mutare ſitum, ſurgere vero non poſſit, quin prorſus expergiſcat. Opportunius auxilium promittit clauſum probe cubiculum & vigilis ac robuſti hominis contubernium.

§. XI.

Verum in homine ipſo radicem mali exſcindere præſtat. Igitur extra paroxyſmum cauſſas probe explorare, & in vario corpore varias, tum externas tum internas, tollere nitimur. Quum maxime interſit cerebrum in ſtatu ſomni contra cauſſas irritantes defendere, nihil videtur huic ſcopo favere magis, quam perpetua cura leniendi humores, moderandi motus & ſuperſtites a vita negotioſa dierum ſtimulos ſopiendi. Convenit aër temperatus, cibus blandus farinoſus, aluus lubrica, & omnis excretio naturæ legibus conveniens. Si enim cito egeruntur, quæ acreſcunt, ſi lenia ingeruntur, a quibus novus acrimoniæ metus abeſt, haud facile erit, quod noctu irritet. Velim ejusmodi homines cœnare parce, ne ſemicrudi ſtimulus per noctem ſollicitet, nec ſtatim a cœna dormire, nec ſomnum ſitu ſupino & hiante ore exſpectare, hoc eſt, quantum fieri poteſt, cavere, ne oriatur, quod irritat: id etiam magis, ne ad caput decumbat. In plenioribus venam ſecare par eſt. Nullam enim partem plethora magis quam caput, inprimis noctu, ubi pronior ſanguinis aditus, gravat & obruit. Plus præſidii Sylvius in vena ſecta, quum juvenile plerumque corpus ſit, quam in purgantibus ponit *a*). Emeticis, quæ Ch. Gottl. Reusnerus laudat, *b*) locus eſt, ſi quod jam ſubmonui, a

y) *Obſ. L. I. O.* 2. *p.* 27.
z) *conſult. med. T. II. Conſ.* 96. *p.* 577.
a) *prax. med. L. II. C.* 33. §. 38. *p. m.* 477.
b) *Eph. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. VII. p.* 24.

a vitio ventriculi male digerentis cerebrum laborat. Neque tunc leniorum evacuantium improbandus eſt uſus, inprimis, quod officinam coctionis crebro corrumpat gulæ in illa ætatis linea frequens error. Vti valde cruditatum in primis viis ſtimulos metuimus, ita etiam magis ebrietatem, cujus infeſti cerebro ſtimuli audaciam pariunt, animum obfuſcant, judicium ſubvertunt, & Lybiam remotis Gadibus jungunt. Ipſi interdum capiti, ut robur ſuum conſtet, frictu, epithemate & ſacculis diſcutientibus conſulimus, etiam epiſpaſticis in occipite & aliquando ipſo cauterio *c*); fluctus autem animæ curaſue componere, & quicquid a vita exercitata turbarum oritur, ante acceſſum noctis pacare, ſemper adnitendum eſt. Hinc maximam fere attentionem merentur illa, in motum nimis prona linguæ, manuum pedumque miniſteria, quæ fas eſt a tanto ad levem ſtimulum obſequio revocare. Promptum intellectu eſt, imagines rerum a diurnis actionibus animo magis impreſſas cum iiſdem motibus, quos animus de die luculenter exigit, & nunc obſcuriori nutu repetit, in iſto corporis non ſatis conſopito ſtatu facile reverti *d*). Non mera ſomnia hic ſunt, ſed fulta munere illarum partium, quæ de die magnis exercitiis ſervierunt. Proinde æquiſſimum eſt, contractiles nimis pedum fibras lavacro mollire, & ad novum motum flaccidas magis & quietis cupidas reddere. ZACUTUS LUSITANUS hominem ejusmodi cum armis & furore ruentem & corruentem tali maxime lavacro reſtituit *e*). Sane quibus quieta vita eſt, ab acribus negotiis & exercitiis aliena, in iis nulla facile notatur ad hunc morbum proclivitas. Hinc non imaginatio ſola arguenda, & cum ea pugnandum eſt, licet omnis fere medicorum turba culpam

c) Talem, qui vigil ſanæ mentis fuit, noctu inſanientem clamantemque, & niſi inhiberetur, per ædes decurrentem non prius reſtituit *Remb. Dodonæus*, quam cauterio in cervice poſito ulcus excitaſſet. *medic. Obſ. XI.*

d) ſecundum illud: *cauſſidici lites, aurigæ ſomnia currus*, vel ut piſcator ait apud *Theocritum: ſomnia ſunt canibus panes, mihi ſomnia piſces.* Non mirum tales interdum noctu ad forum, ad ſtabula ad littora maris properare, certe exire, quaſi ad negotia, venator ad prædam, opifex ad officinam, coquus ad culinam & puteum.

e) *L. I. hiſt. XV. O. 14.* Non minus balnea laudat *H. Regius l. c.* p. 334.

pam in illam reiiciat, ſed ratio unice habenda turbati, a prægreſſa vitæ ratione, etiam in his, quos imaginatione pollere nemo dixerit, cerebri, quod tam facile nequit ad perfectam quietem redire, adeoque in animo & ſolitas ideas & ſolitum voluntatis impulſum pro limitato præſentis cognitionis gradu regenerat, ut ruant ſpiritus in loca, ubi actio ex conſuetudine facilior, de quo jam ſatis dictum eſt. Igitur hic tantum vitare debemus, quicquid irritat in corpore per ſe irritabili & nervis ad ſoliti motus organa promtius influentibus. Suaſerim ex eadem ratione circa majoris maxime lunæ phaſes a magnis & corporis & animæ exercitiis, victuque acriori & pleniori abſtinere, etiam aliquot diebus ante evacuantium uſu corpus levare, cum morbos, qui periodis lunæ reſpondent, doctiſſimi viri a plenitudine derivent *f*). Ipſos nervos affectos plus aliquando liberat & ſuo tono reſtituit electrica medicina in morbis cerebri & nervorum non obſcure efficax. SCIPIO MAFFEI in epiſtola ad *Richardum Mead* præclarum exemplum habet, hominis ejusmodi ſub novis illis ſeculi noſtri experimentis ſanati *g*). Pluribus non opus in malo, quod ſi hereditarium non fuerit, eo ſenſim gradu diminuitur, quo vita inquieta nimis & agilitas virium moventium in corpore decreſcunt.

f) *de Imp. Solis & lunæ in corp. hum. C. III.* Deliria lunatica ſub lunæ phaſibus attingit *I. G. Kulmus in Oneir. C. VI.* §. 25.

g) *della formatione de fulmini lett.* 14. *ad. R. Mead. p.* 144. de famulo quodam Vicentino *I. B. Negretti*, ambulante in ſomno & his experimentis luculenter adiiuto. A. 1734.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
SENE VALETUDINIS SUÆ CUSTODE

PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 13. MAJI 1757.

RESP.
JO. SAM. DE BERGER,
CELLENSI.

§. I.

Iuvenis ſub nativo robore cauſſis morborum magis reſiſtens in obvios valetudinis ſcopulos inoffenſo ſæpius pede impingit, & ſalutaria, quæ ars ſuggerit, præcepta, quippe toties impune violata, tanquam lepidas medicorum fabulas contemnit. Senex, cui inſitas in tutelam vires ætas fregit, haud amplius inter tot experimenta ignarus, quam ab ipſo ſenſim vitali, nedum alieno violentiori motu, hæc corporis compages, naviculæ inſtar rimas per crebrum vſum agentis, dehiſcat, & merito ſecum conſiderans, ſeram in fundo parſimoniam eſſe, attentiori ad retardandas ruinas animo, non rebus ſolum ambiguæ virtutis ſed & interdum tutis diffidit. Triginta annos vel ſtupidis ſufficere ad cognoſcenda valetudinis ſuæ præſidia & offendicula, ut medicorum deinceps in vitæ ſuæ, ne periclitetur, rationibus inſtruendis carere poſſint con-

conſilio, *Tiberius* olim cenſuit *a*). Ego pauciſſimos eſſe arbitror, inter quos nec ipſi *Tiberio*, inter illos ſenilis luxus errores infami, locus eſt, qui ſapiant ſatis intra id tempus, quod ob moram illam naturalis pœnæ ſecuros reddit, niſi forte a ſuis, quibus adſenſum & obſequium debent, crebro, mature ſolerterque admonitos. Plerique ſuo diſcere periculo, quod alieno poterant, in vltimo ſæpe discrimine, vbi pedem retrahere non licet, incipiunt. Quid quod ſenes aliquando videas, qui opprimi erroribus ſuis malunt, quam eorum noxam in tanta obſervationis luce cognoſcere & vitare, culpam perpetuo a re dilecta in aliam vel latentem vel immerito ſuſpectam reiicientes. Hos vero ſenes, qui ignorantiæ ſuæ excuſare caliginem, dum ultro occludunt oculos, nulla ratione poſſunt, providentiæ ſub variorum malorum occurſu toties monentis beneficium haud mereri arbitror; de quibus mihi proinde ſermo non eſt, ſed de illis, quos cautos providosque reddidit frequens rerum noxiaram & fugiendarum cognitio, ut jam juſtis viuendi legibus, ſub ipſo obſequio facilioribus, præmuniti, quicquid reſtat viarum, proſpere, tuto placideque conficiant. Nullus quidem dubito, quin pius & ſapiens ſenex obrepente inter tot viciſſitudines rerum præſentium faſtidio, & creſcente inter divinas promiſſiones ſpe futurorum confirmet animum, nec metuat imminentem e vita exitum *b*), quo vnice ad beatiores

ſedes

a) *Tacitus IV. annal.* 46. *Tiberium* ſcribit eluſiſſe medicorum artes, eosve, qui poſt trigeſimum ætatis annum ad internoſcenda corpori ſuo utilia & noxia alieni conſilii egerent. Paulo aliter *Suetonius in vita Tiberii c.* 69. id tantum refert, eum arbitratu ſuo a trigeſimo ætatis anno valetudinem ſuam rexiſſe, ſine adjumento & auxilio medicorum. Quod limitat *Democrates* in deſcriptione antidotorum, ubi ſpecie aliqua, quam ob vires ſanguinem ſiſtendi vocat ἐφεκτικὴν, plurimum uſum eſſe *Tiberium*, alia nulla, teſtatur. Aequior in medicos & in Tiberium videtur *Plutarchus*, qui verba illius de ſexagenariis ſumit, & licet hos omnino plus ſapere in valetudinis ſuæ negotio par ſit, hoc ſubjicit: *illud tamen mihi videtur dictum protervius*, σοβαρότερον. *de ſanit. tuend. Op. T. II. p. m.* 136. *E.*

b) Chriſtianorum non ſolum ſed & paganorum ſobria doctrina fuit, ſenectutis non refugere onus, ſed mortem ex ſanctione Naturæ, ut *Plato*

ſedes tranſitur; ſua tamen intereſſe exiſtimabit, ut hanc vitam, quam nunquam deſinit ut munus divinum conſiderare, omni, quæ in hominem cadit, ſolertia protrahat, ac vacillantem in vltima ſenectute pedem adverſus vias ſpinis ſaxisque obſitas, quas alii temere calcant, muniat probe & defendat *c*). Ita mihi argumentum publicæ diſquiſitionis eſto ſenex valetudinis ſuæ cuſtos, in quo non cummunes valetudinis offenſas, ſed illas tantum, quæ ex ipſo ætatis vitio ſubnaſcuntur, breviter expendam, & vitæ ſenilis præſidia, quæ progreſſum ad ultimum frigus corporis funeſtamque ariditatem caute retardant, & ab erroribus vindicant, ſuccincte percenſebo.

§. II.

Cum ciconiis, quas veniſſe vel diſceſſiſſe, non venire vel diſcedere ſentimus, ætatem multi comparant, cujus meliores annos effluxiſſe, nemo non in ſenectute ſentit; momenta, quibus illi effluunt, hi ſuccedunt, nemo. Non hora vel dies ad ſenſum mutat, ſed qui heri fuimus, iidem nobis, ſi nullus morbus interpellat, hodie videmur, cum tamen ſub tacitis lentisque gradibus aliam indies vita formam induat, & communem mortalibus ſeneſcendi legem tot ſeculorum experientia facile confirmet. Qui vero perpendit, in tenello corpore mollia omnia, flexilia, tumida & ſucci plena, in ſenili dura omnia, calloſa, rigida & exſucca eſſe, in rationem corporis ex illo pedetentim ſtatu in hunc transeuntis

ait, exſpectare; quandoquidem eos, qui poteſtatis imperio truſi in carcerem ſunt, non oporteat inde diffugere, priusquam poteſtas ipſa, quæ clauſit, abire permiſerit; neque enim vitari poenam furtiva diſceſſione ſed creſcere, *v. Macrob. in ſomn. Scip. L. I. C.* 13. *p. m.* 69.

c) languere ſenes, non, ſi bene ſibi profſpexerint, ægrotare neceſſe eſt. Haud reperit *Georgius Leontius* poſt annos CVII. cur ſenectutem accuſaret; *Xenophilus Chalcidenſis* omnis humani incommodi expers quintum annum poſt centeſimum attigit; *Valerius Corvus* centum annorum ſuffecit integris viribus non modo ſpecioſiſſimis reipublicæ miniſteriis, ſed & exactiſſimæ agrorum ſuorum culturæ; ne robur ſenectæ *Hieronis, Maſſiniſſæ* & aliorum attingam. *Valer. Max. L. VIII. C.* 13. *in ext.* 7. *Plin. H. N. L. VII. C.* 10. *Ed. Hard. T. I. p.* 406. 15.

animis ſub juſta attentione non difficulter penetrat, ipſisque vitæ & ſanitatis motibus edocetur, per ætatum intervalla robur & rigiditatem ſolidorum neceſſario intendi, vim & copiam fluidorum diminui. In primo ætatis ſtadio vis fluidorum prævalens vaſa tam tenera & mollia inter manifeſta corporis incrementa diſtendit. Nequit vero in altero ſtadio ſub iisdem amplius incrementis diſtendere, dum virtute motus compingentis aucta vaſorum ſoliditas impellenti fluido cedit minus, & mox pari actione renititur, ut hinc nutriri quidem corpus pergat, creſcere vero & augeri deſinat. Hoc jam robur vaſorum ex perenni earundem cauſarum actione in ultimo ſenio ad eum rigiditatis gradum tranſit, qui omnem fluidi impulſum ſuperans fati ſenilis meta eſt. Id intellectu difficile videri nequit, motum per majora vaſa conſtanter vrgentem minora in anguſtiis ſuis ſenſim comprimere, cava delere, & ita ſolidorum vires inter ſe conjungere, ut vaſa illa majora ſub novis ſemper minorum vaſorum ſpoliis, quæ ſibi in communem actionem ſociant, poſtremum rigidiſſima & fere cartilaginea ac oſſea evadant. Inter hæc quid mirum, dum fontes tenuiorum humorum vaſis minoribus coalitis magis magisque areſcunt, nec eundem ac olim virium moventium commeatum cordi ſuggerunt, hoc ipſum imminuto indies expulſionis ſuæ niſu, tandem arteriarum, quæ recipere & exdenti in ſuis lateribus debebant, auctæ reſiſtentiæ ſuccumbere. Nihil in his obſcuri vel commentitii eſt, luculenta vero, quæ per gradus naſcitur, humorum penuria & concretorum vaſorum calloſitas, unde in ſenile corpus injecta cera, quæ in puerili infinitos vaſorum ramos occupabat, vix ultra majorum vaſorum limitem penetrat. Hic tranſitus eſt naturæ a copia vaſorum ad paruitatem, a laxitate ad rigiditatem, cujus creſcens renixus decreſcentem humorum cordisque actionem demum opprimit *d)*.

§. III.

Fuerunt tamen, qui in hac ſeneſcendi neceſſitate, neſcio quibus artis præſidiis confiſi, *ἀγηρασίαν* temere promiſerunt. Quam dulcis

d) conf. *Herm. Boerhaave Inſtit. Medic.* §. 1053.

dulcis inde ſpes iis iniicitur, quibus ſenectus in pœnam vivax & tanquam onus Aetna gravius conſideratur! At juſtius naufragi prehenſo inter fluctus tenui arundine ſe evaſuros ſperant, quam illi naturæ legem conſtanti omnium ſeculorum teſtimonio perſpectam tam frivola perſuaſione eludant. Si VALERIO MAXIMO credimus *e*), *Dantho* quidam ad quingentos annos pervenit intra ejusdem robuſtioris ætatis florem, quaſi in uno illo juventus ſub ſtabili decurſu defluere per ætatum gradus neſciret. Quæ tot retro ſeculis incerto auctore ſparguntur, quis non videt, ex turbidis fontibus hauriri, & nullum in ſe veri teſtimonii characterem continere. At GALENI etiam ævo philoſophus quadragenarius prodiit, & librum ſcripſit, qua quis ratione ultimam ætatis metam iuvenili facie attingat. Ipſe tamen deinceps octogenarius, exſuccus & rugarum plenus, eorum, qui tanti promiſſi memores eſſent, riſum & ludibrium effugere non potſuit *f*). Ne hoc paradoxon frivole adſeruiſſe videretur, malæ cauſſæ patrocinium in eo quæſivit, quod in corpore ad illam ſpem habili oporteat a tenellis ea, quæ ſenectutem cum triſti tot incommodorum contubernio arcere poſſint, juſto protinus delectu & ordine adhibere. Non habuit ſenex impoſtor, cur ex ſiniſtro novi experimenti ſucceſſu redundaturum in ſe novum opprobium in iſta ætatis linea metueret. Iam *Platoni* olim in *Timæo* cum iis pugnandum fuit, qui medicinam retardare ſenectutem aliis perſuaderent *g*). Et ſpes

e) Valer. Max. l. c. p. m. 766. Plin. Hiſt. Nat. L. II. C. 48.

f) *Galen. de marcore C. 2. Op. Edit. Iuntin. Cl. III. p.* 45. *E.* deſcribit ſenem illum, qui adeo diffiteri ſuam non potuit ſenectutem, ut omnes hujus notæ ab *Hippocrate* traditæ in facie illius expreſſæ eſſent, nares acutæ, tempora collapſa, oculi concavi, cutis in fronte dura & arida, aliaque, quæ eum vaniſſime promiſſorum primo obtutu convincerent. Bene addit *Galenus*, hunc morem ſophiſtarum eſſe, contra experientiam dicere, velut ille fecit, qui omne animal ſola ignoratione agendorum interire & ſeneſcere docuit, *ibid. p.* 45. *G.*

g) *Senectutis retardatio vel gradus alicujus juventutis inſtauratio non facile fidem invenit*, inquit *Fr. Baco de Verulamio de augm ſcient. L. IV. c.* 5. *Op. p. m.* 95. Ibidem tamen, quid prolongare vitam, & vigorem juventutis aliqua ex parte renovare poſſit, recenſet.

ſpes quidem retardandi tam improba non eſt, quam prorſus inhibendi. Maximam vero eorum temeritatem dixeris, qui in artis poteſtate ſitum putant, ut ipſi jam ſenes rejuveneſcant, frigus in vitalem teporem, torpor in agilitatem, cani in nigritiem convertantur. Futiliter expectas a vi motus vitalis, quæ ad rigiditatem tendit, ut ſiſtat pedem, futilius, ut retro ferat, eo quidem ſucceſſu, ut nova jam ætas germinet, nova caluitiem coma inſtruat, nova lanugo genas. Auſus id polliceri *Paracelſus* ſale *Freitagii* fricari meruit. Ipſe enim, qui ætatem *Methuſalæ* aliis promiſit, annos exiguos ultra quadraginta attigit, & ne hos quidem ſine magno ruentis valetudinis inter graves vitæ errores dedecore *h*). Plantarum arborumque quotannis marceſcentium inſtaurata toties ſub ingreſſu veris & æſtatis viriditas obiicitur, vel illa etiam Naturæ indulgentia, quæ aues quotannis novis plumis, ſerpentes nova pelle veſtit. Cum anguſtior hominum conditio non ſit, ſperant, aliquos ſaltem in reperiundis iis, quæ ætatem renovant, ſub ſolertiori ſcrutinio inanem haud poſituros eſſe operam. At non eſt, ut putant, plantis & arboribus ſub hieme ſenectus, ſed quies fœcunditatis. Poſt plures annos ſub ſimili areſcentium vaſorum ac tubulorum lege omnino vere ſeneſcunt *i*), cui non amplius ſuperveniens veris & æſtatis calor medetur. Serpentes quoque inter omnes illas exuvias vera ſenectus conficit. Pellem abiicere error eſt, cum ſit mucoſum, quod exſudant, tegmen, quo ſe frictu ad loca anguſtiora liberant *k*). Tale propemodum *Medeæ* balneum

h) Hinc luſit ſuo in *Paracelſum* carmine *Jo. Petrus Lotichius obſ. med. L. IV. C. XI. p.* 425.

Si præcox medici mors ſcandala præbet; oportet,
Scandala præbuerit mors Paracelſe tua.

i) Omnes novellæ ſtirpes molles humidæque areſcendo ſeneſcunt & moriuntur, inquit *Galenus de temper. Op. Cl. l. p.* 16. *C. Ariſtoteles* quoque ſenium cum marceſcente ſtirpe comparat: ſeneſcit arbor, cujus tubuli rigeſcunt, licet terra alimentum elargiri pergat.

k) Ita *Aldrovandus* & *Grevinus* ſpolium mucoſum vocant. Ideo male jactatur ſerpentum in deponendo ſenio felicitas, & futili ſpe in uſum medicum exuviæ illæ trahuntur. Plus fabulam ſuo ingenio ornant poetæ, & homines fingunt olim impetraſſe a Diis, ut perpetuo gauderent ju-

balneum in *Aeſone* dixeris, quod deterſis cutaneis ſordibus quodammodo emendavit ſenilis formæ ſqualIorem, & ſub ſpecie aliqua novi vigoris cutem aridam rugoſamque emollivit & tumidulam reddidit *l*). Non hoc eſt rejuveneſcere, ſed per ſublatam vel Naturæ vel artis ope corporum immunditiem ad lætiorem aliquam, quæ tamen ſenectutis progreſſum non remoratur, formæ gratiam pervenire. Neque tamen diffiteor, corpus creſcente etiam ætate beneficium experiri Naturæ in ſuas vindicias intentæ, ſique inprimis ementatius vitæ genus accedit, vires ex latentium morborum cauſſis aliquamdiu oppreſſas ſic recuperare, ut majores longe quam annis ſuperioribus videantur. Vereor tamen, ne hic vagæ & ab incertis infidisque manibus, quæ ſemper aliquid, vt res mirabilior videatur, fabularum ſuarum adiiciunt, collectæ obſervationes nimis imaginationi multorum ad adſenſum proniori illudant. Citat *Maffeus* aliquem, cui flos juventutis ter exaruit, ter refloruit. *Valeſcus de Taranta* virorum mentionem facit, quibus in extrema ſenectute pili, dentes, oculi renovati ſunt, & feminarum, quibus menſium fluxus lætusque & ſororius flaccidi uberis ac penduli tumor rediit *m*). Nolim, in ſpem ſimilem eos ingredi,

ventutis munere; at illos ſalutare pharmacum dorſo aſini vectandum impoſuiſſe, qui ſitiens ſerpenti, aditum ad fontem obſtruenti, ceſſit mercedis loco onus. Unde eſt ex eorum ſententia, quod rejecta quotannis ſenectute rejuveneſcat ſerpens, homines ob neglectam tanti theſauri cuſtodiam ſenio marceſcant. Venuſto carmine hanc rem expreſſit *G. Sabinus* L. *IV. eleg III.* Certe non eſt, cur commentitiam adeo prærogativam anguibus invideat *Tibullus*:

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas,
Cur nos anguſta conditione ſumus?

l) In balneo, fotu & oleoſa inunctione hinc omni ævo quæſitum eſt, quod corporis ſenilis contracti & aridiuſculi refingeret formam, & ad juventæ confinia quaſi reduceret.

m) Sylva obſervationum eſt apud hos aliosve auctores, qui ex deſiderio mirabilia enarrandi vanos ſequuntur ſine certo auctore rumuſculos, & raro conditiones, quas veri teſtimonii fides exigit, complectuntur. Ita *J. P. Lotichius*, quem tot alii in eundem ſcopum citant, octogenarii quidem meminit, qui ex morbo defluvium comæ & barbæ paſſus, tu-

ingredi, quos rariſſimorum ejusmodi exemplorum, quæ certe humani ingenii commentis vix ex omni parte vacare ſuſpicor, enarratio delectat. Dum largior aliquid veri ſubeſſe, id ſimul nego, novæ juventutis argumentum inde elucere, vel quandam juvenilis ſanitatis conſtantiam ſubſecutam eſſe, cum plerumque, quibus hæc acciderunt, inter unum alterumque annum occubuerint. Ita fieri ſolet, ut propitia aliquando tempeſtate in extremo auctumno flores, ſed cito caduci, erumpant. Major exemplorum fides eſt, quæ tot retro ſeculis omnium ſe oculis animiſue ſub conſtantiſſima Naturæ lege offerunt, & probant circumſpecti animi diffidentiam, quæ ejusmodi exceptiunculis haud nimium tribuit. Nihil certe eſt tam putidi commenti, cui non aliquis ab exemplis dubia fide traditis fucus acceſſit. Stat igitur inter tot fabulas easque exornandi vana molimina GALENI ſententia: nullum genitum animal viſum unquam eſſe *ἄγηρον n)*. Qui bene tulerunt ſenectutem, inter varia etiam reparatæ valetudinis & novi vigoris beneficia, viſi ſunt non pauci: at fuiſſe unquam octogenarium, qui ad illum corporis ſtatum rediit, in quo vicenarius vel quadragenarius fuit, merum deluſæ imaginationis monſtrum eſſe arbitor. Argumentorum ſatis eſt, quæ contrarium ex ratione & experientia evincunt. Oſtendimus, conſtantem fluidorum actionem per majora vaſa in minora vario gradu decreſcentia, neceſſario illis diſtentis, hæc continuo preſſu emungere ſenſim & conſolidare, cum terminari vis illa movens non poſſit, quam ubi minima cava & minimæ reſiſtentiæ ſunt, adeoque maxima concreſcendi opportunitas. Qualis cum ætate coalitus in corpore interne externeque calloſo neceſ-

beri jam ſimillimus, cadente paulo poſt epidermide ſenſerit novam comam barbamque vitalis coloris, & tantum mox robur emergere, ut variam ſobolem procrearit, ipſi uxori ob officii frequentiam moleſtus. At, quod alii omittunt, non recenſet ut teſtis, ſed eum, ad quem ſcribit, percontatur, an res illa, ut rumor tulit, in urbe ejus acciderit? Reſponſum ſi quod accepit, non, ut par erat, adiecit, v. *Obſ. med. L. IV. C. XI. p.* 425. *E.*

n) *Galen. de marcore C. II. Op. Cl. III. p.* 45. *E.*

neceſſariam vaſorum flexilitatem tollit. Ipſa autem ſemel concreta vaſa quid pervia reddat, & ſcaturigines ſubtilium liquidorum ad motum ipſius cordis ſuſtentandum in iis reſtituat? an vis vitalis ſoluat, a qua nati calli? jam augebit ex vaſorum ad calli limitem novo & continuo attritu. Sapienter *Fr. Baco de Verulamio* cenſuit, ſenes, qui externa vi non pereunt, perire callis in cerebro natis ſub ipſo hebeſcentis ſenſus indicio. Nemo igitur poterit immunitatem a ſenio promittere, niſi qui vel ipſum motum vitalem ſiſtat, vel calloſa & concreta vaſa referet, vel generet nova. Nihil ex his eſt, quod ſpem ſobriam alit.

§. IV.

Velut ſena plerique ætatum ſtadia diſtinguunt, ita ſextum nomine ſenectutis inde deſumto inſignitur *o*). Hujus prima claſſis eſt

o) Inde *Iſidorus* ſenium deriuat, quod ſextus ſit ætatis terminus. *Orig. L. XI. c.* 2. Nec multo aliter *Hippocrates* computat Naturæ humanæ tempora, quas vulgo ætates vocant, ſeptenis annis inter ſe diſtincta. v. *Op. Hippocr. Edit. Lind. T. I. p.* 314. ubi fragmentum *Hippocratis* ea de re, quod *Philo Judæus de opif. mund. p.* 24. *conſervavit*, inſertum eſt. Ei ætates ſunt: 1) παιδίου *infantis*, in quo fandi poteſtas vacillat per primos ſeptem annos ad caſum uſque dentium; 2) παιδὸς *pueri*, qui bis ſeptem annos ad ortum genituræ abſoluit; 3) μαιρακίου *adoleſcentis*, qui novis ſeptem annis ad barbæ lanuginem progreditur; 4) νεανίσκου *juvenis* intra annos quater ſeptenos ad ἄυξησιν ὅλου τοῦ σώματος pervenientis; 5) ἀνδρὸς *viri*, quoad virium plenius robur intra annos ſepties ſeptem enititur; 6) πρεσβύτου καὶ γέροντος. Ille *ſenior* vocatur, & ad annum ætatis quinquageſimum ſextum ſub parva ad ſenſum declinatione virium & valetudinis adſcendit. Hic proprie *ſenex* reliquum vitæ ſpatium haud ambigua amplius decreſcentium virium gradu decurrit. Πέμπελον ſeu *capularem* ſenem, id eſt capulo ſeu arcæ ſepulchrali proximum, in extremo ſenilis frigoris & rigiditatis ſtadio adpellant. Cum æliquo circa ultima ſtadia diſcrimine etiam ætates ex *Hippocrate* recenſet *Julius Pollux in onomaſtic. L. II. C. I. p. m.* 153. Sextum & ſeptimum ætatis ſpatium, cum utrumque ſenile ſit, conjunximus.

eſt ὠμογερόντων *p*) quorum cruda & viridis ſenectus potioribus vitæ muneribus non modo ſufficit, ſed & ſapientius illa & in publicam rem utilius adminiſtrat, alioqui majores noſtri ſummum conſilium, inquit *Cicero*, non adpellaſſent ſenatum *q*). Media claſſis in iſtis vitæ munerumque negotiis, cum majori jam moleſtia conjunctis, aliquam legis, quæ levat onera, indulgentiam meretur, & apud æquos humanosque judices reperit; tertia ab omni terreſtrium curarum vinculo immunis receptui canit, & inter fomenta quietis, quæ amicorum manus merito ſuggerit, quaſſam a vitæ fluctibus naviculam ad vicina ſalutis littora & portum placide dirigit. Non fallax annorum calculus veros ſenectutis limites exacte ſatis deſignat, nec circumſcribere illos terminos niſi in aliqua latitudine licet. Præterea enim, quod citius ſeneſcant, quos in frigida & ſicciori corporum temperie caloris fotus & rigantis humoris beneficium prius deſtituit *r*), nec minus illi, qui ad incrementum corporis celeriori gradu perveniunt, ruant quoque pari celeritate ad interitum *s*), denique omnes ſub vehementia motuum & exercitiorum præmature rigeſcant *t*); tum illud maxime extra dubitationem poſitum eſſe arbitror, quod qui pleroſque vitæ ſcopulos provide prætervehuntur, tardius longe ac mitius, quam qui

p) *Galen. V. de ſanit. tuend. Op. Cl. II.* 94. *E.* ubi de ſenectutis triplici ætate agit.

q) *de ſenect. VI.* Ita conſilium *Spartæ* ſenum XXVIII. γερουσία dictum, *Democrito* ſenectus σωφροσύνης ἄνθος vocatur. Pluris, inquit *Petrarcha*, eſt ſenilis ætatis dies unus, quam alterius integer annus.

r) Omnes ipſa temperie frigidi & ſicci citius ſeneſcunt, inquit *Galenus l. c. p.* 94. *C.*

s) *ib. p.* 96. *F.*

t) Vehemens motus citius vaſa minora oblitterat & compacta ac calloſa reddit, id eſt, ſenium præcipitat. Vitam laborioſam, æque ac ſenectutem, muſculos fere totos tandem in tendines, hos vero in cartilagines & oſſa denique permutare, docet *Herm. Boerhaave Inſtit. medic.* §. 415. Idem §. 1054. *doleo*, inquit, *infantes ante tempus a parentibus ad labores cogi.* Sunt plures aliæ cauſſæ, etiam præternaturales, quæ ſenium accelerant, velut *Hippocrates* de iis tradit, quibus pueris herniæ, viris varices & ulcera tibiarum ſurgunt, *de aer. aqu. & loc. S. I. v.* 140. 141.

qui ſæpe & imprudenter in illos impingunt, onera ſenectutis ſentiant. Prætereo plures præcipitari ſenii vel retardati cauſſas, inter quas tamen ſemper eminet impar nativi roboris ratio & impar ejus cuſtodia. At ſenes immerito dixeris, quorum in magno annorum numero par negotiis vigor nondum declinat *u*). Devexa ætas non præceps eſt, gratiora etiam poma, dum fugiunt. Senex, qui caute vixit & Naturæ inſtitutis congruenter, etiam dum declinat, actiones ſuas integras eſſe ſentit, ſique non validas nimis, eo placidiores & minus præcipites. Omnes male cernimus, ſi cum aquila & lynce; confuſe audimus, ſi cum melam pode; pedibus parum valemus, ſi cum *Iphiclo*, vel manibus, ſi cum *Milone* conferimur *x*) Sed non ideo nobis infeliciores videmur, ſi actionem conſilia magis dirigunt, quam robur ſuſtentat. Nec caret ſenex contra varios morbos præſidiis, quibus aliæ ætates facilius ſuccumbunt *y*). *Hippocrates* hæc duo conjungit, ſenes ut plurimum juvenibus minus ægrotare, at diuturnis morbis plerumque immori *z*). Nempe ex altera parte vigor ipſe corporis vehementiam morbi intendit, ex altera debilitas corporis non vincit contumaciam morbi chronici, cujus ſemina præcedens ætas ſparſit. Si febres aliquando, nam raro contingit, ſenes infeſtant, mitiores

u) Seneſcere eſt a gradu priſci vigoris declinare. Ita litteras *Plinius*, orationem ſuam *Cicero*, famam *Livius* ſeneſcere dicunt. cui *Demoſthenes* τιμὰς ἀγήρως, *Xenophon* τὴν ἀγήρατον δόξαν opponit. Quo etiam ſenſu conſilia per moram ſeneſcere legimus. Eadem ad ſtatum animi a vigore & tranquillitate ad luctum declinantis accommodari poſſunt, velut *Cicero* totam civitatem ſenio confectam dixit, *Orat. pro Mil.* 15. Igitur & ratione corporis ſenex vocari nequit, licet annis onuſtus, qui nondum declinat. Senex non eſt, inquit *Galenus*, qui vires integras, habet: de *meth. med. II. Op. Cl. VII. p.* 70. *A.*

x) *Gal. de ſanit. tuend. L. I. C. V. Op. Cl. II. p.* 63. *H.*

y) Quod non tantum de morbis acutis valet, ſed & chronicis. *Hippocrates Coac. prænot. S. III. n.* 143. ab anno ætatis XIV. ad XLII. naturam corporis morborum omnium feracem vocat, & *ib. S. III. n.* 144. ſeneſcente corpore nec ſtrumas fieri, nec lapides in veſica gigni nec nephritides & hæmorrhoides, niſi prius exſtiterint.

z) *aph. II.* 39.

res illæ ſunt & exiguæ *a*); vel ideo, quia ejusdem *Hippocratis* judicio debiliores patiuntur debilius *b*). Mirandum vero non eſt, ex ſenili ſinu labem inhærentem in illa virium coquentium penuria vis excuti, velut materiam podagricam, quam humana arte in ſenibus expugnari poſſe negat idem artis noſtræ dictator *c*.) Tangendi hic morbi ſunt unice ſenibus proprii & familiares, quos amplo quidem numero nec levis armaturæ recenſet Hippocrates, dyſpnœas, catarrhos tuſſiculoſos, ſtrangurias, dyſurias, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexias, cachexias, prurigines, vigilias, oculorum nariumque fluxiones, viſusque & auditus gravitatem *d*); ex quibus tamen multi adhuc ſunt, qui retro actæ ætati ortum ſuum debent. Morbi propriiſſimi ſenibus ſunt a prædominio ſolidorum. Ut plethora in juventute cohibenda eſt, ita ariditas in ſenectute *e*). Areſcunt minima vaſa excluſis jam tenuiſſimis liquidis ad ſenſuum motuumque miniſteria neceſſariis *f*), unde ſenſus hebetes, memoria vacillans, artus

a) πυρετοὶ λεπτότεροι καὶ ὀλίγον. *de morb. I. Op. T. II. p.* 26. *n.* 16. Similiter *Galenus* ex magnitudine febrium & dolorum plus ait juvenes pati quam ſenes. *Op. Cl. IV. p.* 205. *H.*

b) ὁι γεραίτεροι πάσχουσι ὀλιγάκις. *ib. p.* 42. *n.* 13. Subiicit: ἀσθενέστερα πάσχουσιν, utpote ipſi ἀσθενέστεροι.

c) περὶ δὲ ποδαγριόντων τάδε. γέροντες ἀδύνατοι ὑγίεες γίνεσθαι ἀνθρωπίνη τεχνη ὅσον ἐγὼ οἶδα. *prædict. II. Op. T. I. p.* 498. *XV.* 1. 3. Ita & raro ex aliis magnis morbis chronicis emergunt, quorum radices olim jactas adultasque evellere in illa ætate poſſe, ſpes eſt juſto audacior. Huc affectus renum & veſicæ referens *Hippocrates*, ἐργωδῶς inquit ὑγιάζεται. *aph. VI.* 6.

d) *aph. III.* 31.

e) Conf. *Galen. de ſanit. tuend. L. VI. C.* 2. *Op. Cl. II. p.* 95. *G.* ubi ex luculento illo ad ariditatem progreſſu colligit, neceſſe prorſus eſſe, hominem ſeneſcere & corrumpi.

f) mirum non eſt fontibus ſpirituum in cerebro diminutis functionum animalium vigorem decreſcere & mutuas commercii leges inter animam & corpus in propria ſede labefactari. Hoc ſenſu cum corpore, ut *Lucretius* ait, *creſcere ſentimus pariterque ſeneſcere mentem de rer. nat. L. III.* 447.

artus inflexiles, muſculi cum ſuis vaginis abſumta pinguedine concreti, circuitus humorum tardus ex langueſcente cordis, ſolito virium moventium commeatu deſtituti, actione, pulſus durus & debilis, hic a parvo nixu cordis, ille a magno renixu arteriarum, ſpina, ut *Hippocrates ait g*), obliquata, vel ut *du Verney* & recentiores anatomici notant, in unum os ſine juncturæ veſtigio coalita, membranæ cum vaſis inſtar cartilaginum duræ, ligamenta fere oſſea, ex quibus creſcit difficultas ſe movendi & torpor in funeſtum maraſmum deſinens.

§. V.

In ſanitate ſenis tuenda eædem ſe difficultates offerunt, quam in iis, qui ex morbo convaleſcunt, judice Galeno *h*), qui hanc partem medicinæ, quæ ſenum ſaluti proſpicit, Gerocomicen adpellat. Sive igitur pro morbo ipſo cum quibusdam ſenectutem habeas, ſive pro medio ſtatu inter morbum & ſanitatem *i*), haud longe aliis præſidiis opus eſt, quam quibus nuper convaleſcentes egent. Maxime vero eidem Galeno idoneus ſenum medicus habetur, qui calefacientium & humectantium indolem probe callet, cum ei ſenium nihil aliud ſit, quam frigus & ſiccitas corporis ex annorum multitudine proveniens *k*). At quamvis frigidus ſenex fotu caloris egeat, aridus rigidusque iis, quæ molliunt & humectant; utrumque tamen remediorum genus, & in aere & victu & externis maxime fomentis obvium, non parum prudentiæ requirit in legitimo per juſtos gradus uſu. Bene Hippocrates monuit, ob tenuem calorem inſitum parvo fomite egere

g) ſpinam ſenis obliquari ait *de artic. S. III. v.* 145. unde curvos & tertia aliquando parte minores ſenes notavit. Largitur tamen magnitudinem in ſene parvitate deteriorem eſſe. *aph. II.* 54.

h) *de tuend. ſanit. S. V.* C. 4. *Op. Cl. II. p.* 89. *F. p.* 90. *E.* Non ſecus *Herophilus* cenſuit, ſtatum ſenum eſſe quaſi illorum, qui ex febribus convaleſcunt.

i) *ib. C. X. Op. Cl. II. p.* 92. *H.*

k) *ib. p.* 92. *G.* alio loco viam ad interitum per tabem vocat, *de temper. L. II C.* 2. *Op. Cl. I. p.* 16. *D. Ariſtoteli* dicitur declinatio vitæ ad ſtatum ſiccitatis & frigoris v. *L. IV. de gener. animal.*

egere ſenes, multo exſtingui *l*). Nec minus ſapienter *Socrates* eos cum plantis aridis comparavit, quas ros recreat, imber demergit *m*). Primæ cautionis neceſſitas indice *Hippocrate* ex eo adparet, quod ſenes hieme poſt viciſſitudines frigoris excalefacti aliquid epilepticis ſimile patiantur *n*), vel verno tempore ad ſolem ſubito æſtuantes cum majori periculo convellantur *o*). Altera cautio humectandi corporis legem limitat. Quis enim neſcit, ſenes muco & pituita laborantes in crebrum aſthma incidere, & in diſcrimen aliquando ſuffocationis; unde HIPPOCRATES ſenes ὑγρὲς adpellavit *p*). Verum ut ſub tanto vaſorum per ætatem coalitu penuriam humorum naſci neceſſe eſt; ita ob caloris & coctionis inertiam facile quidem ingeſta in mucum fatiſcunt, qui in ampliora loca exundat, merito tamen ſenile corpus, cujus proprie partes in fabrica ſolidorum conſiſtunt, in gradu creſcentis indies ſiccitatis conſideratur. Hinc, ſi aliquando in adfluentia craſſi humoris deſiccans remedium requiritur, jure GALENUS celerem ad humectantia reditum poſtulat *q*). Semper ante oculos ſint vaſa ſenis diminuta, collapſa, exhauſta, fluida pauca & mucoſa, utrinque ſub languente vitali motu, adeoque perpetua eorum indigentia, quæ modico calore & irrigua virtute frigus, ariditatem, marcorem, mala indies creſcentia, in progreſſu ſuo retardant. Protrahenda vita in ultima ætate ut ægritudo quædam eſt, ſub ſolerti tutela mitior. Quæ auxilia in lenimen ars ſuggerit, non tam ex penu medicamentorum, quam ipſis vitæ legibus emendatis & penitius ad præſentem uſum accommodatis, ſuccincte proſequemur.

§. VI.

l) *Aph. I.* 14. ὀλίγον τὸ θερμὸν tribuens ſenibus addit, egere illos ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων, quia multis exſtinguuntur, ὑπὸ πολλῶν ἀποσβέννυνται.

m) quod cum aliis ex *Socrate* repetit *Fr. Baco de Verulamio.*

n) *Hipp. de morb. ſacr. Op. T. II. p.* 337. *XII.*

o) pejori effectu ἡλιωθῆ ἡ κεφαλή.

p) *ib. de diæt. op. vol. I. p.* 203. *XXVIII.* 20. οἱ πρεσβύται ψυχροὶ καὶ ὑγροί.

q) *de tuend. ſanit. L. V. C.* 8. *p.* 92. *B. D.* inciſa, quæ colligitur, pituita, ſtatim revertendum ad victum humectantem.

§. VI.

Ut igitur ſenex placide & moleſtiis doloribusque vacuum extremæ vitæ ſtadium exigat, de eo primum ſollicite cogitet, ut nunquam inclementis aeris injuriis caput ſuum temere objiciat *r*). Qui nova exſpectare valetudinis incrementa nequit, unice cauſſas arcere debet, quæ debilem & fere inermem vitam opprimunt. Læditur vero ab iis præſertim, quæ vel inſpirat vel ingerit vel externe admittit. Igitur ſub cœlo puro & tetris halitibus minus inquinato, ſi in poteſtate ſua ſit, ſedem eligat, vel ſibi infeſtam tempeſtive mutet. Multum in eo momenti ſitum eſſe, qua aura ætherea veſcimur, facile patet ex varietate cœli, incolis ſuis nunc plus nunc minus propitio & ſalutari *s*). Neque tamen tam facile ſenibus licet ſedes minus opportunas mutare, vel ſi licebit, haud tuto ſatis ab adſueto aere aliisve rebus, cum quibus commercium conſuetudo ſtabilivit, modo manifeſtæ noxæ reum non ſit, avelluntur. Igitur in loco ſibi familiari ſubſiſtant quidem, at bene diſtinguant tempora, quibus aer, qui ipſis circumfunditur, nunc mitius nunc aſperius adſpirat, & quod moris eſt, in magnis præſertim urbibus, quarum aerem hominum ſub vario & ſæpe immundo vitæ genere colluvies plus inquinat, rura ſæpius in æſti-

vi

r) id ſollicite *G. Cheynæus* in ſenibus maxime decrepitis & vitæ termino propioribus requirit, ſi extrema tempora a dolore, quantum fieri poteſt, immunia tranſigere cupiunt, *de infirm. valetud. tuend. C. VII.* §. 12. *p. m.* 224. Hoc ſi ſtrenue obſervaverint, & nihil præterea ſuperflui ingeſſerint, ſed parciori indies & tenuiori cibo utantur, conſultum ſenibus ſaluberrima ratione eſſe judicat.

s) præferunt plerique regiones frigidiores & hyperboreas, in quibus minus quam calidioribus acreſcunt ſucci corporis & ſpiritus diſſipantur. Laudabant olim Arcadiam & Aeoliam, montemque Athon in Græcia & cacumen montis Tmoli, cujus incolas *Plinius* ad annos CL. pervenire ſcribit. De Indis & Braſilienſibus ſimilia commemorant, & de gentibus, quas *Americus Veſputius* trans lineam æquinoctialem reperit, quarum idem vitæ terminus. Arabiæ felicis incolas ajunt poſt luſtra XXV. adhuc vegetos & robuſtos eſſe. Confer, quæ pro varia regionum ſalubritate adducit *Fr. Baco de Verulamio in hiſt. vitæ & mortis & ſpeciatim in hiſt. longæv. & brev. vit. artic.* 24. 25. 28. *Op. p. m.* 516. 517.

vi cœli ſqualloribus petant, & tempe ſuum, ut olim Theſſali, locis ſalubrioribus vicinis, ſive montanis ſive campeſtribus, inſtruant. Quemadmodum vero omnibus conſultum cupimus, ita certe in loco, quo hærere conſtantius oportet, nubilæ & procelloſæ tempeſtatis incommoda domi ad focum ſedentes provide eludant ſenes, quippe in quibus a minima aeris aſperitate ſanguis tam frigidus & effœtus, coctio tam languida, perſpiratio tam exilis, magis periclitantur. Id etiam agant, ut ipſum aerem ſicciorem & frigidiorem, qui juvenile robur ſuſtentat, artis ſubſidiis ad quoddam ſibi congruentiſſimum teporis & humiditatis temperamentum reducant. Nihil plus eorum indigentiæ convenit, quam puri ſerenique & ad ſolem calentis aeris fotus, quem æſtivis diebus cum delectu quærant, & ad loca, quæ radiis ſolis intepuerunt, libera tamen & ab alia immunditie aliena, ſe opportune horis a peracta coctione vel nondum incepta conferant. Id enim eſt, cur HIPPOCRATI *t*) ſub adulta æſtate & primo autumno melius ſe habere ſenes dicantur, cum ver & prima æſtas magis puerili, altera pars autumni & hiems mediæ æſtati conducat. Nunquam ſe facile ſenex liberius exponat aeri, niſi ſereno *u*), tranquillo & præſertim grato tepore refocillanti, qualem ſi non reperit, eum, quem domi inſpirat, nunc accenſo foco, nunc fragrantium herbarum halitu, nunc aliis commode emendandi auxiliis ſuæ utilitati plenius attemperet.

§. VII.

Alterum & huic proximum ſenilis valetudinis præſidium eſt in victu, qui tenuior requiritur pro faciliori in vaſa anguſta & ægre dilatabilia ingreſſu, minusque impedito per eadem tranſitu ſimulque parcior & viribus coctionis aliquantum inferior, quia partim ſenile corpus conſumit parum, ideoque magno ſup-
ple-

t) *aph. III.* 18. Ita *Celſus:* ſenes æſtate & autumni prima parte optime valent. *de Med. L. II. C.* 2. *p. m.* 46.

u) ſi hypochondriacis cœlo ſereno ſerenus, nubilo nubilus animus tribuitur, id de ſene triſti & moroſo etiam plus valet, quem auræ vitalis tepor maxime recreat.

plemento non eget, & præ omni ætate jejunia tolerat *x*), partim tarde coquit & ſubigit, unde vires, quæ jam ultro fatiſcunt, ſub ingeſtorum, quæ facile in cruditates abeunt, onere, etiam leviter creſcente, merguntur & opprimuntur. Hujus originis eſt triſte illud ſenum contubernium, aſthma, catarrhi, flatus, tormina, colica, quibus aliisve gravioribus malis certius nihil medetur, quam provide diminuti victus ratio. Leviter transgreſſi ſenes in cibo limitem ex judicio GALENI *y*) celerrime læduntur, cum juvenes ex maximis erroribus parum noxæ ſentiant. Omnes, quibus longa vita & dolore vacua contigit, ſi G. CHEYNÆUM audimus *z*), non alio uſi ſunt victu, quam tenui, parco & macro, nunquam luxurioſus, niſi ferrei per naturam roboris longævus fuit, vel ſi ſenectutis limina attigit, aerumnoſiora habuit, quam ſobriis ad metalla damnatis miſera vita eſt. Severiſſima Cornarii abſtinentia, quæ ab ipſis perpetuis jejuniis parvo gradu abfuit, vitam ei omnis moleſtiæ expertem, ſenſuumque & animi vigorem ad extremam ætatem conſervavit. Si robur corporis diminuitur aliquantum, non tamen in neceſſariis functionibus deficit, in omnibus vero, qui hanc legem conſtanter ſequuntur, ſenſus acumen diu ſubſiſtit & tranquillitas animi. Et certe quidquid aliunde accedit auxiliorum, ſemper inchoandum ab abſtinentia eſt, tanquam ſolidiſſimo ſenilis valetudinis fulcro, & in eadem deſinendum, quo fere ſolo pro naturalis fabricæ conditione ad ultimam protrahi metam vita poteſt. Neque vero per abſtinentiam aliud intelligo, quam tenuem & parcum victum, creſcentemque indies in ejus uſu temperantiam. Solent hanc victus rationem cum illa puerorum comparare. Utrinque ob virium coquentium inopiam,

x) *Hippocr. aph. I.* 13. ſenes ait facillime jejunia ferre, deinde qui ſunt ætatis conſiſtentis, minus adoleſcentes, omnium minime pueros, inprimis agiliores. Ita *Macrobius* ſenes exſtincto coctionis calore tolerare jejunia ſcribit. *Saturn. L. VII. C.* 6 *p. m.* 600.

y) *de ſanit. tuend. L. V. C.* 4. *Op. Cl. II. p.* 90. *F.*

z) *de infirm. ſanit. tuend C. VIII.* §. 16. *p. m.* 244. dum præſagit luxurioſis præpoperam & infirmam ſenectam, & cauſſas vitæ in medio decurſu reciſas, addit, martyribus graviora pati, cum martyrum ſolatia deſint.

inopiam, quidquid in alimentum cedere debet, parum & crebro offerendum eſt, at ſemper in progreſſu addendum aliquid puero, detrahendum ſeni, *a)* ut huic poſtremum velut *Cornario*, qui vitellus tridui epulum inſtruat. Præterea vero ſimpliciſſimum ſit & probi ſucci, quidquid ſub illa reſtrictæ quantitatis conditione exhibetur. Aeque nocet varietas *b)*, cum vim tribuunt acuendi adpetitum cibi & coctionem, quam plenitudo, *c)* quæ perdita plus & citius reparare creditur. Illa enim non unum requirit coquentium virium, quæ ſingulis ſufficiunt, adparatum, quem in ſenibus temere exſpectas; hæc cruditatum, in quas ſub tum exili coctione ingeſta degenerant, infeſta mole, ſemper imbecillioribus nocentiori, gravat. Neque tamen languidus ſenex, antequam edat vel bibat, ſtimulum famis vel ſitis juſto diutius exſpectet. Hunc culpa ætatis hebeſcentem per ipſam moram ſentiet minus, & ex ingruente virium lapſu ægrius jam digeret, corpusque neceſſario commeatu defraudabit, ut non refectum juſtis intervallis, ſuccumbat facilius. Ille centum annis major, cujus *Fr. Baco de Verulamio* meminit, quæſitus de cauſſa tam longi ævi, lepide reſpondiſſe viſus eſt, ſe id conſuetudini ſuæ tribuere, edendi ante famem, bibendi ante ſitim *d)*. In modico opere ſurgunt ſtimuli, qui intermiſſo nimis coctionis officio ſegneſcunt. At & ſcire juvat, quænam potiſſimum ſint illa, quæ frigidum, ſiccum & debilem ſenem tuto ſuſtentant, ſub hoc triplici charactere, ut bene alant, facile coquantur, promte diſtribuantur. Ejusmodi ſunt carnes macilentæ &

a) detrahendum eſt alimentum in copia & ſoliditate, ita ut quo quis magis ſeneſcit, eo fluidius, coctu facilius & parcius accipere debeat, v. *G. Cheynæum l. c. C. VII. §. 12. p. m.* 226.

b) quam petunt ex *Celſo*, qui tamen varietatem illam ſub perpetua inclinatione ad melius caute limitat.

c) *Fr. Baco de Verulamio in hiſt. vit. & mort. Op. p. m.* 519. edaces ſæpe longævos repertos eſſe ait, hinc plenitudinem cibi probat, quod plus reparet. Poteſt hæc voracitas cum proba coctione conjuncta in primo ſtadio ſenis vegeti locum habere. In ultimo ſtadio ab omni plenitudine augmentum crudi metuendum eſt, & monendus ſenex, ne ſecuritatis ſuæ eum deinde pœniteat.

d) *ib. p. m.* 520.

& tenella juniorum animalium, & juſcula inde parata, maxime gallinacea, columbina, vitulina, veruecina, quæ alentis & ſolubilis gelatinæ multum in ſe continent. Quid enim ſunt illa juſcula quam ab ipſa corporis animalis fabrica elaboratiſſimus humor, illi gradui mutationis, ſub qua alere poteſt, proximus? Olera mollia iisdem juſculis incocta mitiſſimi ſucci ſunt, blande rigantis & moderate abſtergentis. Ova pariter, quæ ſub leni calore pullum alunt, ſorbilia inprimis & tremula, nulli facile nutrimento cedunt ſalubritate & gratia, nec *Plinio* judice *e*) cibus eſt, qui vel in ipſa ægritudine alat magis & minus oneret. Avicularum carnes teneras coctu faciles & ſenibus ſaluberrimas eſſe nemo ambigit, modo ejusmodi ſint, ut ſeminibus maxime & frugibus paſcantur, etiam extra flumina, palutes & ſtagna degant. Neque piſcium carnis teneræ & friabilis diſpar ratio eſt, quos ob levem coctionem, quam requirunt, Hippocrates κῦφον ἔδεσμα vocavit *f*), & *Zeno* olim & *Crato* ægrotantes ante omnes alios cibos ad piſces tanquam κουφότατον ὄψον ablegarunt *g*). Et quid de pane dicam, cujus probe alentis poteſtatem nulla ætas diffiteri auſa eſt, nec alios facile cibos ſine ſocietate ejus adpetiit. Fermentando bene attenuatus, leniter ſalitus & probe coctus promte in chylum & ſine fece propemodum liqueſcit. Senibus tener ac ſiligineus convenit, modo friabilis ſit, & nullam a vetuſtate duritiem contraxerit. Neque improbamus, ſi pauxillum croci vel aniſi vel mitiſſimi aromatis mixtum inſitas ad coctionem vires intendit. Illitum butyrum recens & dulce, ſed modicum, mollit & lubricat, quod durum aridumque eſt, & alere ſenectutem dicitur. At præſtantius eſt ipſum lac in juſta adhuc & recenti partium miſcela, quod velut

e) *Hiſt. Nat. L. XXIX. C.* 3. Conf. *Galenum de aliment. facult. L. III. C.* 22.

f) *de affectionib. Op. Vol. II p.* 191. 16.

g) *v. Plutarch. Sympoſ. L. IV. Op. T. II. p.* 669. *C.* Ita *Galenus* imbecillis & convaleſcentibus, quorum ſtatum cum illo ſenili ſupra comparavimus, piſces commendat *de alim. fac. C.* 29. & ſanguinem mediæ conſiſtentiæ præbere docet *ib. C.* 3. *Op. Cl. II. p.* 30. 31. 34. Non aliter ſentiunt veteres medicinæ principes, *Aretæus*, *Aetius*, *Oribaſius*, *Trallianus* &c.

ſur debiliſſimis in prima infantia corporibus alimoniam impertit, ita languentiſſimorum ſenum ſub parvo coctionis molimine, viribus, quantum ſatis eſt, proſpicit. Mirabiliter lac crudum ſpiritus roborare & vigorem conciliare, & tanquam ſimplex Naturæ alimentum ſub perfectiori coctione æquabilem ſanguinis & ſpirituum craſin gignere, quæ a compoſitis cibis, quorum indoles nunc hunc nunc illuc tendit, exſpectari non poſſit, Thomae Sydenhami ſententia eſt *h*). Tepidius ab ubere, certe ambienti aëri, cujus diuturno contactu in tenax gluten perdita parte tenui & ſpirituum divite cogitur, non niſi breviſſimo temporis articulo expoſitum requirit Galenus, & mavult reperiri inter illos, quos macies conſumſit, qui ipſum vber muliebre ore apprehendant, ut *Euriphon* olim & *Gerodicus i*). Farinoſa varii generis ex oryza, milio, tritico, hordeo, manna eſculenta & aliis, bene tritis & comminutis, velut egregie nutriunt, ita cum lacte in mollem & teneram pulticulam, pauco aromate & ſaccharo conditam levi coctione convertuntur, quæ nunquam protrahenda nimis, ne vel lac nativo ſuo ſpiritu, vel illa farinoſa ſolubili ſua gelatina privet. Talia igitur affatim ſuppetunt, & facile querelas ſenum, a priſcis ciborum lautitiis ſe arceri, conſopiunt.

§ VIII.

Quælibet enim anni tempeſtas nova munera ſuggerit, etiam pro ſenibus & infirmis, ne in una re faſtidium emergat. Quidquid

h) *in diſſ. epiſt. ad Guil. Cole Op. p. m.* 413.

i) *de marcore C.* 19. *Op. Cl. III. p.* 48. *D.* Ceterum jam in ſe metuendum eſſe lactis lentorem judicat, ubi parva eſt in recipiente corpore vaſorum amplitudo. Agricolam fuiſſe ſcribit centum annis majorem, qui micam panis in lacte caprino maceratam ſumſerit ſæpe, vel quoque miſcuerit cum ſummitatibus thymi. Quem cum imitari alius vellet, os ventriculi ſenſit gravari, præcordia tendi, jecur tumere & indurari, *de ſanit. tuend. L. V. C.* 7. *Op. Cl. II. p.* 91. *E. Galenus* diſcrimen in diverſa vaſorum utriusque corporis amplitudine, ibi lac transmittente, hic ſiſtente, quærit. Id opus non eſt de lacte ſuſpicari, trajecta jam per lactea & alia ante ſecretionem ſuam corporis animalis vaſa. Pronius eſt illam corruptelam lactis, quæ hæc mala peperit, in ſquallore primarum viarum concipere, quo alter caruit, alter oppletus fuit.

quid vero ſub certo tempore copioſius germinat, tunc magis viribus coctionis noſtræ reſpondet, quarum non idem ſub omni anni tempore robur eſt *k*). Tædium illud, quo luxurioſi ultro obvia reiiciunt, & quæ in hortorum cultura magnis impenſis ars præcipitat, unice adpetunt, non decet ſenes, qui indulgentiam Naturæ toties experti illud judicare ſalubrius & eligere didicerunt, quod pleniori ſinu effundit, tanquam præſentis temporis indigentiæ magis oppoſitum. Spinachia & aſparagi, lac & ova primo vere ubertim prodeunt, ex quibus potior alimenti pars peti maxime a ſenibus debet. Mox molliuſculæ carnes vitulorum, agnorum hædorumque ſequuntur, tenella paulo poſt piſa, lactucæ & anagallides, quas PLINIUS ſenili corpori præcipue utiles dixit *l*). Cum æſtate pulli gallinarum vulgarium & Indicarum ſe offerunt, & præcoces fructus, fraga, ceraſa, ficus, veræ areſcentis corporis deliciæ. Et ficus quidem meliorem ſenibus valetudinem parere & minus rugarum, recepta veterum ſententia eſt *m*). Succedunt altera æſtatis parte cinaræ, paſtinacæ & caules varii generis. Sub autumno quam grata avicularum copia occurrit, turdorum, perdicum, alaudarum, merularum. Caro bubula, quin & ferina, ſi unquam, hoc potiſſimum tempore concedenda eſt judice CHEYNÆO *n*). In qua ſane rerum adfluentia, pro gradu ſenectutis plus vel minus coarctanda, facile erit coctu durioribus, viſcidis, pinguibus, cruſtoſis, teſtaceis, acribus nimis, ſalitis & fumo induratis renuntiare. Soluuntur ſenſim vincula, quæ nos rebus corporeis illigant, fas eſt illis tantum, quæ ultimis vitæ neceſſitatibus ſerviunt, adhuc frui aliquamdiu, miſſis reliquis, poſſe. Nolim tamen, poſtquam varia recenſui, mel præterire, omni ævo inter præſidia ſenectutis relatum. Poſt *Hippocratem* ipſum, qui mel ſenibus amicum cenſuit, omnes medicos id partim ex natura mellis, mucoſa & tenacia, quæ gravant

k) id probe expendit *G. Cheynæus de infirm. ſanit. tuend. C. VII.* §. 7. *p. m.* 213.

l) *Plin. Hiſt. Nat. L. XXVI. C.* 14. *Op. T. II. p.* 415. 12.

m) *ib. L XXVIII. C.* 7. *Op. T. II. p.* 314, 30.

n) *de infirm. ſanit. tuend. C. VII. p.* 7. *p.* 214.

vant ſenes cum crebro non tantum aſthmate ſed & periculo ſuffocationis, leniter detergente, partim conſtanti experimentorum fide cognoviſſe *Galenus* judicat *o*). Apud *Homerum Hecamedes Neſtori* mel obtulit, & *Diophanes*, ſuave mel eſſe & longævos facere non hæſitanter pronuntiat *p*). Multi inquit, PLINIUS *q*) longam ſenectutem mulſi nutritu toleraverunt, neque alio cibo uſi ſunt, celebri exemplo *Pollionis.* Id autem *Pollio* a *Democrito* didicerat, qui per omnem ætatem melle delectatus nonum ultra centeſimum annum attigit, & cum mori per inediam conſtituiſſet, ad preces ſuorum per dies feſtos Cereris, quæ inciderunt, ſolo odore & halitu mellis vitam prorogavit *r*). Si *Ariſtoteli*, *Plinio*, *Columellæ* & aliis credimus, apes, quibus mel debemus, ex ſolis inſectis in annum ſeptimum vel decimum vivunt. Maxime *Pythagoreorum*, qui in hoc etiam magiſtri morem ſecuti ſunt, *Euſtachio* docente, nutrimentum fuit mel cum pane *ſ*). Quod quam egregium ſit, vel ex ipſo *Hippocrate* colligimus, qui mel cum pane aliisve probe alere & bonum colorem conciliare, ſolum ſumtum nimis

o) *de nat. facult. L. II. C.* 8. *Op. Cl. I. p.* 300. *G.* At pituitoſis non æque bilioſis convenire, lite duorum hominum illuſtrat, ex quibus alter, ſenex pituitoſus & otioſus in laudes mellis, alter bilioſus triginta annorum in probra ejus effuſus, ad ſua vtrinque experimenta provocarunt, *de alim. facult. L. I. C. I. Op. Cl. II. p.* 8. *F.*

p) *Geopon. L. XV.*

q) *Hiſt. Nat. L. XXII. C.* 24. *Op. T. II. p.* 284. 4. Is cum centum annos excederet, *Auguſto* hoſpiti ea de re quærenti reſpondit, ſe vigorem illum animi & corporis intus mulſo extus oleo debere.

r) *Laertius* quidem odoratu calentis panis per illos dies refectum dicit, *Edit. Meib. L. IX. p.* 572. *Athenæus* vero *deipnoſ. L. II. C.* 7. *p. m.* 46. *F.* id odori mellis ſemper amati tribuit, ſimulque commemorat, *Democritum* alicui, qua ratione ſanam vitam degeret, conſulenti reſpondiſſe: *ει τὰ μὲν ἐντὸς μέλιτι βρέχοι, τὰ δ' ἐκτὸς ἐλαίῳ.*

ſ) teſtatur *Ariſtoxenus* apud *Athenæum*, & ſenſurum nunquam morbos, qui pranſurus veſcatur quotidie melle, ipſe tanquam ſponſor cenſuit. Et *Lyſas* ſcribit, *Corſos* ideo longævos fuiſſe, quod melle apud eos abundante plurimum uterentur, *Athen. l. c. p.* 46. *F.* 47. *A.*

nimis aluum lotiumque movere & attenuare magis, quam reficere dixit. Hinc Galenus, *t*) dum panes laudat, placentas vero ex butyro & ſimilagine conſtantes hujus laudis participes eſſe negat, id ſubiicit, nocentiores etiam fore, niſi mel affatim admixtum ſit *u*). Verum quid opus eſt, inquit, noxiis ſalutaria miſcere, quandoquidem melle crudo vel cocto vti cum ſimplici pane liceat. Inter hæc etiam monet, plus cautionis exigere panem quam mel, hoc enim, ſi boni odoris ſit nec ceraceum nimis, ad uſum ſufficere, panem niſi ſale & fermento decenter ſubactum & in clibano probe coctum, fracto plenius glutinoſarum partium vinculo, facile debilium viſcera obturare. Quo multiplici merito tenacem mucum ſenilem diſſoluendi, vias pro tranſitu liberandi, vigorem functionum blando ſtimulo excitandi, mel omnino ſcipio ſenum adpellari meruit. Succurrit Frid. Schraderi de præcone verbi divini teſtimonium, qui plurima valetudinis incommoda juvenis perpeſſus ad vegetiſſimam ſenectutem pervenit, cum omni mane veſci melle cœpiſſet *x*). Atque hæc ſunt in quorum maxime delectu verſari ſenem ſuaſerim, & ne in illo languore coctionis & excretionum corpus crudis onuſtum evadat, viresque, quarum tantillum reſtat, opprimantur, in victu conſtanter hanc præſcriptam legem ſequi, ſimplicia, mollia & tenuia quidem aliquid cito ſolubilis & prompte alentis gelatinæ eſt, parce, & indies parcius, ac citra repletionem, crebro tamen *y*) admittere.

§. IX.

t) *de affection. Op. Vol. II. p.* 193. *L.* 12.

u) *de ſanit. tuend. L. V. C.* 7. *Op. Cl. II. p.* 91. *E.* de pane ſenum agit *Cl. II. p.* 10. *A. p.* 92. *D.*

x) *diſſ. de ſenect. præſid.* §. 15.

y) Itali ſenibus ſexies de die aliquid offerunt, ne ob contractiora vaſa ab ingeſtis aſthmatici fiant. *Galenus* ter de die exiguum dare ſuadet *de ſanit. tuend. L.* 5. *C.* 4. *Op. Cl. II. p.* 90. *F. Cornarius* vicies de die tantillum ſumſit. Et ſumere vix poteſt ultima ſenectus ſine aliorum auxilio. Talem ſenem *Juvenalis* deſcribit:

Ipſe ad conſpectum cœnæ diducere rictum
Suetus hiat tantum ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore pleno volat mater.

§. IX.

A potu per multos annos familiari nolim arcere ſenes, ne ab ipſo quidem potu aquæ, ſi huic dudum adſueverint z). Quid enim ab aqua metuendum eſt, pura, levi, mediocriter frigida? quæ omni alimento commodum vehiculum præbet, vaſa rigida laxat, ſenilem pituitam diluit, & vias pro ſalutari excretione reſerat. Vt tamen quoddam coctioni momentum accedat, e re videtur tantillum vini miſcere aquæ, ne in torpidiori corpore ſubſiſtat, & circa loca, quibus moventis poteſtatis parum eſt, reſtagnet. Immo meracius huic ætati *a*) conducere credidit Homerus, qui ſenioribus ad *Achillem* legatis, ut *Ulyſſi*, meracius infundi manu *Patrocli* jubet. Plutarchus ideo οἰνοφίλους ſenes adpellat *b*), quippe frigidos, debiles & parum vegeto ſanguine ſpirituque præditos, quibus a vino adpetitus & coctio cibi, calor, proventus boni ſanguinis & ſpiritus vigorque functionum inſtaurantur. Ex *Platone* Galenus legem refert, quæ juniores ab omni vino per annos octodecim arcet, deinde uſum ejus ad annum triceſimum modice indulget, temperiem tamen ſenum frigidam & ſanguinis inopem vino refocillari, & hinc a Baccho datum ſenibus pro remedio eſſe, quo auſteri eorum mores remolleſcant, & oblivio ægritudinis animi ſopiat, ex eodem *Platone*

z) *Jo. Lockius*, qui diu vixit, hoc beneficium valetudinis & aciem inprimis oculorum ad finem vitæ integram ſoli aquæ ſe debuiſſe credidit. *Andr. Tiraquellus* ejusdem uſu corpore & animo diutiſſime valuit & XLV. liberos totidemque libros genuit.

a) *Iliad. IX. v.* 230. ubi *Achilles Patroclo* imperat: miſce meracius! ζωρότερον δὲ κέραιρε. Eſt vero ζωρὸν quaſi ζωηρὸν a copia ſpirituum vivacius. Fugiebant alioqui veteres vehementer ἀκρατοποσίαν, quam cum *Cleomenes*, Rex Lacedæmonum, inter Scythas agens horum exemplo ſequeretur, inſania correptum ſcribit ex teſtimonio veterum *Athenæus deipnoſ. L. X. C.* 7. *p. m.* 427. *C.* 203

b) L. I. *Sympoſ. VI. Op. T. II. p.* 625. *A.* ubi quæſtionem movet, cur ſenes gaudeant ἀκρατοτέρῳ τῷ ποτῷ; rationem aſſerti plenius evoluit *Melch. Sebizius de alim. facult. L. V. probl.* 127. *p.* 1491.

Platone docet *c.*) Hic ipſe autem *Plato* eſt, qui ad vini uſum paucos admiſit, legemque Carthaginenſium probavit, quæ ipſos principes, quo anno in imperio ſunt, vinum guſtare vetuit, pariterque gubernatores, judices, dum munere funguntur, omnesque alios de re gravi conſilia inituros, ipſos etiam conjuges in opere generationis *d*). At facilius nemo vino læditus & ebriatur, quam ſenex, in quo illud ſiccioris cerebri compagem alluit, cum in juvenili & humecto corpore perdat vim ſuam & plus reperiat meatuum, per quos difflatur. Siccum certe corpus, quale ſenum eſt, nec habet, quod ſatis diluat vinum, nec quod difflet. Ambigua igitur vini laus eſt, & dum ab aliis lac ſenum, ab aliis latro vocatur, dubites, cujus nominis juſtior ratio ſit. Tenue omnino & defecatum vinum ſub opportuno & moderato uſu ſenes alit & reficit, fortius & copioſum nervos tentat & mentem obnubilat. At miſera res eſt ſenex, cujus caput & ratio titubat *e*)! Probe monuit Melch. Sebizius, ob virium & caloris infirmitatem a ſenibus non ferri fortia & generoſa vina *f*). Quo enim potentiora hæc ſunt, eo minus debili ventriculo verum robur impertiunt, ſed in acorem ſuccos internos infeſto ſtimulo penetrantem & nervis maxime inimicum degenerant. Igitur nihil ſtultius eſſe putat Fr. Vallesius *g*), quam ſenibus, ut caleſcant, vinum

c) *de eo quod animi mores corp. temp. ſequ. C.* 10. *Op. Cl. I. p.* 320. *G. H.*

d) *ex Platone de legibus & more Carthaginenſium, ib. p.* 321. *A.*

e) ſenibus etiam ſanis & ſobriis jam ſunt mala cum ebriis communia, ut tremor artuum & titubatio linguæ, quæ ipſo vini uſu, niſi caute limitetur, admodum creſcunt. v. *Macrob. ſaturn. L. VII. C.* 6. *p. m.* 600. 602. *Athenæus* vim vini, qua ſenes tam cito inebriantur, tribuit parvo horum calori, quem major opprimit. *deipnoſ. L. X. p. m.* 429. *D.*

f) *de alim. facult. L. V. probl.* 139. *p.* 1505. *Galenus* quidem *L. V. de ſanit. tuend. C* 5. *Cl. II. p.* 90. *H.* 91. *A.* ubi de vino agit uti pueris alieniſſimo ita ſenibus aptiſſimo, non improbat calidiora, ut in Græcia Lesbium & Myſium, in Italia Falernum & Surretinum, probe tamen requirit vinum modicæ antiquitatis, tenue & ex pallido flavum, aqua mixta. Certe novella diu in ventre fluctuant, nec ſatis diſtribuuntur & lotium pellunt.

g) *philoſ. ſacr. C.* 29. *p. m.* 147. rejecta ſententia, vinum lac ſenum eſſe, non niſi dilutius iis permittit & in progreſſu mulſum vel aquam deco-

vinum præbere, quod quo meracius & calidius eſt, eo majori ventris & viſcerum actione eget, ut ſuperetur: unde oppreſſo magis naturali calore ærumnoſa & præceps ſenectus metuenda eſt. Spiritus vini, quem cum morſu panis toſti *Solenander* ſenibus commendat, etiam plus cautionis requirit. Ajunt calefacere, cruda ſubigere, flatus diſcutere, ſpiritus excitare & ſenſus quodammodo acuere; ſed hoc, ut *Crato* monet, in mediocritate auxilium eſt *h*). Ab incauto & crebro uſu majus quam a vino periculum impendet, dum corpus jam aridum plus ſiccat, ſolida contrahit ac nativum calorem mergit, cum vinum, quod vim humectantem pro freno caloris habet, tam præcipitis actionis non ſit. Multiplici obſervatione Felix Platerus ſibi conſtare teſtatur, ſenes ab immoderato uſu ſpirituoſorum, quos aquas vitæ vulgaris error adpellat, primum accendi, mox attonitos ſtupere, ac ſi opium bibiſſent, idque ad mortem *i*). Perverſe igitur ſenes agunt, qui ſub continua imbecilli ventriculi querela fere ſemper a paſtu, quin & inter jejunia, hauriunt iſthæc, ſub infuſis aromaticis jucundiora, & ægerrime deinceps, titubante jam pede & tremente manu ab illis adſueti potus illecebris ſe retrahunt, omnibus potius aliis vitæ erroribus quam huic, quidquid malorum ingruit, tribuentes. Cereviſiam tamen probe coctam, fermentatam & defecatam inter ſeniles potus non excludimus, certior etiam in frumento quam uvis & frugibus alendi vis eſt, quæ fermentando evoluta ſenes reficit cum majori conſtantia. Caveant vero a recenti nimis, flatulenta & turbida, inprimis copioſa, quæ caput facile tentat, & temulentiam parit, illa, quæ a vino eſt, quippe citius exhalante, durabiliorem. Potus ex melle, cui nunc vinum nupſit, nunc lac nunc aqua, nomine muſti *k*) vel meli-

ſtam. A quo judicio parum diſcrepat *Guido Patinus* apud *Guibertum*, qui homines, quo provectioris ætatis ſunt, eo dilutius bibere, & prope metam, nil niſi aquam, imperat.

h) *conſil.* 101.

i) *L. I. Obſ. p.* 16.

k) mulſum, potus ex melle & vino, græcis *οἰνόμελι* ſed non ante *Dioſcoridem* dictum fuit. *Ariſtæus* primus mel vino miſcuiſſe *Plinio* dicitur

melicrati *l*), non caret ſalubritate ſua, at in perpetuum uſum non trahitur, quod & de hydromelite & oxymelite valet. Qui vitia fermentati potus metuunt, ſæpe ptiſanas ſuas ſucco aliquo acidulo & aromate conditas ſubſtituunt. Potum omnem nocturnum cum Th. Bartholino *m*) ſenibus præter emulſa diſſuaſerim, velut de die frigidum nimis, qui ſenes tepido fotu perpetim egentes certius offendit. Extra tempus cibi malim pro potu infuſa calida commendare, quibus orientales populi ad vitam in extremum usque ſenium prorogandam & avertenda ſanitatis incommoda nihil propemodum ſalubrius agnoſcunt *n*). Raro hinc ob calidi potus beneficium inter Sinenſes & Iaponenſes calculoſi & arthritici ſenes occurrunt. Herbæ Theæ, in ſpecie meliori & odorata infuſis, quibus nullum fortaſſis aliud permeat melius & ventriculum minus

Hiſt. Nat. L. XIV. 4. Varium præparandi modum *Dioſcorides*, *Palladius* & *auctores Geoponic.* habent. *Macrobius* optime temperari recente melle & vetuſto vino credidit. *Saturn. VII.* 6. Olim pro hoc ſcopo miſcendi in maximo honore erat inter mella Atticum & Siculum, inter vina Maſſicum & Falernum. Vinum melitites erat ex auſtero vino & exiguo melle, vel muſto potius & ſale. Hodie nec vinum melitites nec muſtum in ſimili uſu eſt, & claréa ſucceſſit, ſeu vinum cum cinnamomo & ſaccharo, quod Hippocraticum vocant, vix tanti nominis tutela dignum.

l) melicratum erat olim lactis & mellis miſcela ſecundum *Homerum.* Ita loquitur in ſcholiis *Didymus* de μὲλικρήτῳ τῷ μετὰ γάλακτος μέλιτι. Et moris erat debiles, velut infantes non ſolo lacte ſed & melle nutrire, velut idem *Didymus* ex antiquis Cretenſium hiſtoriis commemorat, *Amaltheam & Meliſſam* ipſum puerum *Jovem* caprino lacte & melle nutriviſſe. v. *Lactant. de falſ. relig. L. I. C.* 22. At jam ſupra de melle dictum, quo in frigido corpore nihil magis expetendum, in calido nil magis metuendum eſt, teſte *Galeno*, *meth. med. L.* 7. *C.* 7. *Op. Cl. VII. p.* 47. *A.*

m) ad ſenes maxime hanc noxam reſtrinxit, ob turbatam ventriculi coctionem. *Act. Hafn. Vol. II. O.* 105. *p. m.* 262. ubi illuſtrat, quæ *Jo. Lud. Hannemann* de ſocero ſuo ſcripſerat, qui ex nocturno potu aſciticus periit. Et jam *Valeſcus de Taranta* iis, qui bibunt noctu & poſt ſomnum, aquam intercutem vel præmaturam mortem præſagivit, in philon. pharmac. *L. III. C.* 8. *p.* 311.

n) *Nic. Tulpii Obſ. L. IV.* §. 60.

nus gravat, meritam laudem & nullius adhuc luculentæ culpæ inter tot ævi noſtri experimenta ream haud detraho; nec tamen pauperibus inquilinarum plantarum infuſa, ut veronicæ, meliſſæ, betonicæ, hederæ terreſtris, millefolii aliarumque, quibus lenis ſtimulus a ligno aloes vel ſaſſafras, cortice citri & aurantiorum, ſeminibus aniſi & fœniculi non male jungitur, multo inferiorem ſalubritatis gradum promittunt. *Anton Fauſtus Baneſius o)* potum Coffee ſenibus præſcribit, quippe cruda in homminibus exigui exercitii abſumentum, cui decrepitus aliquis bonam valetudinem ſuam & longam vitam adſcripſerit. Potui Chocolatæ *Th. Gage* integram & ſtabilem valetudinem tuliſt acceptam, licet quotidie quater, ſique majores ſubeundi labores eſſent, quinquies biberit, languidior ſemper, quoties id negligeret. Vis nutriens & demulcens tabidis & emaciatis congruere videtur, ob difficilem tamen in illa copia tenacium & glutinoſarum partium coctionem, diſtributionemque & hinc metuendam obſtructionem tanto plus gravat otioſos, languentes & ſenes, quanto cum majori virium conſtantia exercitatos alit. Nec tamen ſub liquidiori forma & pauco aromate modicum ſenibus uſum intercipio.

§. X.

Corpus ſenile an crebro exercendum ſit, & qua ratione? plus habet ambiguitatis. Neque hic quietem ex toto poſtulamus, neque exercitium, quod vires ægre reparandas exhaurit. Igitur nec plena deſidia ſenibus ſuadenda eſt, nec motus, niſi paruus, brevis, lentus & unice circa conſueta, domi hieme, ſub dio æſtate. Nunquam declinet a modico, nunquam membra nimis agitet, nunquam protrahatur diutius & ad laſſitudinem. Abſint palæſtræ, luctæ, tubæ & alia, ad quæ nemo medicus temere invitabit, nemo languentium ſenum ob membra tam rigida, nec niſi exiguis motibus amplius idonea, invitanti auſcultabit. Fru-

o) *Baneſius*, cui proprie nomen fuit *Naironi*, ſcripſit inter primos A. 1670 *de ſaluberrima potione Cahue ſ. Cafe.* Merito deinceps cenſura limitavit laudem. Vim nervis & nutritioni inimicam *Th. Williſius* tribuit.

Fruſtra hic inculcant, exercitium ſuperflua eliminare, potior cura eſt, ut hæc non ingerat ſenex, plus in momento expulſionis periculi eſt. Tutius in plerisque ſenibus frictio ſubſtituitur, quæ liberaliter adminiſtrata, vel manu vel linteis vel etiam oleo, calefacit modice, vitale robur leniter excitat, coctionem juvat, alimentum vegetius diſtribuit. Teſtatur Galenus, adhibito frictu ſe infra breve tempus ἀτροφοῦντας carne repleviſſe, idque magis frigido & emaciato ſenum corpori prodeſſe concludit *p*). Neque vero fiat frictio in parte imbecilla ſenum & laborante, ſed ſana: neque in periodico dolore, ſed aliquot horis ante ejus ingreſſum. Sic enim verius confirmantur partes, & novis *q*) defluxionum injuriis plus renituntur. Si virium parum eſt, exigua & crebra frictio, ſi plus, rara & multa congruit. Ubivis a tuta frictus motusque menſura incipiendum eſt, & quæ ſequuntur, probe ſunt gradu ſalubritatis ſuæ vel noxæ æſtimanda, cum definire in anteceſſum, quis præciſe gradus in varia corporis ſenilis conditione locum habeat, nimium ſibi arrogantis medici ſit. Imbecilliores geſtatio potius quam ambulatio, valentiores utraque juvat. Ita frictus ſenex mane oleo, deinde placide ante paſtum obambulet vel geſtetur, vel etiam poſt coctionem ingeſtorum peractam, ſemper autem infra laſſitudinem. Notandum eſt, quidquid laborum motuumque vires juvenum fulcit, non niſi in magno moderamine ſenibus prodeſſe. Plus attentionis ipſæ partes corporis præ reliquis movendæ exigunt, in quo copiam ſalubrium monitorum ipſe jam Galenus ſuggreſſit *r*). Nunquam ſenes ſe exerceant, etiam inter dictas cautiones, niſi in partibus, quæ id ferunt facilius, & per quas ad reliquas etiam, quæ minus ferunt, redundare commodum placidiori tranſitu poſſit. Alterum monitum huic proximum eſt, ne fatigentur ſenes. Nam adſueti motus,

p) *de ſanit. tuend. L. V. C.* 3. *Op. Cl. II. p.* 89. *F.*

q) *ib. p.* 90. *E.* bene monet, quod mane oleo injungendus & fricandus ſenex ſit, non abſolvere momentum ſalubritatis, ſed plus in eo ſitum eſſe, ut ſcias, quomodo? Durior enim frictio laſſitudinem parit, mollior & brevior eſt inefficax. *ib. C.* 4. *E.*

r) *ib. p.* 90. *A. B.*

tus, etiam ſi non adeo parvi, aliquando delectant ſenes, non fatigant. Tertium eſt, ut ratio occurrentium in corpore vitiorum habeatur; quale caput ſit ac collum? quis thorax, quæ ſpina? quæ coxæ & femora? qui humeri & manus? iis, qui vertigine laborant vel ſenſuum imbecillitate, nocebit inclinato capite vel dorſo exerceri, vel etiam humo volutari: utiliora iisdem ſunt, quæ per crura geruntur. Hæc vero, quibus ſenibus graciliora ſunt & debiliora, quieſcere ſatius eſt, quod ſpecie levior eorum uſus jam ſenes offendat. Si circa thoracem hæret vitium, inferiora, ſi circa veſicam & renes, ſuperiora, ſi in medio, utraque exercenda ſunt, pro gradu ætatis & virium. Soli ſenes, inquit GALENUS, partibus infirmis exerceri non debent; at quo quis a ſenio remotior, tanto etiam magis pars infirma exercenda eſt. Magnum in his pono juſtæ cautionis præſidium *s*).

§. XI.

Senex fere impos tam ad mutanda ea, quæ ingeruntur, quam ad expellenda, quæ corrumpuntur, cruditatibus ex utraque ratione collectis fit obnoxius. Sputa craſſa accumulat, pectore angitur, male perſpirat cutis, lotium circa renes ſubſiſtit, aluus ſupprimitur, quæ omnia ex languore virium expellentium oriuntur. Igitur corpus ſenile, crudis tam facile onuſtum, non minori beneficio excretionum quam coctionis indiget. Victu ratione materiæ & quantitatis ad juſtam legem revocato & firmatis coctionum adminiculis, quorum capax corpus eſt, de nulla re cogitandum ſolertius erit, quam de vigore & integritate ſolitæ per conſuetas vias excretionis. An igitur emeticis, purgantibus aliisve, quæ evacuant, pugnare ſine metu poſſumus *t*)? Quidquid hujus præſidii eſt, magno virium, quibus ſollicitiſſime parcere oportet, impendio quæri non debet. Abſint emetica, quæ corpus tam debile concutiunt nimis, tam aridum plus exhauriunt, nec tamen in-

s) *ib. p.* 90. *B.* & 93. *A.* ubi duo ſalutaria monita conjungit 1) feriari in ſene partes infirmas 2) exerceri reliquas modice in conſueto opere.

t) *aphoriſm. VII.* 41.

inertiam a ſpirituum penuria natam corrigere poſſunt. Per ſe ægre vomunt ſenes ſub fibrarum tam parum flexilium actione, longe ægrius, creſcente ſimul capitis & pectoris debilitate. In limine vegetæ ſenectutis haud abnuo talia tentari, ſi juſta ratio invitat: at in progreſſu juſtior ſemper eſt, ab omni remedio violento abſtinere. Nec purgantia niſi cautiſſime ſenibus permittit *Simon Pauli*, & vix blandiora ſatis tuta exiſtimat. Singultum certe, purgatis nimis ſenibus, quos ὑπερκαθαιρομένους HIPPOCRATES vocat, ſupervenientem damnant ejus oracula. Fortioribus omnino locus non eſt, & haud quaquam, inquit GALENUS *u*), aloen ſenibus ſuaſerim. Ubi ſimul rite monet, quo plus & fortius vacuantur, eo majori deinceps cum damno ſequentibus diebus aluum adſtringi. Nihil vero eſt, quod de mitioribus metuamus, in luculenta illa neceſſitate cruditates primarum viarum, cum vomitu non liceat, per aluum tempeſtive eliminandi. Placet præceptum G. CHEYNÆI, qui omnes, quotquot vegeti ſenii deſiderio ducuntur, legem ſibi figere vult, tertio aut quarto quovis die a carnibus abſtinendi, vel aliquo utendi cathartico *x*). In quam fere ſententiam præivit FR. BACO *de Verulamio*, qui nihil magis ad ſanitatem vel longam vitam conducere cenſuit, quam crebras & domeſticas purgationes *y*). Suppetunt noſtro ævo multa ex ſalibus neutris, mannatis & rhabarbarinis, quorum partim lenitas in ſolvendo & lubricando, partim vis tonica omnem de ſtrage virium ſuſpicionem tollit. Cum crebrior olim draſticorum purgantium uſus fuerit, mirum non eſt, GALENUM *z*) quædam tantum in victu ſuadere ſenibus, quibus vis ſit molliendi aluum, ut oleum ante cibum ſumtum, vel ipſa olera ex oleo, æſtate

u) *Galen. de ſanit. tuend. L. V. C.* 5. ubi de iis ex inſtituto egit, quibus uti ſenes ad alvum ducendam debent.

x) *de infirmior. ſanit. tuend. C. II.* §. 13. *p. m.* 56.

y) *hiſt. vit. & mort. X.* 3. *Op. p. m.* 555. Fidenter dicimus, inquit, purgationes repetitas & familiares longe magis ad diuturnitatem vitæ facere, quam exercitia & ſudores. Monitum addit, ante cibum ſumtas deſiccare minus, & ventriculum minime turbare.

z) *l. c. Op. Cl. II. p.* 92. *F.*

æſtate & autumno ficus ac pruna, hyeme caricas & pruna Damaſcena vel Hiſpana elixa, & cum mulſo, in quo plurimum mellis ſit, macerata. Si triduo ſilet aluus, non vult ad alia eos confugere, quam herbam mercurialem, marinam braſſicam & cnicum in ptiſana, vel & reſinam terebinthi, quæ ſoluit aluum & abſtergit citra noxam. Olivas quoque ex muria commendat, & in omnibus varietatem aliquam, ne Natura adſueſcat. HERM. BOERHAAVE pro excretione craſſi tuto in ſenibus juvanda crocum maxime, ſalia & gummata, quod fibras excitent & feculenta ſolvant, præſcribit *a*). Enematum etiam blandior vis eſt aluum molliendi, modo acria nulla iniiciantur, ſed decocta farinoſa cum oleo melle & nitro, quæ lubricant, & ipſas aridiores abdominalium viſcerum receſſus tenui & blando rore conſpergunt, non dicam de vi aliqua alendi ſub prudenti uſu per has vias redundante, ne illud *Helmontii* aures impleat, intolerandæ ſtupiditatis eſſe, qui ita ſentiunt *b*). Renum vias ſucculenta virtus plantarum, radicum, olerum, fructuum pulſo lotio abſtergit, quo inprimis ſerum lactis & lac ebutyratum referimus. GALENUS in hunc ſcopum ſenibus apium, mel & vinum commendat *c*). Mellis quanta hic vis ſit, ſuperius ex HIPPOCRATIS teſtimonio eluxit. Sudores extorquendi ſenibus non ſunt, halitus cutaneos, quantum opus eſt, ſuſtentant infuſa calida in corpore ab externi frigoris cauſſis præmunito, vel ſubinde in aëre calido & ſereno, ſi licet, obambulante. Verum ut egerenda ingeſtis metienda ſunt, ita in ſummo ſenio, quo parum ingeritur, non nimis de excretionibus ſolliciti ſimus. Per alias vias, quam quas Natura aperuit, nihil facile eliminandum eſt. Venæ ſectione vitalem laticem in tanta humorum viriumque inopia detrahere nunquam audebit, qui perditi reparandi ſpem omnem in illo coctionis torpore exulare cogitat, de qua re olim diſceptarunt *Horat. Augenius* & *Alex.* Maſ-

a) *inſtitut. med. aph.* 1061.

b) *de febr. C. VII.* 16. *Opuſc. med. inaudit. p. m.* 124. Plus in ipſo reperiunt lectores, quod ægre coquant & tolerent.

c) *l. c. Op. Cl. II. p.* 22. *E.*

Maſſaria. Scarificationi poteſt aliquando locus eſſe in ſtaſi extremorum ſenibus frequenti. Fonticulos excitare aſperum eſt, at diu geſtatos in ſene conſolidare & ſpiracula impuri occludere, periculo non vacat.

§. XII.

Senis, ut diu ſuperſit, tranquillum animum & perverſarum cupiditatum expertem requiro. Magnum ei opprobrium eſt, ſi intra tot annos potiri illo neglexit. Venerem ne crudus quidem ſenex cum tanto virium impendio tentabit. Monet eum ſua frigiditas, inquit Rich. Mead *d*), ne pro voluptate ingratum laborem trahat & fata ſua abrumpat. Turpius etiam & nocentius eſt, dum vis imaginationis ſcenam inſtruit, in venerem accendi. Quosdam vehemens animi motus ex mala conſuetudine crebro exſurgens non lædere ſemper videtur, quin ipſis potius vitæ languoribus mederi. At fidendum his non eſt, quæ aliquamdiu noxa caruerunt. Senſim impune non ferunt novo commotos impetu fluctus animi, qui certe plus diſſipant ſpirituum, quam regenerari in iſta virium imbecillitate poteſt. Velut a nervorum & ſpirituum moderata & æquabili actione ingens in reliquum corpus & omnes ejus functiones commodum redundat; ita ab ea vehementer turbata, turbat autem vehementius nihil quam motus animi, titubant & imis quaſi radicibus convelluntur ipſæ, quibus ſanitas nititur, columnæ *e*). Plus etiam lædunt adfectus animi lentiores, ut triſtitia & ſollicitudo, quo ſenectus ultro vergit. Ideo enim ſenes ut auſteri & moroſi deſcribuntur, qui ſedent moeſti, & ſilent meditabundi. Bene ſibi conſulunt, ſi cum juvenibus ſanis, quos cognationis, amoris & reverentiæ vinculum jun-

d) *de monit. & præcept. med. in Concluſ. de vitæ regim. p. m.* 150.

e) magnam vim animi in nervos & ſpiritus, inde in ipſum ſanguinem, illuſtrat ratio nervorum, qui arterias laqueorum inſtar circumplexi nunc vehementi concuſſu urgent ſanguinem, nunc ſtringunt & remorantur pro indole varia pathematum animi, quibus nunc languet nunc intenditur actio nervorum. v. *Halleri comment. in præl. ac. Boerh. Vol. III. ad* §. 573. *p.* 448.

jungit, multum alunt commercii. Longævos fuiſſe legimus *Georgiam*, *Pythagoram*, *Iſocratem* & famoſum inprimis grammaticum *Orbilium* ex crebro juvenum conſortio. *Marſilius Ficinus* pro re compertiſſima habet, ſenes, qui juvenum congreſſibus ſe miſcent ſæpius, ob recreatos inde ſpiritus novum vigorem ſuſcipere. Delectat hilaritas juvenum & agilitas, nubem animi diſſipant faceta eorum colloquia, & ſolatium omnino ac condimentum ſenilis vitæ eſt, liberos ſæpe ſibi & blande circumfuſos contueri, quos etiam effuſius lætos & alacres, quam fert gravitas ſenum, ipſum naturale reverentiæ frenum moderatur. Gaudent ſane ipſi ſenes juventutis ſuæ recordari, confabulari cum ſuis olim condiſcipulis, aureisque illis temporibus, quæ pueri exegerunt, præſentium ærumnas conferre, & loca primæ educationis ſæpe inſpicere, Ita olim *Veſpaſianus* minime ædes paternas licet humiles neglexit ob jucundam primæ ætatis memoriam, & vel aviæ ſcyphum ligneum cum labro argenteo in honore habuit *f*). Ut multæ conſolationum viæ ſunt, quæ levant animum & in ſenili ſquallore deliniunt; ita imago vel propriæ juventutis vel alienæ, inprimis liberorum, non eſt veræ & honeſtæ oblectationis, quam torpenti animo conciliare poteſt, expers *g*).

§. XIII.

Somno etiam ſub tepido ſtragulorum fotu rigidas & exſuccas ſenum fibras remolliendas eſſe, dubitat nemo. Hinc enim, modo placidus ſomnus ſit, vita ſenum adpellatur, coctioni & ſecretionibus favens, & ſub motu per vaſa æquabili cohibens nova diſpendia, reparans, quantum licet, perdita, laxans ſimul & humectans, quibus maxime beneficiis ſenex ſuſtentatur. Lavari enim

f) *L. II. C.* 12. conf. *Fr. Baco de Verulamio hiſt. nat. Cent. X.* §. 942. *Op. p. m.* 955.

g) *Suetonius in vita Veſpaſ. C.* 2. in ipſo eum principatu notat adſidue locum incunabulorum frequentaſſe, ne quid oculorum conſuetudini deperiret, aviæ etiam pocillo ſolemnibus & feſtis diebus uſum eſſe. *Grotius* de arca, in qua ex carcere evaſit, conſervanda cogitavit.

enim, edere pauxillum, dormire, exemplum ſenis Homerici dictat *h*):

Ut lavit ſumſitque cibum: dat membra ſopori.

Longas vigilias deprædationem vitalem, in nullo minus quam ſene ferendam, vocat FR. BACO DE VERULAMIO, eamque ſomno cohiberi, animalium in locis recluſis per hiemem dormientium exemplo illuſtrat *i*). Sit hic ſomni eadem ratio ac cibi, quo cum exiguo frui ſenibus liceat, fruantur crebro, & ſimiliter ſomno, qui multum interruptus crebro repetendus eſt *k*). Et quid ultima ſenectus niſi perpetuus decubitus? ubi ſi non ſomnus, certe quies debilem & tenui filo pendentem vitam adhuc tuetur. In præſidium ſomni commendant lactucam coctam, ſyrupum e roſis ſiccis, crocum, meliſſam, violam, poma, offam panis ex vino malvatico & alia, TIMÆUS A GÜLDENKLEE lac amygdalarum cum papavere albo ex aqua lactucæ & anethi, cum pediluviis ex foliis ſalicis, anethi, chamœmeli, nymphææ. Opiata non conveniunt, quippe ſemper corpori ſicco & infirmo noxia. Quodſi vires ſibi adhuc conſtent, neque pectus anhelum ſit, urgente dolorum ſævitia, uti iis aliquando cum ſumma prudentia licebit.

§. XIV.

Externis remediis non poſtrema dignitas eſt. Vapores, fotus, inunctiones, balnea, clyſmata, HERM. BOERHAAVE egregia ariditatis ſenilis remedia, mortis remoras & longæ vitæ auxilia nuncupat *l*). *Beganus* Galius in libello, quo artem tradit bis juveneſcendi, quotidiana balnea tepida cum levi frictione & inunctione plurimum extollit. Molliunt ſine dubio, inprimis ſi herbæ hujus generis incoquuntur, vel ſi admixto lacte parantur, qualia in rigiditate ſolidorum & acrimonia ac ſpiſſitudine flui-

h) id ſæpe *Galenus* repetit, ut *de ſanit. tuend. L. V. C.* 12. *Op. Cl. II.* p. 94. G.

i) *hiſt. vit. & mort. I.* 75. *Op. p. m.* 531.

k) conf. *G. Cheynæi de infirm. valet. tuend. C. III.* §. 7. *p. m.* 109.

l) *inſtit. medic.* §. 1059. & 1063.

fluidorum, certis ſenum vitiis, luculenter conveniunt *m*). Oleo lotas partes inungere, mollitiem partium & flexilitatem conſtantius tuetur, hinc in gymnaſiis, ne a magno motu præmature rigeſceret corpus, lavando ungendoque cautum fuit *n*). Multorum fomentorum: quæ externe admoventur, par ratio eſt, & major fortaſſis eorum, quæ ex animalium claſſe petuntur. Neque enim negligendus plane eſt gradus cognationis inter corpus, quod recipit fotum, & quod impertit. Vivos calentesque catellos abdomini impoſuiſſe frigido, languenti & flatibus inter tormina diſtento, profuit ſæpe *o*). Galenus boni habitus puellum ſeni accumbere

m) vocant tamen multi balnea ſenectam hominum, quod fortaſſis nomen merentur balnea calidiora, quæ ſiccant & debilitant, ſimulque frequentiora. Nam lavabantur quidam æſtivo die ſepties vel octis, ut *Commodus*, *Galienus*, *Gordianus* & alii, cœnantes ex parte in balneis. Abuſu horum *Titus Veſpaſianus* præmature fertur occubuiſſe. *Galenus* crebra balnea in altero ſtadio ſenectutis, non æque tertio, quo minus ſuſtinentur, convenire ait, & *Telephi* Grammatici exemplo comprobat, bis tantum per menſem hieme, quater æſtate, ter medio tempore loti, cum fere centum annorum eſſet. *Op. Cl. II. p.* 94. *G.* At & hoc multis nimium videbitur ex noſtri ævi moribus, a balneorum uſu magis alienis, quam par eſt.

n) Vix re alia quam oleo copioſius veteres uſi ſunt, in cibis, lucernis, auguriis & inprimis juvandæ valetudinis ſtudio. Primum officium erat, hoſpitum & convivarum pedes lavare & inungere, quod mox ita in luxum degeneravit, ut olea odorata, amaracina, irina & pretioſa exotica in unguentum pararent, cui ſe jam *Solon* oppoſuit, & ne viris liceret *μυϱοπωλεῖν*, lege prohibuit. Maximi uſus fuit in præcavendis morbis fibræ rigidæ a gymnaſticis exercitiis metuendis, immo & in reliqua ſanitatis cuſtodia. Apoſtolos legimus ægros oleo inunctos ſanandi facultatem ab ipſo Christo accepiſſe *Marc. XVI.* 13. Elegiſſe videtur oleum, cujus naturalem virtutem miraculoſa vi exaltavit, ut panis, cujus exigua quantitate tot hominum famem ſedavit, ſumta utrinque materia, quæ virium ad illum ſcopum utilium non prorſus nihil contineret. Diximus ſupra, quid præſidii ad longam vitam olim quæſitum ſit, intus a melle, extus ab oleo.

o) Ut nudo ventri viventes catuli indeſinenter accumbant, ſuadet *Th. Sydenham* iliacis, donec dolor & vomitus ceſſent. *Obſ. med. circa morb. ac. S. VI. C.* 4. *Op. p. m.* 77.

cumbere voluit, ita ut abdomen ejus contingeret *p*). Sine dubio fotus æque ſalutaris haud fuerit, ſi vel veſtium mole ſenem oneras, vel calidis linteis involuis, vel oleis inungis, vel ad focum collocas, vel vinum meracius propinas. In his nihil eſt, quod gradum fomenti æque temperatum & conſtantem promittit. Ex FRANC. VALLESII judicio *q*) non potuit DAVIDI, naturalis caloris, cum ſeneſceret, penuria laboranti ſalubrius a medicis conſilium ſuggeri, quam ut formoſa virguncula in ſinu ejus dormiret. Severus nimis cenſor morum eſt, qui immundi aliquid inter cineres illos metuit idque pudicitiæ legibus repugnare, ex ſuo pruritu colligit. De extrema ſenectute loquor, vegetior enim, ne illam de ſe ſuſpicionem moveat, in fomenti hujus delectu ſexus diſcrimen ſervet. In veſtium tutela, corpus ſenile contra frigoris cauſſas præmuniente non ſpernendum eſt tempeſtivi fotus præſidium *r*).

§. XV.

Suadere medicamenta non auſim, ſi ſolum ſenectutis onus gravat, haud morbi ejus ex anteacta vita comites. Probe ſcio, jactari remedia, quæ vitæ cauſſas tuentur, & in immenſum ſpatium, ſi hiſtriones artis audis, protrahunt. Talia ſunt gemmata, cedrina,

p) *Meth. med. L. VII. C.* 7. *Op. Cl. VII. p.* 47. *B.*

q) *de ſacr. phil. C.* 29. *p. m.* 144.

r) *H. Boerhaave inſtit. med.* §. 1051. nil ait plus defendere corpora contra vim cauſſarum externarum, quam ſi quis verno tempore tarde minuit hyberna veſtimenta, autumnali cito iterum auget. *Th. Sydenham* cenſuit, minus perire hominum peſte, gladio & fame ſimul, quam errore veſtium præmature poſitorum, corporumque, inprimis ſub exercitio, frigus admittentium. Hinc monuit familiares, ut non niſi uno ante ſolſtitium æſtivum menſe mutent veſtes. *Obſ. med. circa morb. ac S. I. C.* 4. *p.* 77. Id vero *G. Cheynæus* pro Germanorum præcepto habet, hyberna veſtimenta mature ſumere, ſero ponere, nec probat nimis, quod cœli adſueſcere injuriis oporteat, & noxas nimiæ perſpirationis cohibere, *l. c. C.* 7. §. 8. *p. m.* 215. De ſenibus intempeſtivum puto, id poſcere, ut vel cœli adſueſcant injuriis, niſi adſueverint dudum, vel metuere, ne perſpiratio, in iis manifeſte languens, difflet nimium.

cedrina, viperina, balſamica, bezoardica, & alia infinita, quibus credulitas toties decepta etiamnunc confidit, & vanæ ſpei immoritur. Pharmacum ἀϑανασίας, quod veteres jam Aegyptii teſte *Diodoro Siculo* vel ἀγηρασίας, quod alii jactarunt, vel barbara illa nomina primi entis ex metallis, foſſilibus, animalibus, vegetabilibus, ſolutionum radicalium, quinteſſentiarum, & quidquid monſtroſa imaginatio ſuggeſſit, quæ ſe & alios deludit, nolim tanquam manifeſte vanitatis rea attingere, miror, etiam inter eruditos eſſe, quos ſpes tam futilis faſcinat. Ambræ uſu vitam in immenſum extendi *Cardanus* ſibi & aliis perſuaſit. *Fr. Baco de Verulamio* pharmacopolam notat, qui uſu ambræ ad annum ætatis CLX. pervenit, nobilesque ideo in Barbaria, quibus pretioſa hæc medicina ſuppetit, longævos fieri ſubjungit, plebem, quæ emere non poſſit, brevioris vitæ eſſe *s*). Has cauſſarum fallacias viro de augmentis ſcientiarum egregie merito nollem excidiſſe, licet ex aliorum fide referat. At exciderunt quoque *G. W. Wedelio*, qui de ambra ſcribens, tenuem ejus ſubſtantiam congruere ſeri & ſanguinis ſubtiliori balſamo, hinc ſenum vires inſtaurare, & velut oleum flammam alit, ita vitalem luculam ab ambræ oleo ſuſtentari tradit. Olim judice Celso *t*) repertis remediis quæſita eſt ratio, ſi mutila, certe veritati nihil derogans. Hodie nondum repertis vel inter pauca & nova experimenta dubiis, hinc tenuem ſpem ſui tanquam per crepuſcula iniicientibus, fucus ſtatim rationis adſpergitur, fallax nimis ſalubritatis teſtis. Paulo plus in re tam gravi requiritur, quam inanis per campos ſimilitudinum luſus. Certe jactati tot remediorum theſauri parum promittunt, quorum etiam quo major actio eſt, eo jam minus a debili ſenum corpore ſuſtinetur. At in cauta & ſobria, cujus fontes ſuccincte indicavimus, vivendi ratione plus veri momenti eſt, & eorum exempla, qui ad longam facilemque ſenectutem obſervantia harum legum pervenerunt, debitam his reverentiam ſtabiliunt. Galenus, qui nec ſalubrem corporis ſtatum ab ortu accepit, nec vitam ab offendiculis liberam, ſed vigiliis & multis artis

s) *de vit. & mort. l.* 37. *p. m.* 528.
t) *de medic. præf. p. m.* 10.

artis operibus turbatam, id tamen commodi, quod diu & a morbis fere immunis vixerit, ab arte tuendæ ſanitatis ſe conſecutum eſſe teſtatur *u*). Non una quidem vitæ ſpecies in illo naturarum & conſuetudinum diſcrimine laudari temere poteſt, nec diffitemur, ſuis quemque legibus, ex proprii corporis fabrica emergentibus, maxime valere, idque diſcere ex perpetua & ſolerti attentione ad ea, quibus læditur vel juvatur, hinc alios ſenes ferre adhuc exercitia, alios conſtantiori quiete indigere, alios lavacris & inunctione mirifice juvari, alios commode ſatis iis carere. At ſunt tamen aliæ, & potiores etiam, quæ omnibus conveniunt, leges, quas ſequi oportet, ne ſenectutem, quam omnes adipiſci cupiunt, accuſent adepti. Neceſſarius eſt fotus caloris frigeſcenti jam corpori, leniſque & conſtans rigatio areſcenti. Verum non ſufficit, illud artis præceptum noſſe, contraria contrariis opponenda eſſe, ſed & ſerio cogitandum, quid & quantum in hoc vel illo gradu ſenii, nunc vegetioris nunc debilioris, ferant vires & ipſa, quæ tam ſero abroganda non eſt, poſtulet conſuetudo? Certe ab omni violento abſtinere ſenex debet, & ſummo uti moderamine actionum vitæ, quæ ſi intenduntur nimis vel elangueſcunt, ſequitur, ut, ibi juſto celerius ſolida obrigeſcant, hic, ut cruda accumulentur. Fricari ſæpe pro exercitio eſt, lavari & ungi mollitiem & flexilitatem fibrarum ad functiones tam neceſſariam diu tuetur. Crebro ante oculos ſit prudentiſſimorum ſenum ſolers vitæ ordo & inſignis inde redundans valetudinis fructus, ut olim *Antiochi Medici x*) & *Telephi* Grammatici recentiori ævo *Lud. Cornarii.* Non omni ex parte imitari licet; nam quæ aliis nocere poſſunt, ali-

u) *de ſanit. tuend. LIV. C. I. Op. Cl. II. p.* 88. *F.* & ſic alii multi. *Jac. Fabricius* genero *Simoni Pauli* vegetam ſoceri valetudinem admiranti bene reſpondit: *diæta ſenectutem alit, temperantia vitam protrahit, haud multum medicaminum.* Nec dubitat *Cl. Deodatus in valetudinario ſuo* adſeverare, ſolis diæteticis ad annos CXX. ſalubriter & integre perveniri. Plus ſibi confiſus olim *Aſclepiades*, ſi unquam ægrotaret, pro medico haberi noluit, & viſus eſt dictorum impleviſſe fidem, cum octogenarius de ſcala lapſus interiret

x) Egregium *Galenus* ſenilis valetudinis cuſtodem ſiſtit in *Antiocho Medico.* Is plus quam octoginta annorum quotidie ex domo ad forum, in

aliquando iis familiaria reddidit uſus, vel proprii corporis ſub quibusdam fabricæ ſuæ privilegiis immunitas. Illa tamen tantum non ad omnes pertinent, ut paſſim monui leni caloris fotu frigus arcere, molli ac tenui victu, quiete etiam ac ſomno, ariditatem & marcorem retardare, quove magis ſub creſcente ſenio vires deficiunt, eo ad majorem quietem ſe componere, & tenuius ſenſim ac parcius ingerere, nihil facile novi & inſoliti, nihil quoque eorum tentare, quæ noxæ rea non eſſe longus uſus confirmavit, niſi in juſto temperantiæ gradu. Si pietatem Theologus, juſtitiam Juris conſultus, ut ſumma vincula cum Deo & hominibus merito commendant, medicus temperantiam, quæ utraque vincula ſuſtentans mentem ſanam in corpore ſano tuetur, inculcare haud oſcitantius debet, & inter tot vitæ ſcopulos monere inprimis juvenes:

Venturæ memores jam nunc eſtote ſenectæ! y)

quo civium concilium convenerat, tria circiter ſtadia pedibus confecit, inde ægros in vicinis locis inviſit, ad remotiores vel ſella geſtatus vel vehiculo uſus. Domus ei conclave præbuit camino per hiemem calens, æſtate citra ignem puro & temperato aere gaudens, ubi dejecta prius alvo mane fricabatur. Hora diei tertia vel quarta cum melle attico plerumque cocto aliquid panis ſumſit, ad ſextam vel ſeptimam legens aliquid ſolus vel cum aliis tranſigens. Tum in publico balneo frictus, lotus & leviter, quantum ſeni convenit, exercitatus acceſſit ad prandium, in quo primum ſumſit, quæ alvum mollirent, deinde aliquid piſcium ſaxatilium vel pelagiorum. In cœna, quod probi ſucci eſſet, & non facile corrumperetur, ut far cum melle aut ex jure ſimplici, delegit. Sic ſenſibus integris membris & ad ſolita miniſteria idoneis ad extremum duravit. de ſanit. tuend. L. V. C. 4. Op. Cl. II. p. 90. F. G. Siſtit ibidem *Galenus Telephum* grammaticum provectioris ætatis & centum fere annorum, de cujus parciori lotione jam quædam attigit. Quibus vero diebus non lavabatur, iis circa tertiam horam unctus eſt cum exigua frictione, mox mel optimum crudum alicæ miſtum eſitavit, nil præterea pro jentaculo, pranſus hora ſeptima aut paulo citius, oleribus primum, dein piſcibus aut avibus ſumtis, veſpere panem ex vino κεκραμμένω guſtans. *Galenus* in eo maxime quippe ſeniori notat parciorem balnei uſum bis terve per menſem *v. ib. c.* 12. *p.* 94. *G.*

y) alio ſcopo *Naſo in arte am. III.* 59. Pauciſſimi certe ſunt, qui illam, ad quam temperantia in ſuis legibus cognita ducit, vitæ metam vere attingunt, & exclamare ſub placido diſceſſu poſſunt: *Vixi & quem dederat curſum Natura, peregi.*

DISSERTATIO
DE
CURA MAGISTRATUS CIRCA VALETUDINEM CIVIUM

PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 13. APRILIS 1758.

RESP.
JESAIA JUDA,
NIGRO-ULMAE FRANCO.

§. I.

Curis pii magiſtratus, cui alia quam civium ſalus non eſt legum ſuarum norma, ſanctum ſine dubio & inviolabile, tanquam divino inſtituto, obſequium debetur. Ingens beneficium eſt, tot improbis hominum in contraria ruentium deſideriis & erroribus frena iniici, ſingulos ab injuriis ſibi invicem inferendis arceri, omnes ad mutuum quendam officiorum conſenſum compelli, externæque ſecuritatis præſidia ſtabiliri. Quis ita neget, quæ ingentia ſunt divinæ providentiæ circa vitæ noſtræ opportunitates munera, per manus magiſtratus ad nos, derivari? Quin ipſis etiam animis & corporibus civium cura ſuperiorum non e longinquo conſulit, ibi fomenta pietatis publico Numinis cultu ſuſtentat, hic

hic adminucula ſanitatis ab externis offendiculis, in aere, victu aliisque rebus, quarum perpetuo commercio fruimur, obviis ſua auctoritate vindicat; adeoque cives pios, juſtos ſanosque, id eſt, omnis, quantum licet, felicitatis compotes reddere, certe ne quid latentis vitii ſub ſua indulgentia emergat, & in plures tanquam contagio quodam ſe diffundat, prohibere nititur, illæſa tamen, modo publicæ noxæ rea non ſit, civium libertate.

§. II.

Fieri enim cum non poſſit, vt vel ipſi parentes, quorum ſollicitudinem probus magiſtratus æmulatur, omnes ſuorum, licet paucorum numero & ſub oculis ſuis crebro verſantium nævos & errores cognoſcere, præcavere & emendare queant; certe adultus quilibet & rationis ſuæ compos in illa communi vivendi agendique regula, quam vitæ ſuæ rationibus congruentem ſub ipſis ſuperiorum auſpiciis ex inſtitutione plurimorum haurire & attento ad aliorum exempla animo perficere poteſt, merito in rebus agendis ſuo relinquitur arbitrio, ſique impingit pedem toties monitus, ſuo ſenſim, quos alieno poterat, vitæ ſcopulos cognoſcit & vitare diſcit periculo. Sibi tribuat culpam, qui diſcernere non didicit, *Apicii* an *Platonis* cœna rebus ſuis magis conveniat? Natura ſingulos ſub ſolerti inſtinctu bonis, quæ felicitatem ſuam fulciunt, potiundi, propriæ tutelæ commiſit, cui obſtaculum haud ponit magiſtratus, niſi in actione, cujus damnum ad plures redundat. Dum vero in cœmendis peregrinis mercibus, in pompa funebri, quæ tota olim patrimonia conſumſit, in veſtitu, in copia vaſorum aureorum & argenteorum aliisque multis modum ſubinde magiſtratus præſcripſit, non tom liberas manus quam nocentes cohibuit. Velut manifeſte prodigis, ne aliis exemplum præbeant, vel perdant familiam, vel quod propriæ rationis deliquium notat, prono pede in fortunarum ſuarum præcipitia ruant, ſapienti inſtituto ii adjunguntur, quorum oculus ad profuſa iſtorum impendia attendit eademque moderatur; ita in rebus, quæ ſanitatis columnas ſubruunt, laudanda etiam magis eſt magiſtratus ſeveritas, ſi efferueſcentis luxuriæ æſtum, ne alios nimis in transverſum rapiat, certis in multorum ſalutem finibus coërcet. Fortaſis hic li-

 mitem

mitem exceſſit veterum cenſorum rigor *a*), ex quorum inſtituto neceſſe erat apertis cives januis cœnare & læſæ in parvis ſobrietatis pœnam formidare. Tam moroſæ virtutis quis ſtare velit judicio? Ita vero ſumptuariæ Romanorum leges, quas *Cato* cibarias dixit, arctius injecerunt vinculum, quam liberi tunc homines tuliſſent, niſi adhuc memores, per aliquot ſecula majores ſuos ſolo farre & pulte victitaſſe. Horum intuitu exemplorum æquo tulerunt animo, cum lex *Orchia* numerum convivarum, *Aemilia* cibi genus & modum præſcriberet, *Fannia* aſſes centum in una cœna, licet ſolemniori, excedere vetaret, *Didia* etiam per univerſam Italiam pœnas ſine discrimine exigeret, non modo ab his, qui majori ſumtu cœnas inſtruxiſſent, ſed & iis, qui interfuiſſent *b*). In hæc facile conſenſit ævum a noſtra mollitie alienum, aqua pro vino uſum, neque hoc deinceps niſi indigena & cum miſcela aquæ, feminis vero ab omni ejus uſu excluſis *c*). Nec hodie deſunt leges, quæ in variis locis paulo aſperius reſtrin-gunt

a) Hæc ſeveræ diſciplinæ cuſtodia cenſoribus ſine provocatione commiſſa primo frugalitatis ævo ſtetit inconcuſſa ab A. R. C. 311. ad 667. creſcente deinceps luxu & fortuna populi vacillans & a *Clodio* tribuno plebis tantum non abolita ſiniſtrum maxime omen ſub *Auguſto* cepit, cum tribunal ad ingreſſum cenſorum, qui ultimi privatæ ſortis erant, corrueret. Nomen deinde ad *Decii* tempora, at haud priſca muneris fides ſuperfuit, cum plerique imperatores, qui & his curis ſe ingerebant, publici luxus frena laxarent.

b) *Ant. Gellius in noct. Attic. L. II. C.* 4. has leges varias deſcribit, inprimis *Fanniam*, quæ feſtis quibusdam diebus centenos, aliis decem diebus per menſem tricenos, reliquis denos aeris in cœnam impendi permiſit. Novæ deinceps leges ſemper aliquid de rigore ſua remiſerunt, ut *Licinia*, quæ ducenos aeris nuptiis indulſit, ceteris diebus tricenos, integro prorſus eorum uſu, quæ ex terra, vite vel arbore provenirent.

c) Crimen habitum eſt par læſæ pudicitiæ, ſi vinum bibiſſent, quo accendi libidinem lex *Romuli* in mulieres aſperior, cenſuit. Cum *Ignatius Metellus* uxorem peremiſſet, quæ vinum guſtaverat, non ſolum res illa accuſatore caruit, ſed & reprehenſore, unoquoque exiſtimante, optimo illam exemplo violatæ ſobrietatis pœnas pependiſſe. *Valer. Maxim. L. VI. C.* 3. *n.* 9. *p. m.* 558. confer. *Plinium in H. N. L. XIV. C.* 13. qui *Egnatium Mecennium* vocat, cædis a Romulo ipſo abſolutum. Nec feminis Maſſilienſibus & Mileſiis, vini uſum licuiſſe, ſcribit *Aelia-*

gunt in nuptiis vel aliis diebus, quibus gulæ litatur, ferculorum numerum. Novi, in celebri ciuitate non licere iſtis diebus plus quam unam, quæ aſſata continet, patinam exhibere. Ob quam rem moris eſt, in una quidem patina at prægrandi ingentem aſſarum carnium varietatem offerre, adeoque legem ſpecie integram iſta interpretandi vafritie deludere, juſtiorem certe futuram, ſi mitiori imperio libertatem circa varia per ſolum abuſum, quo nulla res vacat, aliquando noxia limitaret. Neque enim tunc adeo frequens eſſet, quod obiici paſſim ſolet, inventa lege inventam fraudem eſſe. Ipſe hinc *Tiberius* in tanta poteſtate ſua indecorum ratus attrectare, quod non obtineret, litteris tantum ad ſenatum ſcriptis queſtus eſt, tot hac in re a majoribus repertas leges, tot, quas divus etiam *Auguſtus* tuliſſet, illas quidem oblivione, has, quod flagitioſius, contemtu abolitas ſecuriorem luxum feciſſe *d*).

§. III.

Circa communia potiſſimum vitæ & ſanitatis præſidia, quæ Natura ſingulis ſine diſcrimine indulſit, ne vitium contrahant, longe

nus Hiſt. var. L. II. C. 38. imo nec Romæ nobilioribus viris ante annum ætatis XXXV. licuiſſe ſubjicit. Ceteris opprobrio fuit, meracum bibere, & barbare habita, qualis Scytharum erat, *ἀκρατοποσία*, cujus veteres etiam Germanos reos fuiſſe, haud temere dixerim. Citant verba *Taciti de mor. Germ. C.* 22. *conſultabant de rebus maximis inter pocula, quod & nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incaleſcat.* Ex quo ipſo tamen judicio primum illud concludo, menſuram potus, qui aperta reddidit & animoſa pectora, infra lineam ebrietatis fuiſſe. Deinde ne concludo quidem vinum eos bibiſſe, nedum meracius. Interior certe *Germania*, ſi forte quasdam Rheno propinquiores provincias excipere velis, vino caruit, quippe cui eodem *Tacito* teſte, potus fuit ex ordeo in quandam ſimilitudinem vini corrupto.

d) Graviter hæc verba *Tiberii* recenſet *Tacitus in Annal. III.* 54. *p. m.* 232. Ipſe *Tiberius* ut ſuo exemplo publicam parſimoniam juvaret, ſolemnibus cœnis pridiana ſæpe & ſemeſa adpoſuit. *Sueton. in vit. Tiber. C.* 34. *p. m.* 539. *Auguſtus* pariter ternis tantum ferculis cœnam, aut cum abundantiſſime, ſenis præbuit, nec ipſe ter amplius ſupra cœnam bibit. *Sueton. in vit. Aug. C.* 74. *p. m.* 395. & *C.* 77. *p.* 403. Sed ſpem exempli evertit diſpar ſubſequentis ævi ratio.

longe majori merito & inter vota omnium oculus magiſtratus vigilat, medicorumque de ea re indiciis eo auſcultat benignius, quod ſua æque in his quam omnium civium res agitur, ſua & illorum, ſi neglexerint, incolumitas periclitatur. Primum hic locum Aer occupat, quo carere nemo per momentum poteſt, cum victu & aliis longe poſſit diutius. Pertinet ad res illas, quas ob ingens ſalubritatis momentum Natura extra rapinæ periculum, imo extra invidiam, quæ alioquin circa majora bona maxime exæſtuat, adeoque tutiſſimo loco poſuit, quam intercipere nemo, nulla onerate vectigalium injuria poſſit. Si olim *Peſcennius Niger Palæſtinis* levamen onerum & ſeverioris cenſuræ rogantibus paulo reſpondit acrius: *imo aërem veſtrum cenſere vellem e)*; iisdem tamen videtur verbis agnoviſſe, ſe, quod velit, in poteſtate ſua non habere. Occurrit in veterum ſcriptis vectigal ἀερικὸν, at non inepte *Procopius* cenſuit, tale intelligi, quod ſupra ſolitum canonem quaſi ex aëre exigitur *f*). Certe omni magiſtratui ad ſenſum communis indigentiæ attento convenit, ut non ſolum non oneret, ſed & expediat magis & adverſus ingruentem corruptelam tueatur aërem, qui cœleſti munere & perenni rivo ſingulis, quo ſe cunque vertunt, de hoc tam neceſſario vitæ pabulo, ne ſollicitis quidem ultro circum-

e) *Ael. Spartian. in vita Peſcenni C. 7. p. m.* 377. Ad quæ verba *Cl. Salmaſius p. m.* 151. *Tertullianum* citat, qui vendi a publicanis & cœli & terræ & maris tranſitus queritur. Quæ tamen verba ſine ambiguitate non ſunt. Clarius *Caſaubonus*, in notis ad *Spartianum* avaritiæ principum tribuit, quod tributum illud ἀερικὸν non *Judæis* ſolum, ſed & in univerſum omnibus impoſitum ſit. Verum agnoſcimus nomen tributi, nondum rem ipſam. Res fere ſe habet ut cum fontibus olim vinoſis dictis, qualem in *Paphlagonia Vitruvius* notat *L.* 8. *C.* 3. Talem fontem quis ſenſu proprio accipit? merito de vi inebriandi, quam inſtar vini habere creditur, intelligunt interpretes. Sic tributum ex capite novo & inſolito dixeris quaſi ex aere exactum.

f) Confer. *Jac. Cuiac. Obſ. LX. c. 7. p. m.* 217. ubi occaſione vectigalis ex umbra capti meminit quoque illius ex aere, ſed titubanter. Forte, inquit, exactum ex aere eſt, videturque *Cedrinus* id ævo *Michaelis Paphlag.* adſcribere. Mox ſubjicit verba *Procopii* in *anecdotis*, nec iisdem repugnat.

cumfunditur. Hauſtus pulmonibus, deglutitus cum cibo & potu ipſisque venulis in cute hiantibus reſorptus velut non una virtute, ſi purus, ita non vna noxa, ſi contaminatus fuerit, vitalem humorum noſtrorum laticem imbuit. Quæ non inde copia morborum emergit, epidemicorum, peſtilentialium, contagioſorum? quæ non ſtrages civium ex hoc fonte oritur? quem obſtruere nequit ſola medici manus, niſi ad delendam noxam variis officiis, ſuperiorum lege, conſpirent cives, publicique ex ærario ſumtus levent onera, & multis, quæ occurrunt, difficultatibus tempeſtive proſpiciant.

§. IV.

Non eſt hujus loci, niſi ſuccincte indicare, quid ſit in aere nobis tam amicum & ſalutare? quid vi illa privet, & an aeri iſtis jam vitiis laboranti aditus ad interiora pateat? Propria aeris natura in fluiditate, gravitate & elaſticitate *g*) triplex habet agendi momentum, omnis in ſe corruptelæ expers. Miſcela aliarum rerum ſemper aliquid novi beneficii aeri impertit, ſive elementum igneum, a cujus vario gradu caloris & frigoris viciſſitudines

(*g* *Fluiditas* leviſſimo motui auſcultans, nullo gelu coiens, nullo ſub pondere ſolideſcens permeat pleraque corpora, miſcet, ſolvit, latenteſque vires excitat. *Gravitas* pro gradu raritatis & denſitatis, altitudinis & varietatis tempeſtatum & meteororum, alia quidem perpetuo eſt, ſed ſub illo tantum diſcrimine, ut ſummum ejus pondus æquivaleat mercurio in barometro adſcendenti ad $30\frac{1}{2}$, minimum ad $27\frac{1}{2}$ pollices. *Elaſticitas* in tantum ſpatium, quantum a pondere comprimente amiſit, ſe expandere rurſus nititur, adeoque vi maxima poſt maximam compreſſionem, lege ceterum immutabili, licet multis annis incluſus aer & compreſſus hæreat. Edocemur experimentis *Towaleyanis* & aliis, aerem noſtrum in ſpatium 16*ies* minus vere redigi & in ſpatium 32*ies* majus ſe æquabili diſtributione vere expandere. Nec dubium eſt pro novis ponderum incrementis creſcere arctiora aeris ſpatia, quamvis inter capta experimenta modus non facile exiſtat, quo aer communis in ſpatium 64*ies* minus reduci queat, ob enorme pondus argenti vivi, ad quod tubus firmus 203. pollicum requiritur, in quo ſtatu aer futurus ſit ut 1. ad 13. conf. *H. Boerhaave Elem. Chem. T. I. P. II. p.* 447. *ad finem.* De aëre in minimis non elaſtico *v. not. b*) & *c*).

dines pendent, ſive aqueum, quo humidioris vel ſiccioris aeris temperiem æſtimamus, ſive denique tot halituum vegetabilium, animalium & mineralium, totque ſeminum varietatem ſpectes. Hæc omnia mixta invicem penitius & quaſi in communi foco digeſta ac elaborata ſecundum propitias naturæ leges nunc telluris ſinum nova fœcunditate impraegnant, nunc inprimis, quidquid animalium corporum eſt, vitali adflatu reficiunt. Inter hæc ſalubrior aer non eſt, quam qui craſſioribus exhalationibus defecatus, magnæ & ſubitæ mutationis expers, gravis, ſerenus, ſiccus & temperate calidus a purioribus locis ſpirat, lenique vento agitatur. Ex quo ut oppoſiti aeris indoles elucet, ita ſane pro ratione tempeſtatum anni, ſitus corporum cœleſtium, ſoli exhalantis, maris, fluminum, paludum, montium, ventorum ingens naſcitur virium, quæ in corpus noſtrum agunt, varietas, ut nequeat ſine exactioris chorographiæ ſubſidio aeris in uno loco ſalubrius, in alio nocentius, ſpirantis indoles cognoſci, quamvis & tunc ambigua in multis & hiulca cognitio ſit. Quæ vitia inde emergunt, vel ejusmodi ſunt, ut pro ratione corporis recipientis nunc hos vel illos ſigillatim pro vitæ ſuæ rationibus offendant, quibus conſulere medicus non interpellatis ſuperiorum negotiis poteſt, vel ut gravi ſtatim injuria multos nullius in vita erroris ſibi conſcios invadant, ubi vel ipſe magiſtratus malo ſerpenti iis, quæ in ſua poteſtate ſunt, externis occurrere præſidiis, & medicorum fulcire operas ultro contendit. Neque enim aeri ſub illis nocendi viribus præcluſus eſt ad interiora acceſſus. Quidquid enim contra hunc, ſive per bronchia pulmonum, ſive vias cutaneas, ſive ex primis viis in vaſa lactea obiiciunt, nititur maxime experimentis illis, quod ex nulla corporis animalis membrana ſub ipſa exhauſta antlia aer emergat, nec ſub eadem tenerioris fabricæ pulmo aere inflatus detumeſcat. Cui aeris non permeantis argumento, cum vera ejus & perpetua in omnibus ſolidis noſtris fluidisque & ipſo calculo intro genito præſentia ad oculum facile demonſtranda repugnet, intellectu difficile non eſt, rem eo redire, ut aer per ſe dictis viis excluſus, in aqua vero aliisque liquidis ſolutus diviſusque tranſeat ſimul, ubi aqua vel alia liquida, in quorum ſinu hæſit, tranſeunt, imo conſtanter in iisdem lateat nec

evolui

evolui iterum naturali caloris noſtri gradu poſſit *h*), evoluatur tamen, ſi vel antlia vim preſſionis levat, vel calor ultra gradum naturalem intenditur, vel vires efferueſcentiæ, fermentationis & putredinis vincula partium deſtruunt. Illis vnice ex cauſſis evolutus iterum & collectus aer elaſtica ſua virtute, ſine qua latuit, agere iterum incipit. Fruſtra vero aeri intra noſtra fluida diviſis elementis adhuc hærenti vim illam elaſticam cum J. A. BORELLO *i*) tribuunt, & coctionum inde vires & vitales in ſanguine oſcillationes derivant, ſub quibus partes humorum in concretionem proprio niſu tendentes dimoveri invicem, & fluiditatem in vitæ uſus tam neceſſariam oſcillando conſervari arbitrantur. Non ſatis perpendunt, quod ſub illis momentis elaſticæ virtutis, nunc tantum ſpatium, nunc tantillum, pro vario caloris gradu occupantis functionum tantum non omnium periclitetur integritas. Quis neſcit, perire animal quaſi fulgure ictum, cujus venis pauxillum externi & elaſtici aeris infuſum ſit *k*)? Eſt elater ab unitis ejus compreſſisque elementis intra limites poteſtatis ſe invicem repellendi. A quo mutuo preſſu repulſuque partium ipſe IS. NEWTONUS vim elaſticam deduxit *l*).

§. V.

h) *Herm. Boerhaave in Elem. Chem. T. I. P. II. p.* 525. 526. ubi docet, in chylo, lacte, ſanguine. ſero lactis, ſaliva, bile, ſucco pancreatico, lotio hærere aerem naturaliter, addit ita diviſum eſſe, ut in hac forma non agere tanquam aer, neque ex liquidis illis ſe expedire poſſit ad gradum caloris 92, qui apud nos ſani ſanguinis maximus eſt. Si contingit, ut præternaturali calore evolutus & forma bullularum collectus intra vaſa hæreat, redit in unione partium antea ſeparatarum elater, ſed funeſto eventu. Ita *Frid. Ruyſchius* in ſubita mulieris morte cor reperit flatu aereo turgidum. v. *ad Ep. probl. XVI. Reſp. p.* 9.

i) *De motu animal. P. II. C.* 8. *prop.* 115. *p. m.* 139.

k) *Jo. Jac. Harderus in apiario ſuo poſt Obſ.* 25. *p.* 114. aerem ſiphonis ope in venas jugulares canis ſine vi injecit, & poſt brevem ejulatum reſpirare deſiit animal, venæ turgidæ, ſpumoſæ in ſanguine bullulæ, cor diſtentum adparuerunt.

l) *In philoſ. nat. princip. L. II. Prog. XXIII. theorem.* 18. *p. m.* 270. in fluido elaſtico vires centrifugas particularum ponit reciproce proportionatas diſtantiis centrorum ſuorum. Similiter *Jac. Hermannus* in *Phoronom. L. II. S. I. O.* 7. *p. m.* 189. elaſticitatem ait conſiſtere in

§. V.

Conditio & opportunitas vitæ pleroſque ad certa loca, quicunque demum ibidem aër ſpirat, vinculo vix diſſolubili adſtringit. De ſede fortunarum plus cogitant, quam præſidiis valetudinis, illa ut plurimum ætate, qua rebus ſuis proſpicere incipiunt, nondum titubantis. Parum moventur, ſi in variis provinciis validos longævosque majori & conſtantiori numero reperiri audiunt, modo ſub oculis ſuis non ſit ſæviens luculenta civium ſtrage lues, reliqua mala lente & tacite germinantia tanquam longe a ſe remota negligunt. Neque diffiteor, patrium aerem, licet aliquando nocentiorem, ferri ex conſuetudine, &, ut Plinius ait *m)*, adſuetos etiam in peſtilentibus durare: unde coeli ſpecie ſalubrioris mutatio interdum lædit. Quo referri ſolet noſtologia Helvetorum montanum aerem ſuum cum illo planiorum regionum *n)* permutantium, quorum moleſtus languentis valetudinis ſenſus non niſi reditu in patriam tollitur; quemadmodum ex contraria ratione juvat relinquere coelum, quod genuit morbum & ſuſtentat *o)*.

Vis

niſibus illis, quibus aereæ moleculæ a ſe invicem recedere conantur. Hinc *Herm. Boerhaave in Elem. Chem. T. I. P. II. p.* 454. & 524. *non eſt*, inquit, *elater aeris in uno ejus elemento, ſed pluribus unitis.* Patet, cur aer aquoſis vaporibus refertus ſit minus elaſticus? quippe diviſus nimis & ſolutus, pariterque cur in aere incluſo pereat animal? ſub cujus halitu aer non renovatus elaſticitatem in reſpiratione tam neceſſariam ſenſim perdit. In qua re egregia ſunt experimenta *Jo. Veratti* contra *Jac. Piſtorinum in Comment. Acad. Bonon. T. II. P. I. p.* 34. *P. II. p.* 267.

m) Hiſt. Natur. L. XVIII. C. 5. *ſalubritas loci*, inquit, *non ſemper incolarum colore detegitur, quia adſueti etiam in peſtilentialibus durant.*

n) Videtur mixta ex contrariis quaſi locis atmoſphæra ejusmodi eſſe, cui facilius & brevi peregrinantes adſueſcunt. Quo nomine *I. M. Lanciſius Romam* laudat, quæ nitidos colles, amplas convalles & lætam planitiem utili temperamento habet: *de nativ. Rom. coel. qualit. C. II.* 2. *p. m.* 3.

o) Celſus L. II. C. I. p. m. 43. *peſſimum*, inquit, *ægro cœlum eſt, quod ægrum fecit, adeo, ut in id quoque genus, quod natura pejus eſt, in hoc ſtatu ſalubris mutatio ſit.*

Vis conſuetudinis in levioribus vitiis facile agnoſcitur, majoribus vitæ injuriis non niſi pauciſſimos conciliat, cum plurimi ſub iisdem experimentis occumbant, adeoque fas ſit, indigentiæ humanæ remediis conſtantioris ſalubritatis ſubvenire. Licebit utilia & ſalubria ex præceptis *Atilii Reguli* conjungere, qui nec fœcundiſſimis locis inſalubrem agrum parare nec effœtis ſaluberrimum ſuadet *p*). Raro conſilia, ut par erat, ſtruendarum ſalubri loco ædium ineuntur, nedum urbium, quæ ſi loca occupant a maribus, paludibus, & montibus remotiora, nec in vallibus umbroſis ſita, unde ex una parte ſalſi aut putres halitus haud inquinant, ex altera retenti & lentius agitati aeris noxa non emergit, fortuita tamen illa res eſt, quæ raro civibus ad id attentis & bona ſua agnoſcentibus contingit. Si ſecus eſt, non ideo de transferendis penatibus cogitant, vel ipſa urbe, ut *Sclapini* olim, qui ob viciniam lacus graviſſimis quotannis morbis correpti translatis quater mille pedum diſtantia a veteri urbe ſedibus, mox meliori valetudine & a priſtinis offenſis libera frui coeperunt *q*). Etſi vero nec propria omnibus domicilia ſtruere licet & *πρὸς τὰ κτήματα καὶ πρὸς ὑγιείαν καὶ πρὸς εὐημερίαν* ſuadente ARISTOTELE *r*) accommodare; cuilibet tamen in aliena etiam & conducta domo convenit, omnem immunditiem arcere, aeris ſæpe renovandi curam gerere, haud ferre ſordium cumulos, haud ſtabulorum & latrinarum ſqualores, eosque ſuæ quaſi corruptelæ fato relinquere. Nunquam non publicæ munditiei cura ſuo ſcopo excidet, ſi ex interiori domuum ſinu perpetuo rivo emanat, quod externum aerem corrumpit.

§. VI.

p) *Plin. Hiſt. N. l. c. Ed. Hard. T. II. p.* 101.

q) *Vitruv. de archit. L. I. C.* 4. ubi id factum ſcribit venia populi Romani, rem dirigente *M. Hoſtilio*, nova mœnia conſtituente & areas dividente.

r) *De cura rei famil. C.* 6. *Op. T. III. p. m.* 674. ubi domos hieme ventis, æſtate ſoli expoſitas commendat. *Paulus Zacchias* ædium ſitum duplici beneficio æſtimat, acceſſu nempe liberiori aeris & luminis. Deterior tamen ei eſt privatio directi luminis quam privatio aeris perflantis, quia lumen emendare poteſt aeris vitia, non æque perflans aer incommoda umbræ, *quæſt. med. leg. L. V. tit. IV. Qu.* 6.

§. VI.

In nulla certe re æquius ad reſcindendas in ortu morborum cauſſas magiſtratuum curam verſari arbitror, quam in munditie urbium. Tot millia hominum aliorumque animalium incredibilem fundunt materiæ perſpirabilis copiam, quæ in urbe non adeo magna facile centena millia librarum quotidie ſuperat. Hæc vero talia ſunt, quæ ob ſuum in putredinem niſum non tulit amplius natura corporum, ſed tanquam mox per moram indultam nocentiora tempeſtive ex omni limite ſuo expulit. Sit ita, aquoſas maxime exhalationes eſſe. Præterea vero, quod tenui & ſubtili vitio haud carent, tum quoque ipſa copia aquoſi elaſticam aeris virtutem in opere reſpirationis tam neceſſariam nimis labefactat. Reliqua corporum excreta, quorum præceps magis ad putrem corruptelam tranſitus eſt, juſtiorem quoque inquinati aeris ſuſpicionem pariunt. Nocentiores ſunt morbidorum & mortuorum animalium halitus, quos G. CHEYNÆUS mera venena teſte omnium gentium & ſeculorum experientia adpellat *s*). Hinc ſepulchra in cœmeteriis prope templa, vel ob concluſum infectumque aerem majori cum damno in templis ipſis *t*), male mulctant pios hominum huc ruentium conventus. Neque prætereundi ſunt, qui immundas in urbe artes exercent, coria *u*) præparant aut chor-

s) *De ſanit. infirm. tuend. C. I. §. 7. p. m.* 15. *Certe a cadaveribus ſive humanis ſive aliorum animalium deterrimæ inter omnes exſpirationes attolluntur*, inquit *P. Salius de febre peſtil. C.* 20. *p. m.* 144. Sæpe obſervatum eſt, non ſolum inſepulta a magnis præliis cadavera, ſed & vetera ſepulchra incaute aperta peſtes peperiſſe cum magno incolarum exitio.

t) Inde *Lilius Gyraldus de vario ſepeliendi ritu* ſcribens valde improbat, ex noſtrorum temporum conſuetudine cadavera intra ædes ſacras ſepeliri, & *Bernh. Ramazzinus* templa ait ob copiam ſepulchrorum, inprimis cum crebro referentur, graves æſtivis diebus fœtores, qui ſuffimento ex myrrha, thure & aliis ægre corriguntur, ſpargere, *de artif. morb. C.* 17. *p. m.* 314.

u) Quæ molliunt in pice liquida & coquunt inter horrendos fœtores, ex quibus nata *Bellovaci* lues A. 1750. regio interdicto anſam dedit, ne id amplius niſi in certa ab urbe diſtantia fieret.

chordas pro inſtrumentis muſicis, opus carnificum, quod proprie circa mortuorum carnes verſatur, tractant, calcem parant, quæ æſtuoſum reddit & præfocantem aerem, aquas ſtygias conficiunt, vel in mineralium examine circa argentum viuum, arſenicum & alia conſtantius occupantur, quos brevi pallor, macies & tabes corrumpunt, vel qui ſalſamenta, pigmenta, ſeba excoquunt, vel linum & cannabin in aqua macerant *x*). Quid de granariis & cellis frumentariis ſubterraneis *y*) dicam, de puteis paſſim neglectis & viarum ſqualoribus? Redundantia ex his in civium, maxime eorum, qui jam labe viſcerum laborant, aſperrima mala plus in progreſſu unum magiſtratus mandatum inhibet, quam centum medicorum conſilia. Si enim armentorum oviumque gregibus nulla in urbe vel brevis mora conceditur, ſi in his ſepulchra vel pauca vel nulla feruntur, ſi immundis artibus in ſuburbiis tantum & liberiori aere locus eſt, imo & horreis ſtabulisque, ſi denique per publicas cloacas ad aliquam veterum normam ſpurcitiei in plateis occurritur, quin & intra privatas domos violatæ

tur-

x) Anglorum legibus ſub gravi pœna cautum eſt, ne cannabis aut linum in aquis, unde pecudum greges bibunt, maceretur. v. *J. Jac. Mangeti bibl. pharm. ſub voce cannabis p.* 471. Hic magis de humana ſalute ſolliciti *P. Foreſtus*, *Alex. Benedictus*, *Laz. Riverius*, *P. Salius*, *Lud. Septalius*, *Paul. Zacchias* & alii multi removeri hos homines ab urbe volunt. Mitius *P. Pereda*, *Gomet. Pareira* & alii ſentiunt. Tota quæſtio ita videtur dirimi poſſe, ut in aquis curſus perpetui impune liceat linum macerare, at ubi paluſtres aquæ ſunt & ventus ſilet, peſtilens hoc opus ſit & ſerio inhibendum. Inter epidemias febrium pernicioſarum & caſtrenſium a *Lanciſio* accurate deſcriptas altera in urbe veteri A. 1705. nata vicinis ſtagnis, in quibus linum & cannabis macerebantur, ortum debuit. *de nox. palud. effluv. L. II. Epid. II. p. m.* 185. *ad* 201.

y) Granaria in domiciliis, cellæ frumentariæ in ſubterraneis foveis puteisque, utrinque noxam, quamvis impari gradu, pariunt. Quo major frumenti copia eſt, & quo crebriori, ne teredinem vel alia vitia concipiat, agitatione eget, eo nocentior ſurgit & pectori infeſtior agitatus pulvis. In foveis autem & puteis perniciem aeris dixeris & eorum, qui huc temere deſcendunt, antequam concluſus ille & corruptus aer exhalat. Ferri tales putei non debent, nec cellæ niſi in apertis magis & extremis civitatis locis. v. *Paul. Zacchiæ Qu. med. leg. I. c. Qu. VII.* 10.

turpiter & cum vicinorum querelis munditiei modus præſcribitur, quis non ejusmodi magiſtratum divini illius præſidii, quo ſalubrior aer adſpirat incolis, ſtrenuum vindicem dixerit, tot fontes variæ corruptelæ ſeverioris legis cuſtodia obſtruentem? Meſſem medicorum inde minui, per ludibrii ſpeciem obiiciunt. At potius cum magno eorum ſolatio levantur tædia laborum, fructu ſuo inter ſuccreſcentes externorum vitiorum fomites carentium. Duo ſunt, ob quæ maxime negligi dicta ſolent. Gravari nimis aerarium clamant, & inanem fortaſſis metum de tot malis & corruptelis imminentibus iniici, neque deeſſe, qui ipſis fœtoribus illis, quaſi virtute medica non careant, patrocinantur z). Securitatem mitius

z) Turpe hoc patrocinium eſt, quod etiam medicas virtutes fœtoribus illis tribuit. Non nego, inſuaves odores aliquando in vitiis nervorum ſalutares eſſe, ſub crebro hyſtericarum experimento. At putrida toti humanæ naturæ, cujus exitium putredo eſt, adverſa nemo ſanus niſi temere excuſat. *Alex. Benedictus de peſte 66.* medicum refert in ſæviſſima peſte Cretenſi canes omnes necari & per plateas diſpergi juſſiſſe, eorumque tetro fœtore civitatem ſanitati reſtitutam eſſe. Id refert ex rumore, & inter barbaros quidem, unde quid non fabularum? *Joſ. Quercetanus in alexic. peſt. C.* 6. fœtorem platearum *Lutetiæ* idoneum corrupto aeri corrigendo remedium viſum multis medicis fuiſſe ſcribit. Viſum igitur, ſed aliis ſanioribus non viſum, nec ipſi *Quercetano.* Intelligebant enim, ne urbi fœtor ille probro eſſet, hoc paradoxon colorem miniſtraſſe. Nec credidit *Ludovicus XIV*, qui optatam a bonis medelam attulit, ut *Lutetiæ* hodie exuere nomen ſuum poſſint, quod a luto habent. Sunt, qui in peſte *Romana* & *Bononienſi* evaſiſſe periculum ſcribunt, qui prope officinas coriariorum habitarent. Optime hic reſpondit *Lanciſius l. c. L. I. P. I. C.* 5. *p. m.* 14. aliam ibi macerandi corii rationem obtinere, cum calce nempe & mixtura aliqua alexipharmaca probi odoris. An & iis fas eſt reſpondere, qui *Veſpillones* tot peſte defuncta cadavera efferentes valere obiiciunt? Valent, dum efferunt, at quousque? non attendiſſe puto futiles illos homines. Attentior hic oculus *B. Ramazzini* nullum veſpillonem ſe ſenem vidiſſe teſtatur. Addit ſemper iis cadaveroſas facies & luridas eſſe, hinc malignis vocat & pernicioſis febribus ac repentinæ morti obnoxios. *Quid tam efficax fingi poteſt*, inquit, *ad peſtilentiales morbos excitandos, quam creber in ſepulchra deſcenſus, ubi per moram tam putida aura adſpirat & ſpiritus coinquinat. de morb. artif. C.* 17. *p. m.* 514. De ſubito tali interitu veſpillonis a ſepulchri putore, conf. *Lanciſ. de nox. pal. eff. L. II. Epid. I. C. II. p. m.* 152.

mitius dixerim, cum cœcitas ſit, quæ nulla perſpicit pericula, niſi quæ ſubito & cateruatim ingruunt. Perire multos vident quotidie, id non intelligunt, inter tot ſemina malorum, quæ magna parte in primo germine opprimere poterant, adulta ſenſim occubuiſſe.

§. VII.

Sæpe auctoritas legum ſub tenuibus impenſis hic ſufficit, vel ſi majoribus opus, quis honeſtiorum civium ſe cenſui tantæ utilitatis facile ſubduxerit? Non opus eſt, nobile illud *Tarquinii Priſci* exemplum niſi e longinquo imitari, qui purgamenta urbis per cloacas & foſſas, quarum minores in majores ibant, ſub firmiſſimis fornicibus, ipſis exciſis montibus, ad *Tiberim* derivare æterno in urbem merito inſtituit, quod opus omnium maximum vocat PLINIUS & ad urbis miracula refert *a*). Laude quidem non vacat, ſi rei tanti momenti ſplendor accedit & durabilitas, reduci tamen ad arctiores veræ indigentiæ terminos poteſt. Nec deſunt hodie urbes, per quarum plateas ſimili ſcopo decurrunt canales quadrato lapide ſtructi & nulli ſupra ſe moli facile cedentes, qui recipiunt ſordes etiam ex domibus paſſim eo deductas, & ob lentioris defluxus moram, reſeratis cataractarum clauſtris, irruente aquarum rivo plenius eluendas. Cui ſcopo favet urbium, quemadmodum noſtræ, opportunus ſub leni declivitate ſitus, qui nihil ſordium in defluxu retardans commode in amnem pronioribus viis ſubſtratum terminatur. Si non eſt his impendiis locus, certe decet, ſentinam platearum diligenter & mane quidem æſtivis

a) *Hiſt. Nat. L. XXXVI. C.* 16. *Livius Hiſt. L. I.* 56. cloacam maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis ſub terra, & *L. V.* 55. cloacas publice ductas privata paſſim tecta ſubeuntes commemorat. *Caſſiodorus* ſtuporem illa ſpectantibus parere ſcribit. *L. III. Ep.* 30. Maxime *Dionyſius Halicarn. L. III. antiqu. Rom. p. m.* 200. utilitatem operis & impenſarum magnitudinem ex *C. Aquilio* illuſtrat, quo teſte cenſores neglectas aliquando, hinc reparandas, cloacas mille talentis locaverint. Sunt ſexcenta aureorum millia *Nardino*, 2400000. floreni gallici *Harduino* ad *l. c. Plinii T. II. p. m.* 742.

æſtivis diebus, veſperi hiemalibus evehi, idque lente & tectis curribus, non indulta menſium mora, ut apud nos nuper in ſumma immunditie, multorum morborum feraci, factum eſt. Paludum ſiccandarum ut intra urbem ita & vicinis extra eam locis princeps ſemper cura ſollicito magiſtratui incumbit, cum inde ſolitudo urbium toties nata ſit *b*). Intelligo limoſas aquarum colluvies in ſinu ſæpe magno, licet non profundo, & immotas fere, niſi ventus agitat, hinc ob varia inſecta putremque ſeminum, florum, caulium foliorumque compagem, æſtivis maxime diebus, peſſime olentes *c*). Sive vero cum veteribus, ut *Varrone*, *Columella*, *Palladio* ex vermibus corpus noſtrum cum aere ſubeuntibus, adplaudente *Ath. Kirchero*, ſive pravis inſectorum halitibus cum nebula mixtis, ut *Vitruvio* placuit, cui *Joſ. Quercetanus* adſentitur, vitium derivemus, ſive ex alio noxiorum effluviorum genere ſecundum variam *Sylvii*, *Ramazzini*, *Hoffmanni* aliorumque doctrinam, id arbitror in aprico eſſe, vi craſſæ humiditatis ſolida relaxari & tono ſuo privari, vi autem & vario gradu putris inquinamenti blandorum humorum noſtrorum genium perverti ac tenuem viſcerum fabricam deſtrui, febriumque epidemicarum, imo peſtilentialium, infauſtam aciem inſtrui; præſertim ſub æſtivo calore & auſtris ſpirantibus horiſque inprimis nocturnis, quibus denſior illa & virulentior nebula incumbit. Ita *Hannibal* ex paluſtri & nocturno aere alterum oculum teſte Livio amiſit *d*). Ferax morborum Batavia eſt ob loca declivia & paludoſa, aerque *Leydenſis* male audit *Foreſto*, *Pechlino*, *Boerhaavio*, aliisque ob canales, qui per mediam urbem aquas lentas, corruptas ſtagnantesque vehunt, unde rubigines & nebulæ per noctem vim fere veneficam accolis adſpergunt. Lancisius, qui de ſalubriori aere judicandi hanc legem tradit, ſi regio paluſtre ſolum non habet, ſitu vero paululum ſubliminiori & ventis per-

b) Sic *Brunduſium*, civium olim multitudine florentiſſimum, *Acerræ* & alia loca negligi cœperunt, ex quibus quædam inter longa ſiccandi tædia ad ſalutarem genium lente redierunt, ut *Piſaurium*.

c) Secundum experimenta *Car. Leigh. in hiſt. nat. Lancaſtr.* L. I. C. 2.

d) *Livii Hiſt. L. XXII.* 2.

perflantibus patente gaudet *e*), ex humilioribus e contrario & paludoſis locis deducit febres primum tertianas, mox continuas & malignas, deinde peſtilentiales, & longas per hiemem quartanas *f*). Nullum eſt niſi in reſtituta ſiccitate locorum præſidium. Notat Ros. Lentilius *Stutgardiæ* febres epidemicas non amplius, ſed endemias & rebelles, idque pluribus annis, ſiccato ad mœnia lacu & in amœnum pratum converſo egregie remiſiſſe *g*). Negandum non eſt, paludes multas in perpetuum difficillime exſiccari, quod de *Pomptinis* in Latio ſæpe ſed incaſſum tentatis referunt. Adgrediendum tamen utile opus eſt, licet cum moleſtia tentetur, aegre perficiatur, aegerrime conſervetur. Excitarunt olim immunitates onerum a principibus promiſſæ *h*). Excitare poteſt ipſa ſpes non contemnendi lucri, cum terra paluſtris ob inhærentem cœno pinguetudinem ſæpe fertiliſſima evadet, unde Græcis ad negotia quæſtuoſa cohortantibus in ore fuit, paludes emi oportere. Ratio autem dignior, cui aures præbeamus, non eſt, quam ſalubritas aeris ab hoc opere non corporibus ſolum, ſed & animis *i*) plus vigoris concilians. Mergitur divinæ auræ particula a paluſtri & nebuloſo aere, & fas eſt ingenia, qualia Bœotorum ſub craſſo aere natorum, ſiccari & acui. Neque vero de parvis paludibus, quarum momentaneam colluviem calor ventusque diſſipat, vel ſitiens humus ſenſim imbibit, multum ſolliciti ſumus *k*). Majoribus & limoſis, quæ non areſcunt ſub ſirio, ſed

e) *De advent. Rom. cæl. qualit. C. V.* 19. *p. m.* 86. *Hæc procul dubio,* inquit, *etiam inter æſtus ſalubris regio habenda.*

f) *De nox. palud. effluu. L. I. P. I. C.* 12. §. 5. *p. m.* 38.

g) *Ib. L. I. P. I. C.* 3. §. 3. *p.* 10. At cum minoribus circa urbem paludibus idem remedium quæreret, ſurdis auribus cecinit.

h) *Jac. Cuiac. ad L. XI. Cod. Juſtin. tit.* 43. *Comm. Op. T. III. p. m.* 370. *de aquæ ductu.* conf. *paratitl. in L. dig.* 43. *tit.* 23. *de cloacis Op. T. II. p. m.* 63.

i) v. *Jo. Imperial. de ingen. differ. L. II. C.* 9.

k) Paludes parvæ ex pluvia aqua collectæ & ſine cœno plerumque ſubſiſtentes coarguendæ non ſunt & bene potui animalium ſerviunt. Nec magnæ, profundæ, agitatæ a dulcibus vel etiam marinis aquis, cum

ſed putrent eo magis, quo nobis viciniores ſunt, occurrendum eſt. Nec magna adeo difficultate exhauriuntur in acclivioribus locis per foſſas in proximum mare vel flumen deductas, modo ſimul de opplendo ſinu & opportune avertendis per alios ſulcos aquis ad vetera loca influere conſuetis cogitetur. Si loca paludum proxima ſunt editiora, hydraulicis exhauriri machinis aquas & aggere ſinus compleri neceſſe eſt, de quo *P. Caſtellus*, *Joſ. Ceredus*, *D. Guilielmini* & alii egerunt. Hæc ut ſemper ante initium æſtatis tentari debent, ita in magnis interdum paludibus minor impenſa eſt quam ſperandus ex ſucceſſu fructus, dum ſparſis vegetabilium ſeminibus per radicum cauliumque ſurgentes fibras & tubulos noxii intercipiuntur halitus, & ſiccior ſenſim fundus aratro incipit auſcultare & conſeri poſſe. Si vero ſpes exhauriendi exulat, corruptum & male olens puriori aqua huc influente miteſcit, neque ut ante lædit accolas. Ita paludes in *Aegypto* legimus exuiſſe noxam, dum *Nilus* eas pervaſit *l*), & *Empedoclem* olim in ſtagnantes aquas *Selinuntiorum* duos vicinos derivantem fluvios peſtem profligaſſe *m*). Ad quam normam P. SALIUS adverſus febres peſtilentiales natas in patria, occaſione aquarum ſtagnantium, has vel exſiccare, vel aquas fluentes admittere ſuaſit *n*). At & paluſtria loca depurare igne licet, quo, ut

pauco cœno inductæ ac piſcinis ſervientes damnantur. Marinæ inprimis aquæ vermibus & corruptioni reſiſtunt, *Teſtio* dedere anſam, ut Veneti aeris ſalubritatem inter multas lacunas, mari inductas, vindicaret. Quæ vero metuendæ paludes ſunt, non media hieme vel primo vere, ſed per æſtatem ad autumnum usque ſub æſtu ſiccante auſtrisque ſpirantibus noxam minantur.

l) v. *Strabon. L. XVII. Op. T. II. p. m.* 1143. *A.* Ceteras urbes ait ad lacus ſitas gravem & præfocantem aerem in æſtivis ardoribus præbere, & cœnoſo humore peſtem parere, at *Alexandriæ* incipiente æſtate *Nilum* auctum augere etiam lacunas & nullum cœnum relinquere, unde malignus vapor exhalet.

m) v. *Dion. Laert. L. VIII. ſegm.* 70. *p. m.* 535. 536. Sedata peſte epulantes ad amnem *Selinuntii* divinos honores conſpecto *Empedocli* detulerunt.

n) *De febre peſtil. C.* 20. *p. m.* 143.

ut cum *Marone* dicam *o*), omne vitium excoquitur. Ruit pronius in loca ignis quippe rarefacta aër cum ſuis inquinamentis, & purior his conſumtis ſubtiliorque exit. Dum loco ſæpe inſalubri coquuntur lateres, coelum hinc brevi ſalutare evadit ob ardentes hic perpetuo ignes. Denique paludum prope urbes inexpugnabilium noxa plantatis lucis ſylvisque coerceri debet, ut inter anfractus & cacumina arborum percolentur aëris ſordes. Veriſſimum certe eſt, quod VARRO ait, mala ex coeli terræque inſalubritate per noſtram diligentiam leviora fieri poſſe *p*). Præclare hic ſuis conſiliis J. M. LANCISIUS de agro Romano meruit *q*).

§. VIII.

Noſocomia, ſi pietatem ſpectas, quæ miſeros cum inopia & morborum ſordibus conflictantes victu & medicamentis ſuſtentat, ornamenta ſunt civitatum, ſi immunditiem, peſtes. At inter tot tædia,

o) *Georg. I. v.* 86. 87.

Omne per ignem
Excoquitur vitium atque exſudat inutilis humor.

Ita & *Plinius H. N. L.* 36. *C.* 28. vim medicam in igne agnoſcit, ad *Empedoclem* & *Hippocratem* provocans. *Galenus de theriac. ad Piſon. L.* 16. *Op. lunt. C. IV. p.* 96. *G.* admirandum ait *Hippocratem* ſe ſummis laudibus proſequi, qui peſtem ex Aethiopia ad Græcos venientem ignibus per civitatem accenſis repulit, injectis iis, quæ bonos odores funderent.

p) *De re ruſtic. L. IV. C.* 5.

q) *In L. de nox. palud. effluv. ſubjunctis quinque Epidemiis pernicioſorum ex hoc fonte & caſtrenſium morborum.* Cœlum nempe Romanum a primi ævi ſalubritate multum deflexit, cum *Totilas* ipſo *Alarico* infeſtior excisis aquæductibus primus teſte *Procopio* efficeret, ut aqua in ſtagna paſſim confluxerit. His diu mederi ſolertia *Theodorici* non potuit, cum *Longobardis* deinde agros urbis depopulatis hoc etiam accederet, ut *Tiberina* aqua a'veis ſuis egreſſa ſupra muros urbis irrueret, teſte *Joanne Diacono;* unde peſtis nata & *Pelagium* pontificem ſuſtulit & urbem fere in ſolitudinem redegit. Poſt nova a *Francis* & *Saracenis* illata damna inſalubrius cœlum vix ſenes intra urbem ſeculo XI. vidit. Spem

tædia, quæ hic ſuſtinenda ſunt, & tam tetros halitus plurimorum hominum, lectulis paruo a ſe invicem intervallo per unius cubiculi aream ſtratis decumbentium, quæ exſpectari facile vel obtineri munditiés poteſt? Fatetur BELLOSTIUS *r*), corrupto illo noſocomiorum aere robuſtiſſimorum corpora acerbiſſime adfligi, & millies ſe vidiſſe, ſanatos ſpecie, jamque abitum meditatos, mox novis febribus, hæmorrhagiis, diarrhoeis retractos periiſſe. Vulnera, maxime capitis, quæ aer ille alluit, maligna protinus & præter exſpectationem funeſta evadunt, negatque DIONYSIUS, in inſtructiſſimo illo Pariſienſium noſocomio, *Hotel de Dieu*, ſe facile ex trepanatis unum alterumque ſanatum vidiſſe, cum ex aliis extra communem illam tot ægrorum ſorditiem poſitis multi eluctentur. Qui ſpe lucri miniſteria præſtant conſtantiora, intra breve tempus exire coacti in ædibus quidem ſuis, at veneno illo intra venas ſuas ſuſcepto, occumbunt. In qua re maxime cum iis, qui ex hydrargyro ſputant, flebile commercium eſt. Magiſtratus Venetus quod coercere ſatis vagam Venerem non liceret, hac infectos ſanari gratis ope ſputorum in publicis locis voluit. Verum in æſtuariis illis vapor tam virulentus ſpargitur, ut qui ſani & intempeſtive curioſi acceſſerunt, ſæpe ſub unius horulæ mora os puſtulis refertum retulerint. Vidimus a Gallis ſtabilita nuper in hac urbe noſocomia intra breve tempus ultra aliquot funerum millia extuliſſe, & ob cadauerum, quibus magno ſimul numero in unum tumulum illatis terræ parum inſtratum fuit, ſepulturam

minus

etiam magis deſeruit *Clemens V.* cum ſedem *Avione* figeret, quam etſi *Gregorius XI.* Romæ A. 1376. reſtituit, ipſe tamen ut multi ſucceſſorum impares tot malis fuerunt. Seculo XVI. demum ſub *Leone X* conſultum magis eſt & elegantiæ & ſalubritati urbis, ita ut jam numerus civium duplo vel triplo major quam ante ad 85000 millia accederet, rurſus tamen ſub ærumnoſis *Clementis VII* temporibus ad 37000 millia decreſceret. Senſim inter conſtantiora pacis tempora rediit nativa cœli clementia ſuffoſſis cloacis, ſtratis viis & compitis, ſiccatoque ſolo. Cum paucis aliis plurimum præſtitit *Clemens XI.* uſus eximiorum virorum judicio & inter hos archiatri ſui *Lanciſii.* v. *C.* 3. *&* 4. *de adverſ. Rom. cœl. qual.*

r) *Chir. d'Hopital p. m.* 67.

minus providam, minus ab urbe remotam, nobis metum non exiguum inieciſſe, cum non ii ſolum, quibus cum locis illis crebro ingreſſu egreſſuque commercium eſſet, ſed & vicinæ domus per ipſam hiemem graviter laborarent, ut etiam rumor epidemici & contagioſi morbi naſceretur. Sane quidquid eſt noſocomiorum, quæ copiam ægrorum maxime ex impuro fomite laborantium continent, in amplioribus oppidis, in quibus contactus inquinamenti facilius ſerpit, ſummam difficultatem parit, & circa medelam & circa munditiem, ſine qua illa proſpere nunquam ſuccedit. Tutius extra urbes locantur & ad rivos. Laudantur *Mediolanenſia* noſocomia, quibus ad ſingulos lectulos ſeceſſus eſt, quo poſſint excreta alui & veſicæ abripi protinus a torrente ſubjectarum aquarum. In libero perflatu aeris, in ſparſis aquis, ſi ſqualide æſtuat, in odorato ſuffimentorum halitu, ſi putret, magnum præſidium eſt. Plus etiam meriti habet ventilator *Haleſii* puriorem ad ipſa conclavia ægrotorum aerem derivans. Quæ machina in crebriorem uſum tracta publicis jam teſtimoniis gaudet, pauciores poſthæc in noſocomiis periiſſe. Plus excitabunt ingenia magiſtratus attentio, favor & neceſſarii ſumtus.

§. IX.

Ut legum præſidio omnes fulciendæ ſunt communes ſanitatis cauſſæ, quæ ad univerſos cives in eadem ſocietate viventes ſpectant, ita aquarum non minoris momenti cura requiritur quam aeris, quin & illam huic præfert Lud. Septalius *s*). Certe mutatione locorum plus plerumque ab aqua quam aere patimur. Hier. Cardanus, qui ab aqua omnes morbos ſanari poſſe cenſuit, viciſſim ex ſolo pravarum aquarum vitio peſtem excitari & excitatam conſervari non citra rationem credidit *t*). Igitur licet

s) *In Hipp. de aer. aqu. & loc. Com. I. text.* 3. Quam ſententiam novis rationibus exornat *Paul. Zacchias in Quæſt. Med. leg. L. V. tit.* 4. *Qu.* 2. Sane *aquis ad plura fere utimur quam reliquis omnibus*, inquit *Oribaſius Euporiſt. L. I. C.* 14. Quæ verba etiam *Aeginetæ* ſunt *de re med. L. I. C.* 50. Ipſe *Hippocrates* plura de aqua quam aere tradit.

t) Alterum *in L. de aqua*, alterum *L. I. de venen. C.* 9.

licet in nullo vel vili pretio aqua ſit, res tamen *Platone* judice pretioſiſſima non tenuioris tantum ſortis hominibus, ſed & aliis de valetudine ſua in majori fortunæ gradu ſollicitis familiariſſima, ſpem incolumis & longæ vitæ admodum ſuſtentat *u*), unice a natura, quæ optime indigentiis noſtris conſulit, in potum oblata, cum reliquos potus ſalubritatis gradu longe inferiores ars & luxus invexerint. Cum non omnes urbes bene ſitæ & ad ſolem & ventos & aquas ſint, præceptum *Hippocratis* eſt, ſanum bibere debere ſine magno diſcrimine aquam, quæ præſto eſt *x*), forte quod illam, quæ deterioris notæ fuerit, corrigere liceat nunc coquendo nunc colando nunc per arenas transfundendo, vel etiam pauxillum aromatis vel acidi inſpergendo *y*). Verum ut infirmis delectum aquæ idem dictator artis ſollicite commendat, ita nec ſanis tutum arbitror, quid ferre ad tempus poſſint, audacius experiri; maxime in plerorumque, qua corrigendi arte uti liceat, ignorantia

u) *Ch. Mentzelius* ſpem inde longæ vitæ exemplo illuſtrat ſenis 120 annorum, cui biennio ante novi dentes proruperunt. Is vero aqua ex ſcopulis & vividis fontibus ſcaturiente, unde a puero hauſit, delectatus eſt multum. *Eph. N. C. Dec. II. A.* 3 *O.* 15. *Jo. Lockius* ipſe ſenex maxime integram ad ſenium usque oculorum aciem ſoli aquæ acceptam retulit, cujus etiam potu contentum *Andr. Tiraquellum* corpore & animo ita valuiſſe ſcribunt, ut XLV. & liberos & libros ederet. Olim *Eubulus*, qui ſolam aquam biberent, ſagaces, ἐυρετικȣ̀ς adpellavit. v. *Athen. deipn. L. II. C.* 6. *p.* 43. *F.* Quales erant aquæ potatores *Anchimolus* & *Moſchus*, philoſophi ex Elide, *Theodoricus Lariſſæus*, *Apollonius Thyannæus* & alii. Multum quoque *Demoſthenes* aqua uſus eſt, quam inprimis, ſi quid ſcriberet, ut vigilantiori ingenio eſſet, eam bibiſſe apud *Libanium* legimus. Imo & illos, qui victui carnium plurimum indulgent, longævos fieri ab aquæ potu poſſe, judicium eſt *G. Cheynæi de ſanit. infirm. tuend. C. I.* §. 25. *p. m.* 115. ut adeo conſtare ſibi tot experimentis videatur illud *Pindari* μεγαλοφωνοτάτȣ: ἄριϛον πάντων τὸ ὕδωρ.

x) *De aer. aqu. & loc. Op. Ed. Lind. V. I. p.* 337. *XV.* 4.

y) Aqua navigantium ſub æquatore & intra tropicos horrendum in modum fœtens & verminoſa, una ad ignem ebullitione, depuratur, & fex ipſa quiete ſubſidit, vel adſperſo tantillo ſpiritus vitrioli putre corrigitur.

tia vel neglectu. Majori vero attentione in dignoſcendis melioribus aquis opus eſt, ſi pro potu iis utimur. Fortunatam regionem dixerim, quæ jactare de ſe poteſt, quod de *Attica Antiphanes Comicus z)*, illam nempe multos Græciæ tractus ut aliis dotibus antecellere, ita præſertim aquarum bonitate. Has commendamus ad ſolis ortum maxime æſtivum ſcaturientes, curſu probe exercitas, puris terris colatas, excolores, inſipidas, inodoras, vel ut Hippocratico ſtylo utar, albas, dulces, odoratas *a)*. Tales ſunt limpidiſſimæ, pellucidiſſimæ & inprimis leviſſimæ *b)*, quæ cito ad ignem caleſcunt, cito illo remoto frigeſcunt, operibus coctio-

z) Addit promtum ſibi eſſe, guſtata aqua protinus terram *Atticam* agnoſcere v. *Athen. deipn. L. II. C.* 5. *p. m.* 43. *B. C.* Id acceſſit ad εὐαερίαν *Atticæ*, in qua tantam cœli clementiam ex *Comico Caſaubonus* adſtruit, ut perpetuum ver agi *Athenis* videretur. *Com. in Ath. p. m.* 645. Cui tertio loco illud *Eubuli* accedit, tanta abundare rerum copia, ut omnia ſimul ibidem veneant. Nec tamen ipſe vel *Athænæus* vel *Caſaubonus* in laudem aquarum illarum conſentiunt, ob adverſum *Vitruvii* teſtimonium *L. VIII. C.* 3. Varietas temporum facile utrasque ſententias conciliat.

a) ὕδατα λευκὰ γλυκέα εὐώδεα *Septalio* judice ſic *Hippocrati* adpellantur, quia inter colores albus, inter ſapores dulcis, inter odores fragrans magis delectat. *Comm. in l. c. III.* 16. Non aliter *Homerus* aquas albas dixit *Odyſſ.* 5. fluere fontes ὕδατι λευκῷ, & dulces, dum naves ſiſti ſcribit ἀγχȣ̃ ὕδατος γλυκεροῖο. v. *Athen. l. c. L. II. C.* 4. *p.* 41. *B.* Græci bonas aquas ἀποίȣς vocabant.

b) Sola levitas, quæ etiam a ſubtilis noxæ contagio pendere poteſt, non ſufficit. *Eraſiſtratus* olim improbans, ſtatera levitatem aquarum explorare, ſalubres ait ex *Amphirao* & vitioſas ex *Eretria* pondere non differre. v. *Athen. l. c. C.* 7. *p.* 46. *C.* Jam *Plinius* dixit, nullo pene momento aquarum pondera inter ſe diſtare. *H. N. L.* 31. *C.* 9. Quin & ipſe *H. Boerhaave* captis hodie ſollicite experimentis conſtare docet, aquas pluviales, fontanas, fluviatiles hydroſtatice examinatas & comparatas vix milleſima ponderis ſui parte differre. v. *El. Chem. T. I. P. II. p.* 610. 611. Si *Herodotus L. III.* 23. *p. m.* 168. *Aethiopes* annos vitæ 120. attigiſſe vel ſuperaſſe ſcribit, maxime præſidio aquæ tam levis, ut ligna innatarent, vix fidem hiſtoriæ niſi per ligna in illis locis compa-

coctionum lotionumque promte ſerviunt, & ab affuſo alcalino *c*), quo impuriores aquæ ſtatim albidæ, opacæ, turbidæ evadunt, nihil limpiditatis ſuæ perdunt. Ab his aquis ſperare licet, quod corpus ingreſſu ſuo haud gravent, celeriter permeent *d*), expedite diſtribuantur, corrupta & acria plenius eluant, viſcera depurent, & omni virtuti, ſive ab alimentis ſive medicamentis pendenti, commodiſſimum vehiculum præbeant *e*). Quam ſpem utrum

ctiora & fere ſaxea tueri licet, tunc vero ſimul cadunt jactatæ levitatis indicia. *Eulæi* aquas decima quarta ſui parte aliis leviores *Strabo* tradit *Georgr. L.* 15. *p. m.* 1068. *C.* Tales hodie quis dixerit natura vel arte reperiri? Hujus generis eſt, quod *Athenæus* habet *l. c. C.* 2. *p.* 42. *B.* cotylam aquæ, quæ ex *Pangæi* fodinis fluit, hieme 96 drachmarum eſſe, æſtate 66. Id vero non diffitemur, diverſis temporibus & alio caloris gradu differre earundem aquarum pondera, neque hoc, ſub minori etiam differentia in laude habendam eſſe aquam leviorem, quam *Homerus* *ἱμερτὸν* optabilem dixit.

c) Utimur plerumque oleo tartari per deliquium. At & ſolutum ſaccharum ſaturni in aqua puriſſima *Florentinis* placuit. Nec argentum ab aqua forti arroſum & pura aqua dilutum explorandis aquis minori fide ſervit.

d) Hoc plerisque ſalubritatis ſignum in maximo pretio eſt. Præſtantior aqua quærenda non eſt, quam quæ celeriter hypochondria permeat, inquit *Oribaſius med. collect. L. V. C. I. p. m.* 257. Quibus verbis plane congruunt illa *Aeginetæ de re med. L. I. C.* 50. ne quærere quidem meliorem oportet, ſi cito de præcordiis ſecedit. Præjuit *Galenus de ſanit. tuend. L. I. C.* 11. *Op. Cl. II. p.* 67. *A.* ſi præcordia celeriter tranſit, nihil eſt quod magis idoneam requiras. Differt tamen corporis transmittentis conditio.

e) Princeps character eſt ſimplicitas aquæ, in ſinu pauciſſima eaque innoxia gerentis. Ita & penetrat & penetratur facilius. Patet inde, cur tam facile caleſcat talis aqua & iterum refrigeſcat? quod *Hippocrati* levitatis ſignum eſt *Aph. V.* 26. cur legumina, carnes & alia facile percoquat, & in lotione ſub connubio ſaponis efficacius maculas abſtergat? Huc refero tolerantiam vini a multis inter præcipua ſigna relatam. Nempe unica vini ad libram bonæ aquæ adfuſi protinus diffunditur nec ſaporem mutat, duplum vini in eadem quantitate aquæ aliquamdiu citra miſcelam perſiſtit & quaſi innatat, ſapor autem pervertitur. Apud *Camarinam in Sicilia* aqua fuit, quæ vino miſceri nulla ratione potuit. v. *So-*

utrum impleant magis aquæ pluviæ an maris? fluminum, an fontium lacuumue? haud convenit multum ambigere. Lacuſtres & paludoſas, pigras ſemper & craſſas, hieme certe turbidas, æſtate etiam olentes faſtidiunt, niſi neceſſitas impellit, omnes. Marinas, quarum pars circiter quadrageſima ſal eſt, ipſa ſitis repellit, & potum, a quo acria eluuntur, non augentur, poſtulat. Aquam pluvialem *Praxagoras* reliquis prætulit ut ciſterninam *Euenor f)*. Leviſſima quidem eſt, at volatilium & facile putreſcentium partium lixivium, quod in vaſe clauſo mox opacam maculam contrahens ſinum corruptelæ pandit *g)*. Eadem tamen coelo tranquilliori, non ſqualente vel nimboſo collecta, cocta leviter vel colata ſuſtinebit AETII judicium, potu optimam eſſe protinus colatam *h)*. Longe ſuperat aquas, quas ex nive, glacie, grandine obtentas damnant cum *Hippocrate i)* tantum non omnes, quod quæ con-creue-

lin. de ſitu orb. C. 10. Ita *Athenæus l. c. C. 6. p.* 43. *D. in Teno* inquit, *fons eſt, cujus aqua vino non permiſcetur.* Nec ſtridor blandas & molles aquas decet. Loquaces lymphas *Horatius* vocat, *Homerus* ὕδωρ δνοφερόν. Eſt enim craſſius, quod allidit, velut lentius in aquis, quæ inſtar olei fluunt, quod *Tiberinis* aquis obiiciunt. Id unum addo, ſummam ſimplicitatem aquæ non requiri. Recte *Galenus*, nulla, inquit, tam pura aqua eſt, quin in coctione aliquid ſedimenti relinquat. *de ſimpl. med. fac. C.* 4. Nihil vero tantillum terrei vel ſalini derogat ſimplicitati, imo hanc nimiam inutilem vocat celeb. *I. E. Hebenſtreit*, elapſuram fortaſſis in illo nimiæ fluxilitatis gradu celerius, nec ubi mora actionis requiritur, ſubſtituram, *anthrop. forenſ. S. I. C.* 2. §. 10.

f) Athen. deipn. L. II. C. 7. *p. m.* 46. *D.*

g) Conf. *transact. Angl. N.* 121. *p.* 652.

h) Tetr. I. S. III. C. 165. *ex Rufo.* Ita *Hippocrates* laudans pluviales aquas tanquam ὕδατα κουφότατα, γλυκύτατα, λεπτότατα καὶ λαμπρότατα jubet colare prius & decoquere: δεῖτε δὲ ἀφίψεσθαι καὶ ἀποσήθεσθαι *l. c. Op. Vol. I. p.* 339. *XIX.* 6.

i) Hipp. de aer. aqu. & loc. Op. Vol. I. p. 339. *XX.* ſemel concretas aquas ſcribit in priſtinam naturam non reſtitui, tenue perdi, turbidiſſimum & ponderoſiſſimum relinqui. De nive tamen mitius ſentimus. Hæc aqua *Athenæo* probatur *l. c. L. II. C.* 2. *p.* 42. *C.* Si nix ſereniori

creuerunt, expulſam partem ſubtiliorem, dum ſoluuntur, non protinus recuperant. Fluviales aquæ ad montes ortæ & ſub defluentium rivulorum concurſu ſenſim auctæ, mox alveo rapidiori poſt tot novas acceſſiones per loca magis depreſſa ad mare ruentes, tanquam ultimum declivioris terræ terminum, dubiam habent laudem ratione terrarum, quas tam longo tractu & inter multiplices adeo ſordium miſcelas tranſeunt. Fuerunt tamen deliciæ olim regum Perſiæ *k*) aquæ ex Choaſpe & Eulaeo. *Tiberinas* ANDR. BACCIUS *l*) laudavit, ut illas *Nili* olim ORIBASIUS *m*) adſentiente AETIO, *n*) qui omnes alioqui fluviatiles damnat;

cœlo in loca altiora & ab habitationibus hominum remotiora cadit, & in ſupremis maxime ſtratis colligitur, liquata & vaſe altiori ſemel deſtillata ita *H. Boerhaavio* laudatur, ut neget puriorem aquam extare. *Elem. Chem.* T. I. P. II. p. 601.

k) *Herodotus L. I.* 188. *p. m.* 76. ex uno *Choaſpe* ſcribit regem Perſarum bibere, quem aqua ejus decocta onuſtis plauſtris etiam in itinere comitetur. *Cteſias* vocat ὕδωρ ἐλαφρότατον καὶ ἥδιστον. *Athen. l. c. L. II. C.* 6. *p.* 45. *B. Plinius* ex *Choaſpe* & *Eulæo* Parthorum reges bibiſſe refert *H. N. L.* 31. *C.* 3. de *Eulæo* potu regum Perſiæ laudatæ ſuperius levitatis *Strabo l. c.* habet.

l) *De therm. l I. c.* 9. jucundam vocat in potibus & ſaluberrimam, talemque a condita urbe habitam, niſi cum ad tempus cloacarum illuvie corrumperetur. Addidit crebro examinatam in tanta luce doctiſſimorum virorum ſemper incomparabilem viſam eſſe, *Paulum III*, qui annos 83. vixit, ſecum has aquas, quo iret, duxiſſe, ita *Clementem VII.* & alios. *Matthiolus* teſtatur fictilibus adſervatam defecatamque per annos plures incorruptam manſiſſe, ad *mat. med. Dioſc. L. V. C.* 4.

m) *Med. collect. L. V. C.* 3. hinc & paludes *Aegypti* ſolas ſalubres dixit, quod has autumno ingreſſus *Nilus* elota veteri aqua novam & meliorem infundat. Idem ex *Rufo* repetit *Aetius*, omnibus virtutibus exornatas eſſe aquas Nili, ut corpus robuſtum & bene coloratum reddant. *Tetr. I. S. III. C.* 165. *Theophraſtus* ὕδωρ πολυγονώτατον καὶ γλυκύτατον adpellat vique nitroſa aluum ſolvens. *Athen. L. II. C.* 4. *p.* 41. *F.* Idem *C.* 6. *p.* 45 *C. Ptolomæum Philadelphum* ad filiam *Berenicen* aquas Nili miſiſſe, ut ſolas biberet, ex *Polybio* refert. *Andr. Baccius de therm. L. I. C.* 2. feliciſſimæ naturæ fluvium dicit, ſubjectis rationibus *C.* 9. *p.* 15.

n) Qui *l. c.* laudibus *Nili* præmittit verba, *fluviales aquas & ſtagninas omnes malas eſſe.*

damnat. AVERROES eo deteriores vocat, quo magis a ſuo ortu diſtant. *o*) Sane fluvii anguſtioris alvei a pluvia & purgamentorum ingreſſu turbidiores plerumque aquas miniſtrant, at ferri poſſunt, ſi ſub bono terræ & cœli ſitu ex medio majoris & rapidioris fluminis gurgite hauriuntur, quippe puriores, penetrabiliores & ab ipſo motu defecatiores. Fontanam tantum non omnibus præferimus, quæ ut CELSO judice *p*) poſt pluviatilem leviſſima, ita una lege aſſidui fluxus ſcaturiens magis mutationum expers eſt. Nata ad montes ex pluvia & ſub variis terræ meatibus collecta *q*) ea erumpit vi, quæ altitudini primæ collectionis reſpondet, idque ſalubriter, ſi in tranſitu per terras puras & arenoſa ſabuleta exuit adhærentes ſordes, & qui Naturæ colandi modus eſt, aliquando electro purior emergit. *r*) Notandus ſemper materiæ genius eſt, quæ vias obſidet & vires vel noxias vel ſalubres impertit, ad quod jam ſollicite veteres attenderunt. *ſ*)

§. X.

Sane ut priſca ætas aquarum curatores magno numero habuit, qui illas crebro & ipſos mirificæ fabricæ aquæductus inſpi-

 cerent

o) *Collig. L. V. C. de aqu. p. m.* 40. ubi & impoſſibile eſſe ait, ut magnorum fluviorum aquæ non ſint turbidæ.

p) *De medic. L. II. C.* 18. *p m.* 100. *Aqua leviſſima pluviatilis eſt, dein fontana, tum ex flumine, tum ex puteo; poſthac ex nive & glacie: gravior hac ex lacu, graviſſima ex palude.*

q) *H. Boerhaave in El. Chem. V. I. P. II. p.* 605, 606. fontana aqua, inquit, ex ſola pluvia omnem ortum ducit. Nunquam fontes ſunt in regione plana, nunquam niſi in locis monti vicinis, ſemper copia eſt eorum ſalientium in vallibus intra montana loca. Idem de fluviorum ortu habet: plura *Edm Halleſius.*

r) Laudat *Hipp. l. c. Op. T. I. p.* 336. *XV.* fontes ex locis ſublimibus aridisque, maxime ad ſolis ortum.

ſ) Non male *Plinius H. N. L.* 31. *C.* 3. *p. m.* 554. *aqua ſemper dulcis in argilloſa terra, frigidior in toſo. Namque & hic probatur, dulces*

cerent & corruptelam omnem utrique præcaverent; *t*) ita & hodie merito magiſtratum bonæ aquæ cuſtodia ſollicitum tenet. Abunde conſtat, quantum & hominum & pecudis interſit, aquam omni vitio carere. Quod ſi negligitur, malorum endemiorum & epidemicorum invaleſcit injuria, quam in progreſſu tam facile non eſt, conſultis licet medicis, propulſare. Endemia ex communi cauſſa nata crebro debentur ſingulari in certo loco aquarum genio, quippe conſtantioris veluti uſus ita noxæ. Si non ſuppetunt aliæ, quem in ſiniſtro per improba loca tranſitu viribus nocendi imbutæ, parcere paucis ſolent vel ſub uſu cautiori vel temperie illas injurias facilius ferente. In *Germania* trans *Rhenum* PLINIUS fontem notat, cujus potatoribus intra biennium dentes ceciderunt & genuum compages ſoluta eſt. *u*) Ita maxime vitio aquarum tribuitur familiaris multis gentibus ſtrumarum

enim leviſſimasque facit & colando continet ſordes. Sabulum exiles limoſasque promittit, glarea incertas venas, ſed boni ſaporis. Sabulum maſculu & arena & carbunculus certas ſtabilesque & ſalubres. Rubra ſaxa optimas. ſpeique certiſſimæ. Radices montium ſaxoſæ & ſilex hoc amplius rigentes &c. Idem dat exemplum clariſſimæ aquæ in toto orbe frigore & ſalubritatis palma, Deorum munere urbi tributæ. *Marcia* eſt olim *Aufidia* dicta, quam primus in urbem invexit rex *Ancus Marcius*, deinde *Qu. Marcius* rex in prætura, rurſus *Agrippa* reſtituit, *ib. p.* 553. 6.

t) Hos inter *Jul. Frontinus* priſcas aquæductuum rationes pulchre expoſuit. Roma eos neſcivit, donec primus *Appius Claudius* cenſor, qui vias ſternere inſtituit, A. R. 441. aquas per milliaria circiter undecim ſub lateritiis fornicibus, vaſto opere adduxit. Adductæ dein aliæ ſunt, ingenti ornatu ac ſumtu, a quadrageſimo aliquando milliari. *Procopius XIV. P. Victor XX* tales aquæductus numerant, tantæ ſubinde latitudinis & altitudinis, ut vir eques commode per eos incederet. Solus *Agrippa* receptacula aquarum in communes uſus ſeptingenta teſte *Plinio* condidit. Ingens hominum numerus ad tuendas aquas egit excubias. conf. *Juſt. Lipſ. de magnit. Rom. L. III. C. XI.*

u) *Hiſt. Nat. XXV.* 3. De ſimili fonte *Suſis* in *Perſia* ſcribit *Vitruvius L.* 8. *C.* 3. *Fonticulus eſt,* inquit, *a quo qui bibit, amittit dentes.* Subjicit græcum epigramma, *aquas eſſe egregias, at bibentibus dentes ex radicibus excutere.*

marum & ſcrophularum frequentia. *x*) Bene Vitruvius monuit, *y*) pro cognoſcendis regionum aquis ad habitum incolarum attendere. Sæpe probas priori ætate aquas intervenientes caſus fortuiti corrumpunt, ut terræ motus, ſub quibus impuri & noxii halitus ex locis antea interclusis, nunc in communionem apertis, tranſeunt. Vana conjectura non eſt, *Athenienſium* peſtem, quam teſte *Thucydide* *z*) motus terræ præceſſit, hujus originis fuiſſe. *a*) Ad epidemica mala ſufficit vel ſola aquarum immundities, quæ cœlo inprimis feruente computreſcunt in puteis, & crebras dyſenterias epidemicas, quales caſtrenſes ſunt, pariunt. Cum in eadem plerumque civitate diſcrimen aquarum ſit, uno loco ſalubrius, altero inquinatius ſcaturienſium, opus eſt ſub probo delectu non niſi præſtantiores & ſollicite exploratas ad uſum civium derivare. Tres modos ducendarum aquarum Vitruvius deſcribit, *b*) per canales ſtructiles, fiſtulas plumbeas & tubos fictiles, quibus Palladius canales ligneos adnumerat. *c*) Præſtant fere fictiles, qui aquas vehunt, quales accipiunt, cum lignei mucidum iis ſaporem facile concilient, plumbei durabiliores quidem & ad

variam

x) Frequens malum in *Stiria*, *Corinthia*, *Salisburgo*, apud incolas quoque *Alpium* & ad *Luccam*. *J. G. Kaysler nov. itiner. ep.* 36. *p.* 91. idem de *Mediolanenſibus* notat & *ep.* 84. *p.* 1278. de *Schemnitii in Hungaria* civibus, a vitio aquarum tam luculento, ut, ſi ex aliis aquis in valle proxima bibunt, liberentur. Quæ *Ep.* 33. *p.* 240. de incolis ad *Aoſtam* habet, quibus cum equis & canibus ſtrumæ ſunt, imo deforme videtur, non habere, credat, qui velit.

y) *Archit. L.* 8. *C.* 5. *p. m.* 341.

z) *Hiſt. L. I.* 23. *Ed. Duker. p.* 19. *l.* 70. & *L. III.* 87. *p.* 221. *l.* 86.

a) Cum *Fabio Paulino*, qui in *Thucydidem in præl. Marc.* commentatus etiam ex aliis monumentis ſcriptorum terræ motus peſtem antecedentes illuſtrat, ſentit vir celeb. *J. E. Hebenſtreit in anthropol. forenſ. S. I. C. II.* §. 12. *p.* 69.

b) *L. VIII. C.* 8. *p.* 344.

c) *L. IX. Tit. XI. Ed. Geſn. p.* 976.

variam pro decurſu formam aptiores, aliquid tamen deraſæ calcis adſpergere videantur. Quis vero noxam ab interno uſu plumbi non metuit, quod cum omni progenie ſua, ceruſſa, minio, lithargyrio, ſaccharo ſaturni aliisque tot in corpore humano tragœdias luſit? Veneficia olim opulentis hæredibus infeſta, quæ rigor tribunalis in Gallia erecti repreſſit, ex hac potiſſimum claſſe petita inter languores conſumtionesque ad ſtata fere tempora occiderunt. Occurrunt artifices plumbarii ſqualentis ut plurimum faciei & exigui ævi, figuli etiam in fictilibus lithargyrio incruſtandis occupati, qui torminibus inteſtinorum, tremoribus nervorum, contracturis artuum, languoribus & anguſtiis præcordiorum toties laborant. Dixeris hæc magis pendere a nocentiori ad ignem fumo plumbi. d) Id quidem non iverim inficias, at citra acceſſum ignis ſolus etiam internus uſus plumbatorum, licet audaciores excuſent, frequentis noxæ reus eſt. e) Nocuit ſæpe aqua in plumbeis vaſis quieſcens & a plumbi contactu dulceſcens, nec minus cocta in iisdem vaſis, pariterque deſtillata in plumbeis alembicis, ob quam rem acriter *Fortunatus Fidelis* pharmacopolas redarguit. *f*) Obiicies, omni fere æuo & quodam popu-

d) Nihil in igne promtius quam plumbum exhalat ſub forma fumi ex albo flaueſcentis & ſubdulcis, quem vocant in ſyluis Hercyniis *Hüttenrauch*, vnde ſpaſmi cum torminibus & adſtrictione alui, *Hüttenkatze*. conf. *F. Hoffmanni diſſ. de metallurg. morb. c.* 20. Fuſe de noxa ex vapore plumbi egit. *A. H. Cummanus in Eph. N. C. D. I. A.* 3. *O.* 131. Scripſit quoque *Stockhuſius* Phyſicus Goslarienſis de fumo lithargyrii, ubi ſymptomata metallurgorum ſylvæ Hercyniæ in plumbo laborantium proſequitur.

e) De paralyſi ex ſaccharo ſaturni v. *A. Rhodii C. III. O.* 10. *Petr. Borelli C. IV. O.* 32. De damno ex lithargyrio agit *Dioſc. L. VI. C.* 27. Singulare exemplum ingentium malorum ex pulvere plumbi, quem arthritico empiricus copioſe dedit, refert *I. Fernelius de curat. luis Vener. C.* 7. Oriuntur primum dyſenteriæ, ſique ceſſant, ſummi cruciatus ventris cum adſtrictione alui & internis quaſi incendiis.

f) *De relat. med. L. I. C.* 9. *p. m.* 146. Proprie quidem puriſſima aqua non ſoluit puriſſimum plumbum, imo videas, plumbeos globulos diu.

populorum conſenſu receptas fuiſſe pro aquis vehendis plumbatas fiſtulas, etiam apud priſcos *Romanos* docente BACCIO. g) Verum hic ipſe non diſſimulat, omni etiam ævo querelas de noxiis ex hac cauſſa aquis auditas eſſe. Diſerte monet VITRUVIUS, h) ſi ſalubres aquas velis, non ex plumbeis aquis ducendas eſſe, quæ ex adſperſa ceruſſa vitioſæ videantur, in qua re pariter ad pallores plumbariorum provocat. Ejus quidem commentator *Gu. Ph. Caſtilioneus* i) negat id mali metuendum eſſe, niſi curſus aquæ interrumpitur, in quo unice caſu efflorefcentem æruginem lambere aqua & arrodere inteſtina poſſit. At velut mora ſtagnantis aquæ & ſub ſua corruptela magis arrodentis crebro contingere poteſt, ita nec vis deterendi conſtantiori motui denegari poteſt, licet ſub momentaneo contactu minus contaminet & ſuſceptæ noxæ convinci tam luculenter nequeat. GALENUS ipſe, dum aquam mundam & miſturæ exſortem commendat, fugiendam eſſe ait, k) quæ per canales plumbeos deriuatur, limum enim ex plumbo in ea contineri, & bibentes dyſentericos reddere: cui mox ſententiæ Arabes accesſerunt & recentiorum plerique. Scire refert, inquit cel. I. E. HEBENSTREIT, vitiari aquas & lentam veneni vim accipere, ſi per fiſtulas plumbea intus

C. II. O. 9. *p.* 17. Verum ſuperficies plumbi, vel ipſo attactu aerei acidi ſimilisque cauſſæ raro diu ſine ærugine eſt, ab aqua mox penetrabili.

g) *De therm. L. I. C.* 8. *p.* 14.

h) *l. c. L.* 8. *C.* 7. *p.* 346. Ex his vero ſimul cadit opinio recentiorum quorundam, veteres, dum plumbatis fiſtulis uſi dicuntur, id de plumbo candido ſeu ſtanno intellexiſſe. In hoc enim ſuſpicio noxæ non cadit, quid quod *Rob. Boyle* eos, qui in ſtanno Anglico laborant, vegetos eſſe & morbis raro corripi teſtetur.

i) *Ib. p. m.* 347.

k) 7. *de medic. ſec. loc. Op. Cl. IV. p.* 180. *H.*

tus lamina armatas fluxerint. *l*) Non hic reſpicimus alias aquarum opportunitates, rigandi hortos, viarum eluendi ſordes, incendia reſtinguendi, ſed vnam communis potus ſalubritatem, quam fas eſt extra omne periculum vitii, etiam parvi vel ambigui, collocare. Etiamſi vero aqua, quam vena fontis ſub dio emergens vivam & ſinceram fundit, facilesque ruricolis aditus præbet, præferenda ſit, ſi tutis commodisque viis ad civitatis uſum deduci poſſit, aquæ clauſæ puteali, quæ ex terræ meatibus in ſcrobem cœcum confluens, niſi crebro agitatur & exhauritur, parum a paludoſa diſcrepat; opus tamen ſæpe eſt, ſi altera aqua potiri non licet, in altera caute quæſita adquieſcere. Quoties fodiendo ad certam altitudinem locum puriſſimi ſabuli attingimus, quod ſcaturiens adpellatur, quia tantum adfluit rurſus, quantum tollitur, in eo ad fundum vel latera adſurgit aqua vivæ ſcaturiginis, pura omnino, modo alia nulla niſi per hoc ſabulum trajecta admittatur. *m*) Craſſiora & feculenta tantum non omnia ab arenulis illis & ſiliculis excluduntur, ſi ſalium contagia excipis. Aliquando licet profundius aquæ nullæ reperiuntur, *n*) aliquando parum profunde tales, quæ vitio vix carent, quia cum vicinis paludibus vel cloacis communicant. Fas eſt puteos tum privatos tum maxime publicos idoneis locis & a vicinia latrinarum remotis ita inſtrui, ut injuriæ quidem ab iis arceantur, nec inicii corrupta, nec incidere animalia, vel ex ipſis hominibus infantes, ebrii, fatui, furioſi poſſint, conſultum tamen ſit, non nimis prohibere acceſſum ſolis vel aeris novi. Hic enim gravius incumbens

l) *In anthrop. for. S. I. C. II.* §. 8. *p.* 58. Mox ſubjicit: *calx plumbi aquis virulentiam inſinuat certiſſime.*

m) Talis aqua locis puriſſimis reperta & a *Britannis* ſolerter examinata eſt ad aurum fere ut 20 ad 1 ad aerem ſub juſtis cautelis ut 1 ad 830.

n) *Plotius Straffordiæ* puteum notat 2600 pedum ad perpendiculum, idque adhuc ſine acceſſu aquæ. v. *H. Boerh. El. Chem. T. I. P. II. p. m.* 608.

bens & renovari impos parit corruptelam ſuſtentatque, & niſi o) puteis, inprimis publicis, repurgandis & a fece, quotannis minimum, liberandis cura impenditur, vulgarium morborum cauſſæ hinc crebro naſcuntur judice LANCISIO. p) Ingens obſervationum ſylva docet, puteos veteres diu nec apertos nec renovatos, hinc putri ac fœtida colluvie infeċtisque plenos, in multorum perniciem virulentiſſima exhalaſſe. Fuit in Gallia puteus, qui ex ſtagnante diu & concluſa aqua halitus tam mordaces effudit, ut inſpiciens cœcus, brachium immittens paralyticus evaderet. q) In aliis, qui deſcenderunt, ſubito unus poſt alterum exſtincti ſunt. r) APARAEUS puteum notat centum ulnarum, in quem

o) Putei aquam perpetuam quidem habent ex terræ meatibus prodeuntem, non tamen ut fontes foras emergentem, hinc deſides, niſi crebro hauriuntur, & pravæ, ſi a vicinis paludibus vel cloacis vitium illuc deſtillat. *Ideo,* inquit *Fortun. Fidelis, fere omnes magnæ civitates inſalubribus puteis utuntur,* Addit paulo poſt; *graves & inſalubres in univerſum videntur omnes puteorum aquæ, de relat. med. L. I. C. 4. p, m.* 30. Olim putei erant vilium hominum ſepulturæ, deinde apud varias gentes loca ſuppliciorum.

p) *De nox. palud. effluv. L. II. Ep. II. C.* 5. §. 12. *p.* 197.

q) *Lachmund oryctogr. S. IV. C.* 3. *Pardies Ephem. Gall. A.* 67. *p.* 52.

r) *G. Hanæus Bergis* ancillam refert in puteum deſcendiſſe, at tertio quartove gradu, ob æſtum & mephitim, fugiſſe retro. Altera audacior rapto hauſtro deſcendens protinus corruit, mox herus manum porrecturus, denique vicinus ad auxilium advolans *Eph. N. C. D. III. A.* 2. *O.* 13. *p.*20. Fere ſimilis obſervatio putei lethiferi legitur in *Nic. Blegny Zodiac. Gall.* 1679. *Nou. O.* 8. *p. m.* 174. Apud *D. Sennertum* civis Winsheimenſis concluſum diu puteum mundare cupiens periit cum aliis opem allaturis, *prax. C. III. P.* 3. *C.* 2. *Io. Faber Lynceus* in *expoſ. in Rechum. p.*784. ſcribit aliquem pro gallo illapſo educendo deſcendiſſe in puteum & corruiſſe, ita & alterum, tertium vero dato protinus ſigno retractum ſemianimem. *Vidus Vidius P. II. med. S.* 2. pueri meminit illapſum gladium ex puteo ſublaturi, Statim periit & injectus deinde experimenti cauſſa canis. Confer, quæ de flamma ex puteo habet *Laur. Wolffſtriegel Eph. N. C. D. I. A.* 33. *p.* 108. it. *Angelut. de febr. mal. C.* 2. *Fortun. Licet de an. antiq. C.* 23. *I. M. Fehr. de ſcorzon. p.* 161.

quem ipſa cadavera projecta fuerant. Is poſt aliquot menſes ita infecit aerem, ut per viginti milliaria homines tanquam peſte interirent. s) Cogitandum igitur perpetuo eſt de munditie puteorum & crebra ſubjectarum aquarum agitatione. Bene Alex. Benedictus aquas, quæ uſu non exercentur, peſtiferum corporibus noſtris venenum eſſe cenſuit. t) In ortu malignorum & peſtilentialium ex hoc capite morborum quid non tentare magiſtratus, quas non promulgare leges ſolet? Facile erat ſcintillam opprimere, natis inde incendiis impari ſucceſſu reſiſtitur.

§. XI.

Nec minus omnium in civitate intereſt, ut eſculenta & potulenta non niſi probe explorata veneant publice, & ſub legum vinculo magiſtratus impediat, ne vel penuria laborent incolæ, vel iniquis pretiis emungantur, vel fraudibus vendentium & corruptarum mercium adulteriis ſint obnoxii. Sola penuria ſub fame comite ad cruda, immatura, impura & ad eſum inepta impellens peſtem peperit, qualem apud Romanos ex fame natam & per annos inſtantem deſcribit Galenus, u) ſimilemque tempore *Maximini* ex eodem fonte ſævientem Eusebius. x) Pretia ex ratione proventuum æſtimat magiſtratus, & lucro nimis inhiantes

s) *Op. Chirurg. L. X. C.* 13. *p. m.* 349. Id. *Penæ* factum 1562 primo civilium bellorum anno.

t) *De peſtil. febr. L. V. C.* 2.

u) De *ſucc. bonit. & vitio C. I. Op. Cl. II. p.* 33. *F. G.* nata ſunt ulcera, herpes, impetigo, carbunculi, phagedænæ, cum malignis febribus.

x) *Hiſt. eccl. L. IX. C.* 8. *p. m.* 357. Mortem deſcribit binis armatam telis λοιμȣ̃ τε ὁμȣ̃ καὶ λιμȣ̃. Ita *Curtius L. IX. C.* 10. ex pravo victu peſtem delineat in exercitu *Macedonum Alexandri M.* ubi ſtrati fuerunt campi pluribus ſemivivis quam cadaveribus. *Plutarchus in Demetr. Op. V. I. p.* 912. *B.* vim peſtilentiæ inde illuſtrat, quod, vt ſit in fame, quibusvis cibariis veſcerentur.

tes manus cohibet, acrius vero cum ſceleribus & impoſturis venena pro alimentis vendentium pugnat. Abſint a macello morbidi pecoris carnes, nullæ ſive domeſticæ ſive ſylveſtres ex alio quam ſano & recens mactato animali ſub publica cenſura venum exponantur. In lue boum vel aliorum animalium epidemica non eſt coarguendus legum rigor, qui, quidquid ex illa claſſe carnium ſuppetit, cum lacte, butyro & caſeo, ab uſu civium excludit. Varii quidem infectarum carnium gradus ſunt, neque exitiales omnes, at idem iis fatum convenit ac mercibus a peſtilentiali loco adductis, etiamſi ſuſcepti veneni nondum convictæ ſint, exurendis nempe vel abolendis. Provide & ſapienter carnium ad victum venalium inſpectores *y*) magiſtratus conſtituit modo ſeverius in illas inquirere & ipſa pulmonum, hepatis, meſenterii & inteſtinorum vitia inſpicere haud dedignentur, carnesque macilentas habeant ex morbo & tabe ſuſpectas, neque ignorent artes impoſtorum cutem ſufflantium. Verueces crebro pulmonum laborant vitio, porci intra pinguedinem grandines & vitiligines continent, oves ſcabioſæ ſunt, capræ fere ſemper valetudinariæ. *z*) In *Lipſienſi*, ut vocant, convictorio duodecim perierunt ſtudioſi ex carnibus vaccarum, quas tuberculis & bubonibus refertas nequam œconomus coemit. *a*) Putant aliqui, ſalem, acetum, fumum corrupta corrigere, at ſpem illam improbant, quibus

y) Quos tamen ſæpe ad carnium cenſuram ut aſinos ad lyram ſe habere, & oculos parum attentos, imo cœcos poſt ſuccidiam a lanione oblatam, arguit *Roſ. Lentilius in miſc. pract. P. II. p.* 509.

z) *Varro L. II. de re ruſt. C.* 3. capras ſanas nemo, inquit, ſanus promittit, nunquam ſine febre ſunt. *Plutarchus* epilepticas dicit & ſimili morbo comedentes inficere, quod & *Hippocrates* de populis *Lybiæ* habet a comitiali morbo non liberandis, quia perpetuo caprarum carnibus veſcuntur & earum teguntur pellibus. *de ſacr. morb. Op. T. II. p.* 326. *III.*

a) *Paul. Amman. Irenic. Qu.* 25. *I. M. Valentini pand. med. leg. T.* 1. *p.* 542. Simile ſtudioſis Regiomontanis ex eſu putrium carnium contigit, ut in febre ibidem epidemica 1649. *Lud. Keplerus* refert.

bus plus candoris circa pectus eſt. Notat I. M. FEHR, paganum *Würtenbergicum*, qui ſuem morbidam in fruſta ſciſſam, aceto maceratam & fumo expoſitam poſt tres menſes edere cum ſuis cœpit, intra octiduum doloribus capitis, vertigine, tumore faciei & crebris lipothymiis oppreſſum cum filio periiſſe. *b*) Alium *Nordlingenſem* ROS. LENTILIUS commemorat, qui bovem morbidum ſaginatum lanionis cultro clam ſubjecit, ipſe in condiendis carnibus occupatus ex tetro halitu febre maligna & bubone ſub axilla, capitis magnitudinem intra horas XXIV æquante, laboravit, interque deliria & convulſiones deceſſit, nec lanio niſi ægre evaſit. *c*) In Gallia teſte P. BORELLO caput extulit febris epidemica maligna multis funeſta ex eſu veruecum poſt prægreſſam in horum grege luem. *d*) Igitur ſolertes oculi & emunctæ nares cenſoris requiruntur, nec ferinas carnes ſub incipiente fœtore, nec facile mortuos piſces vel ex limoſo ſtagno extractos *e*) ferentis. Cerealium eo juſtior cura habetur, quo eminentiori loco inter ea, quæ ſalubriter nutriunt & univerſos, panis eſt. Decet non cogitare ſolum de ſeminibus optimæ ſpeciei ſub juſto agrorum cultu ſerendis, ſed & iisdem, dum colliguntur, probe repurgandis & tuto adſervandis. Fieri autem ſolet, ut nunc grana frumentorum ſub ipſa prava vegetatione vitium contrahant nunc ſemina miſceantur herbarum agreſtium ſegeti innaſcentium, improbæ ſæpius farinæ, nunc rite horreis illatum excuſſumque frumentum in granariis malæ notæ muceſcat. Oportet publica gra-

naria,

b) *Eph. N. C. Dec. I. A. 6. O.* 191. *p.* 269.

c) *l. c. it. D. III. A.* 2. *O.* 116. *p.* 173.

d) *Cent. II. Obſ.* 32.

e) Nihil fere citius piſcibus putreſcit, ut fœtor eorum brevi ad littora ejectorum docet. *Liparenſes* inuaſit peſtis, cum mare æſtuans pereuntium piſcium copiam ejeciſſet. Tales legiſſe videntur ichtyophagi, quos ideo piſcibus vivere vetuit *Alexander M. Plin. Hiſt. Nat. VI.* 23. Lædunt ſæpe piſces ſpecie ſani ut mytuli, v. *A. R. Behrens epiſt. ad ill. Werlhofium*, & ſquillæ minores, v. *G. Hanæi Obſ*, 213 *in Eph. N. C. D. II. A.* 3.

naria, quæ indigentiæ civitatum conſulunt, ex Varronis conſilio ſublimia ſternere, pavimenta & parietes contra auræ humidæ ex propinquis ingreſſum loricare, neque vero ventis ex oriente & ſeptentrione tranſitum negare. *f*) Huc refer ſolertem apud Afros cerealium cuſtodiam, quam cel. I.F. Hebenstreit deſcribit. *g*) Res non exigui momenti eſt, farra in annos conſervare, plerumque ſi dicta negliguntur, intra biennium in corruptelam tendentia, triticum inprimis, quod judice Plinio *h*) reliquis citius degenerat, & in farina ſubputri & amaricante vitium tam alte inhærens & obfirmatum habet, ut ad ſententiam Fort. Fidelis temere quis credat, poſſe in panibus bis coctis & nauticis tolli. *i*) Inter ſemina, quæ ſegeti cerealium ſe miſcent, non ſolum ſunt cyani, lathyri, lychnidis, convolvuli aliaque fortaſſis parum metuenda, ſed & interdum gramina ex temulentorum genere, ex quo hordeum inquinante parata cereviſia ad furorem inebriat. Meminit Galenus lotii affatim aliquando tritico innati, quod cum neque agricolæ cribris, hinc loliaceis dictis, purgaſſent, neque piſtores, multis ab uſu cœperunt dolores capitis oriri & ineunte æſtate ulcera. *k*) Penitius ad proprios cerealium morbos

f) *L. I. de re ruſtic. C.* 57. Laudat quoque ſub terris ſpeluncas puteosque palea ſubſtrata, cum cautione, ne humor vel aer accedat, niſi cum promitur ad uſum. Ita ait curculionem non oriri, & triticum per annos quinquaginta intemeratum manere.

g) *In anthrop. forenſ. S. I. C. II.* §. 23. *p.* 89. In *Numidia, Lybia, Mauritania*, ubi maximus frumenti proventus, illud ſervant incolæ in excavatis ſub arenoſo ſolo puteis, & tegunt ſtrato arenæ, unde nec putrilagine nec curculione tentatur.

h) *Hiſt. Nat. L. XVIII. C.* 30.

i) *De relat. med. L. I. S. IV. C.* 1. *p.* 128. *ne aſſati quidem panes*, inquit, *priorem noxam deponunt. Galenus III. de ſanit. tuend.* agit de communi morbo uſum ſemiputridi tritici ſecuto.

k) *L. de alim. facult. c.* 37. Bene commendat curam purgandi ſeminis, quod ob exiquitatem ſenſus noxa non ilico percepta cum tempore erumpat. Defecabant olim cribris, imo ſigillatim optima ſemina legebant, ut ſererentur ſine vitio.

morbos attendendum eſt, quorum ultra centenos aliquis in conſeſſu ſocietatis regiæ Londinenſis numeravit. Sub tempeſtate parum propitia occurrunt, quæ peſtis inſtar afflant ſegetes & contaminant. *l*) Rubigo morbus cerealium eſt, qui a PLINIO malum cœleſte adpellatur, *m*) dum grana ex vitioſo terræ ſucco maturando nigreſcunt. Incredibilem hic animalculorum copiam ANT. V. LEEVENHOECK conſpexit, *n*) cum qua coargui poteſt fœtens nebula exhalantem vegetabilis ſuccum figens & inquinans. Occurrit paſſim frumentum corniculatum farinæ quidem candidæ, ſed ſtupefacientis. Naſcuntur in glumis corpora longa fungoſa nigra corniculis ſimilia, qualia niſi ſeparentur a granis genuinis, ſtupores ab uſu ſoporesque, imo mortem pariunt. Mirabilis annonæ caritas in Gallia nata eſt *o*) ex ſecali degenerante in clavos, ipſos quidem non mali ſaporis, at reperti ſunt a pane inde confecto velut ebrii & poſtea gangræna extremorum prævio ſtupore correpti, ut huic manus caderet, illi digitus, iſti naſus, non prægreſſis vel febre, vel inflammatione vel magnis doloribus. Haut dubitavit I. CONR. BRUNNERVS nigra illa cornicula ſeu grana ſecalis degenera pro venenatis ex ſua experientia declarare, *p*) eo quod incolæ ab eorum uſu non modo miris convulſioni-

l) Tria maxime vitia cerealium notari ſolent: *Treſpe* ſeu vilius ſecale & quodammodo ſub humidiori tempeſtate degenerans; *clavi ſecalini, Mutterkorn*, ubi grana magnitudine, forma & colore luxuriant: *uredo*, tritici ſæpius quam ſecalis vitium, peſtis frumenti & quaſi ſphacelus. v. *Breſsl. Samml.* 1718. *Cl. V. ian. p.* 594. *&* 1717. *Cl. IV. ſept. p.* 73.

m) *Hiſt. Nat. L. XVIII. C.* 30.

n) *In continuat. arcan. detect. ep.* 104. Ita & in piſis ſcribit *I. C. Brunner* inſolitum inſecti genus acutis roſtellis pertudiſſe opercula & anplaſſe, *Eph. N. C. D. II. A.* 2. *O.* 244. *p.* 346.

o) v. *Hiſt. R. Sc. Pariſ.* 1710. *p. m.* 18. ſur le bled cornu appelle Ergot. Aliis inde natæ ſunt febres malignæ cum ſopore & delirio. Fuſius hoc argumentum proſequitur, *Rud. Iac. Camerarius in Eph. N. C. Cent. V. VI. O.* 82. *p.* 343.

p) *Eph. N. C. D. II. A.* 2. *p.* 348. Confer. *Io. G. Hoyeri* obſervationem morbi epidemici, qui multos Muhlhuſii, etiam robuſtiores, adfli-

ſionibus tentati fuerint, ſed & inde extrema ſphacelo emortua, maxime poſt uſum panis ex clibano recens extracti. Quæ res monet magiſtratum, ut iis maxime annis, quibus morbus ſegetem invadit, per homines rei frumentariæ gnaros vigilet, ne vendantur talia, ſi ipſa ſeges defendi non poſſit, imo & aliis temporibus, ne vetuſta grana & annoſæ corruptæque farinæ & mixta imprudenter farra extent venalia. Habent & olera fructusque ſua vitia non modo in proprio germine, ſi cœlum propitium non eſt, ſed ex ignorantia colligentium, qui quadam ſimilitudine deluſi alia & noxia miſcent, folia petroſelini & cicutæ, radices hujus & ſtaphylinos ſativos, ſæpe in uno loco germinantia. Baccæ ſolani furioſi ceraſis ſimiles craſſo etiam errore pro ſucculentioribus baccis myrtillorum ſunt venditi, *q*) ſemina hyoſciami cum papaverinis mixta. Anceps cibus eſt fungorum dubia manu collectorum, inter quos tam noxiæ ſpecies ſunt, quæ nunc ſuffocant, nunc erodunt, nunc ſtupefaciunt. Ipſi autumnales fructus, ſub parciori uſu laudabiles, ſolent in multorum ingluvie dyſenterias & choleras parere, ut opus interdum fuerit ſucculentiores, quale genus quoddam flavorum prunorum, aditu ad civitatem excludere. Inter hæc paſcuorum, inprimis publicorum, ut valeant armenta gregesque, cura negligenda non eſt, & illa, quæ noxia pullulant, mature evellenda, ut rorella, colchicum, ſolanum furioſum & alia, quorum illa oves lædunt, hoc boves in rabiem agit. Inſtruit animalia quidam noxiorum ſenſus, ad eum interdum fames obtundit.

§. XII.

Potulenta, quæ publicæ cenſuræ ſubiacent, præter aquas a plerisque in potum faſtiditas, ſunt vina & cereviſiæ.

xit, cum a rore melleo grana ſiliginis nigricantia & monſtroſa naſcerentur, quorum inſalubrior farina ipſis brutis nauſeam pareret. *Eph. N. C. D. III. A. X. O.* 93. *it. Cent. I. II. App. p.* 51. § 8.

q) Quod teſtatur *H. B. Ruppius in flora Ienenſi Edit. Haller. p.* 252 *ſub voce bella donna.* Id factum ait non ſine ſtrage comedentium vel perturbatione mentis.

viſiæ. Illa ex fructibus, inprimis vuis, hæ ex cerealibus, inprimis hordeo, illa in uſum calidiorum, hæ magis frigidiorum regionum ope fermentationis parantur. Non ſunt potus illi ab arte & luxu invecti tam innocentes, quam quos natura in aquis obtulit, inebriandi quippe lædendique vires, nervis maxime metuendas, ſub illecebris ſuis recondunt. *r)* Neque tamen ſpernendi ſunt in juſto gradu fermentationis, quæ brevior haud evoluit ſatis ſpiritus, protractior perdit evolutos & vappam relinquit. Multa Italorum vina ſunt verius cocta muſta adpellanda, hinc inſalubriora, neque ut par erat fermentatione defecata. *s)* In Hiſpanis etiam & Inſulanis velut muſti dulcedo perſiſtit, ita debilior arguendus eſt fermentationis gradus. Præferenda igitur ſunt, quæ ex bonis maturisque vuis expreſſis legitimam fermentationem ſubierunt, qualia ſub moderato uſu coctionem juvant, flatus diſſipant, languentes motus viſcerum excitant, ſpiritus gignunt, vires recreant, & ipſa ſeuſuum animique miniſteria roborant. Omiſſo variæ ſalubritatis diſcrimine, quod ex climate, ætate, conſiſtentia, & præſertim ſapore, odore coloreque peti ſolet, *t)* artes tantum attingimus, quæ fucum, imo noxam vinis pariunt,

r) Res quam nervis & cerebro inimica ſit in dubio menſuræ limite, graphice *I. E. Hebenſtreit* in definitione ebrietatis exponit. Hanc veram vocat phrenitidem & minimorum in cerebro vaſorum inflammatorium, ſtatum, unde quilibet, quantum in ſe delinquat, ſi ebrius eſt, intelligit. *l. c. S. I. C. II.* §. 15. *p.* 72.

s) Quid autem ab ipſo muſto, fermentationi proximo & dolia ſæpius rumpente in corpore calente metuendum non eſt? ubi ſane imprudens uſus dyſenterias & choleras periculi plenas peperit. Suffocati ſunt multi ſubito vapore muſti. v. *P. Borell. C. II. O.* 4. *Breſsl. Samml.* 1717. *Oct. p.* 220.

t) Cum *Bechero* plerique triplicem vini ſubſtantiam conſiderant, ſummam, quæ ſpiritus continet, calefacientem & inebriantem, mediam quæ partes mucilaginoſas & oleoſo ſalinas complectitur, nutrientem reficientemque, infimam, quæ tartari eſt, laxantem alvum &c. Plenius contenta vinorum in tabulis ſuis expreſſit *Caſp. Neumannus,* vnde patet e. c. plurimum tartari in vinis Hiſpanis eſſe, minimum ſpiritus, plurimum aquæ in vinis Rhenanis, Moſellanis & Gallicis vulgaribus eſſe, minimum

pariunt, & magiſtratum damni inde oriundi vindicem requirunt. Ferri fortaſſis poſſunt offuciæ, quæ nunc turbida vina albumine ovi clarificant, nunc acida cretaceis mitigant, nunc colores intenſius flavos ac rubros vel ſaccharo uſtulato, vel ligno ſantalorum & myrtillis conciliant, nunc minus grata floribus ſambucinis ſapore vini moſellani imbuunt, quæ tamen latens vitium ſpe lucri celant magis quam in præſidium valetudinis corrigunt. Qui vina novella & vetera miſcent, vel vilia vuis paſſis & paſſulis, ficubus aliisque & ipſo ſpiritu vini exaltant, habent quoque, ſi dextre id fecerint & moderate, quo ſe excuſent. At merum beneficium eſt, ſeveriſſimis legibus inhibendum, lithargyro, mercurio ſublimato & ipſo arſenico uti. Tangit St. Fr. Geoffroy *u*) graviſſimas & immedicabiles noxas a potu vinorum, quæ acidiora per lithargyrum immiſſum nefando mangonio edulcorantur. Sed tantæ iniquitatis veſtigia ſtrage plurimorum in ipſa Germania abunde deprehenſa ſunt. Torſit diu ingenia latens morbi indoles, cum colica epidemica ſæviret. In Würtenbergico maxime ducatu cum militum rapinis meliora vina ceſſiſſent, & aliquot annis deinceps ob cœli inclementiam auſteriora & acidiora vina paucos emtores reperirent, vendi mox tanquam generoſiora magno pretio cœperunt, cum præſtantiſſimi nectaris ſaporem ex lithargyrio accepiſſent. Siſtit Eberh. Gockelius *x*) totum illud improbæ miſcelæ myſterium cum ſerie malorum ſubſecutorum, colica convulſiva, contracturis, obſtructione alui, perturbatione mentis, tabe aliisque, quæ lithargyrii adſtringentis, ſiccantis, erodentisque viribus debentur. Inquiſivit ſolerter in has vires I. C. Brunnerus; *y*) cum vel rumor ipſum doceret, fruſtra lithargyri in cadis reperta vel tincturam ex eo paratam vinis permixtam fuiſſe. Infudit cani pulverem lithargyri aceto ſolutum coctumque,

tartari; ſpiritu abundare malvatica &c. in *tr. v. Thee, Coffee, Bier u. Wein. Lipſ.* 1735. *p.*458.

u) *De mat. med. T. I. p.* 275.

x) *Eph. N. C. Dec. III. A.*4. *O.*53. *&* 30.

y) *Ib. Dec. III. A.*4. *O.*92.

ctumque, & in corpore exſtincti læſiones reperit, unde mala illa pullularent. Mulierculæ meminit I. IAC. FR. VICARIUS, z) quæ arcanum jactans vino acido dulcedinem & ſaporis gratiam conciliandi nil aliud quam lithargyrium cum bolo communi vino incoctum aliis deinde in dolio vinis permiſcere didicerat; unde vero ſtatim ab uſu gula conſtricta, anxietates præcordiorum natæ, dolores flatusque colici & alia: fuit quoque qui convulſus moreretur. Pejor corruptela eſt a mercurio ſublimato & arſenico, a) quas omnes miſcelas in vinis adulteratis detegere CASP. NEUMANNUS docuit. b) Haud ſiceram hic tango ſeu omnem alium potum inebriantem vino oppoſitum, ex pomis maxime pyrisque Anglis familiarem, cito aceſcentem & brevis ætatis, nec palmea vina Aſiæ populis jucunda, at capiti infeſtiora. Nobis ad ſeptentrionem ſitis cereviſiæ placent ſinceræ, defecatæ, magis nutrientes vino, & gratum a lupulo amarorem, qui corruptioni reſiſtit & coctionem juvat, conſecutæ magnæ apud nos varietatis, ſed nec priſcis ignotæ. c) Multa tamen & hic negligentius fiunt, et

z) *Ib. O.* 100. *p.* 208. Confer, quæ *I. C. Weſtphalus* de illo morbo in Suevia ſub nomine *Weinkrankheit* recenſet, ſimulque *Gockelii Brunneri*, *Vicarii Jägerſchmidii* aliorumque uno ore hanc communis morbi cauſſam arguentium iudicia tangit. ib. *A.* 7. *O.* 134. *p.* 228. Legendus quoque *Zellerus* eſt de *vino lithargyrio mangoniſato.*

a) Attigit ſuccincte *Sam. Ledelius in Eph. N. C. D. II. A. 6. O.* 29. *p.* 83.

b) *l. c. p.* 433. Docet lithargyriatum vinum cognoſci extractione auripigmenti cum aqua calcis vivæ, tunc enim vinum ſaturni expers colorem non mutare, ejus vero particeps colorem fuſcum rubrumque & atreſcentem ſuſcipere. In vino, quod mercurius ſublimatus infecit, ſpiritum ſalis ammoniacum vel aliud alcalinum, ſi arſenicum, ſolutionem ſaturni in aqua forti tentare jubet.

c) *Oſiris* populos docuiſſe dicitur, quibus vitis deeſt. *Herodotus* οἶνον κρίθινον vocavit, *Ægyptii* Zythum, unde & *Columella* Peluſiaci pocula Zythi dixit. *Plinius* ipſa voce cereviſiæ utitur, dum Occidentalis populi ebrietatem frugi madidæ tribuit. *H. N. L.* 14. *C.* 22. Cenſura *Dioſcoridis* & *Galeni*, quod flatuoſus potus ſit pravi ſucci, qui male

& occurrunt paſſim cereviſiæ rancidæ, craſſæ, feculentæ, *d*) ipſis vinis corruptis nocentiores & majori noxa inebriantes. Sunt qui eas æſtate aceſcentes alcalinis emendare contendunt, unde mictus cruenti nati & alia mala graviora. Mixto hormino vel ſemine cuculi inter atroces capitis dolores & omnem ſenſum obfuſcantes cereviſia inebriat. De ledo ſeu roremarino ſylveſtri dementantem ebrietatis vim teſtatur SAM. LEDELIUS. *e*) Satis noxæ in ingluvie eſt, frenanda certe manus, quæ novas gulæ & valetudinis inſidias machinatur, a quibus non excludo cereviſias illas oppreſſa fermentatione ſalientes & addito ſaccharo & aromaticis grate ſpumeſcentes. *f*)

§. XIII.

Merito hic quæſtio incidit de vaſis metallicis ad uſum culinarum revocandis. Omni ævo præſtantiora viſa ſunt & durabiliora ex cupro & ferro, ob duritiem, qua viribus fundentis ignis fortius reſiſtunt. Neque vero diffiteri fas eſt, rubiginem fere perpetuam vaſa ferrea occupare, nec multo plus cupreis parcere utramque autem cibis crebro uſu permixtam vix tuto intra corpus, quod metalla non ſubigit, recipi poſſe. Quamvis enim medicamenta

diſtribuitur, haud convenit noſtro ævo, legum fermentationis & condiendis lupuli magis gnaro.

d) De quibus *Henrici Abricenſis* judicium apud *Car. du Freſne* locum habet:

quid ſpiſſus illa
dum bibitur? nil clarius eſt, dum mingitur. Unde
conſtat, quod multas feces in ventre relinquat.

e) *Eph. N. C. D. II. A.* 8. *O.* 85. *p.* 199.

f) Hæc cereviſiæ lagenulis ſub primis fermentationis niſibus ſuſceptæ diſtendunt miſere flatibus. Nobilis ſitiens ea avide pota periit omnibus fruſtra tentatis, & in cadavere expanſa ſupra fidem flatu inteſtina adparuerunt, ut ex Pariſinis actis recenſet. *Herm. Bœrhaave ad inſtit. med.* §. 703. *in prælect. Ed. Hall. T.* 6. *p.* 136.

menta ex ferro & cupro non contemnendæ virtutis ſuppetant, corpus tamen perfecte ſanum utrisque læditur, minus forſan a ferro, quippe ſolubiliori, cujus uſum jactant hodie plerique, at certe ſub longiori uſu extra verum indigentiæ ſtatum, ita tamen ut plus ſemper a cupro metuendum ſit. Jam Dan. Sennertus vim veneni in cupro metuens monuit acriter, ne eſculenta & potulenta in vaſis cupreis coquantur & adſerventur, quod nauſea, vomitus, cardialgiæ, tormina eroſionesque ſubſequi ſoleant. g) Lethalem uſum leguminis ex aere cocti commemorat Io. Rhodius, h) & famulæ mentionem facit Ios. Lanzonus, quæ cibum a monialibus ex vaſe ejusmodi, acceptum filiis præbens mox tota nocte vidit horrendis vomitionibus & alvinis dejectionibus adflictos. i) Ipſam matrem ſuam ſcribit I. D. Mauchartus acetariis admodum delectatam, cum copiam lactucæ agninæ probe mundatæ & in pelvi cuprea cum aceto & lardo præparatæ comediſſet, mox tanto vomendi impetu correptam fuiſſe, ut ipſa viſcera ejicere ſibi videretur. k) Similia ibidem habet de lacte vaccino ex cupreo vaſe adſumto, unde generoſa perſona cum coqua, nutrice & tribus ancillis tam male ſe habuit, ut omnes domus anguli vomentium niſibus perſtreperent. Quo nomine etiam lac in cupreis vaſis venale ob adflatum æruginis Gottfr. Thomasius inter cauſſas epilepſiæ enumeravit. l) Nec dubitat St. Fr. Geoffroy edulia, imo ipſam aquam ali-

quam-

g) *Pract. L. VI. P. VI. C.* 10.

h) *Cent. III. O.* 95.

i) *Ephem. N. C. D. III. A. VII. & VIII. O.* 102, *p.* 169.

k) *Ib. Cent. I. O.* 13. *p.* 54. pluribus rem exemplis illuſtrat, ex quibus unum eſt de puella enormi vomitu exſtincta. In ſcholiis adjecta eſt *Ant. Valliſnierii* obſervatio de triga monialium ex paſtu triticeo cum butyro & oleo ob æruginem ex vaſe cupreo ingreſſam graviter laborante.

l) *Eph. N. C. D. III. A. III. O.* 192. *p.* 326. inter hæc attendere jubet, quibus morbis artifices, qui aes & orichalcum adſiduis manibus tractant, conflictentur. Patere putat, vix unum inter tintinnabularios reperiri tremoribus aut ſiderationibus haud obnoxium.

quamdiu in vaſis cupreis detentam gravis noxæ ream declarare. *m)* Speciatim FRIDR. HOFFMANNUS acetum, vinum ſuccosque acidos, a cupreis vaſis veneni mineralis indolem ſuſcipere docet. *n)* Mirum non eſt ſub tanto conſenſu auctorum ſuadere multos cum *Rouſſeau*, *Thierry* *o)* & eruditis in Suecia viris, ut abrogatis vaſis cupreis ferrea ſubſtituantur. Diſpiciemus paucis, quæ ratio hujus judicii ſit, & quo limite reſtringenda? Cum tot annorum decurſu cuprea ahena in coquendis cereviſiis, parandis pharmacis & variis condituris, impune adhibita fuerint & etiamnunc adhibeantur, imo ipſa olim vaſa divino cultui ſacrata ex aere conflata fuerint, magna ratione niti cenſura debet, quæ vaſa cuprea in univerſum damnat. Metalla in pollinem redacta ſunt inſipida nec humoribus noſtris miſcibilia, niſi ab acido in vitriolum redacta, ut adeo vis arrodens non ſit metallo propria, ſed a ſale ſolvente. Sane gummoſa, gelatinoſa, mucilaginoſa, quæ cibis maxime ſerviunt, coqui ex vaſis illis metallicis, in quæ ſolvenda nihil virium habent, ſine metu poſſunt. Juſtior vero metus eſt a ſalinis & acidis, pinguibus etiam & oleoſis, quæ partim in ſinu ſuo acidum gerunt, partim & ipſa impurius metallum penetrant. Ab his igitur, quin & ipſo ærei acidi attactu arrodi vaſa tum ferrea tum etiam cuprea poſſunt. Verum nec illa acida, ſalina, oleoſa & pinguia nimis ſunt metuenda, modo a coctione non ſerventur in vaſis illis & frigeſcant. Plus enim in frigore & quiete ſolvunt quam momento coctionis. *p)* Eximia ad totam hanc quæſtionem enodandam experimenta attulit vir illuſtris I. T. ELLERUS, coquendo in binis novis

m) *De mat. medic. T. I. p. 302.*

n) *Clauu. in Schrœder. L. III. C. 12.*

o) *In Diſp. ſub Camillo Falconet p. 1649.* Non negat, vaſa ferrea facilius arrodi, at ſi ab uſu ſtatim mundantur, & ſingulis menſibus ſolertius defricantur, nihil incommodi adferre putat; neque in tam vili pretio celeriorem conſumtionem metuendam eſſe, nedum audiendos coquos, qui coquenda in vaſis ferreis gratiam perdere, facile aduri, gradumque ignis hic ægrius determinari clamant.

p) Vir cl. *I. B. Pott in libello hujus argumenti Dreſd.* 1754. edito ſolutionem docet plus fieri in frigore quam calore p. 24. & 26. atque de hoc

vis ahenis, altero ex cupro, altero ex orichalco, cujus baſis cuprum eſt, varias cibi potusque ſpecies in omni naturæ regno obvias, ſimulque attendendo, an aliquid & quantum cupri in coctione decederet? *q*) Alia opus non fuit via, quam in fluidis reſiduum ab evaporatione ſcrutari, vel etiam ante hanc aliquid ſpiritus ſalis ammoniaci inſtillare. *r*) In reliquis ſufficere potuit, expreſſo liquido reſiduum calcinare, cineresque idoneo menſtruo explorare, cum ab acidis imo & fixis alcalinis color viridis, a volatili alcalino cœruleus ſit proditor latentis cupri, ne de ipſo nauſeoſo & auſtero ſapore aliisque dicam. Ita inter experimenta patuit, aquam bihorio in his vaſis coctam nullum dediſſe ſoluti cupri indicium, dediſſe autem coctam cum ſale, neque id quidem, ſi ſalis cum aliis eſculentis permixti actio in contenta potius quam fundum & latera vaſis converſa fuit. In infuſo coffee, lacte, cereviſia hordei lupulata, carnibus, piſcibus, oleribus, farinis nihil admixti cupri adparuit vel leviſſimi momenti. *ſ*) Agnoſcit vero Vir illuſtris vinum, acetum, ſuccum citri & alia acida ſuſcepiſſe æruginem, *t*) quin & alia diu in his vaſis ſervata, ob ipſius aerei acidi

omnes ipſo colore ſaporeque cibi convinci p. 44. In coctione autem bullulæ tegunt fundum & defendunt. Conf. *Lemery cours de Chymie p.* 206.

q) Prælecta hæc ſunt ſocietati regiæ Berolinenſi experimenta & excerpta a *G. Fabricio* Berol. 1735, donec actis publicis inſerantur.

r) *l. c. p.* 11. idem notat cl. *I. B. P. Pott l. c. p.* 31. aquas per totum diem coctas in cupreo vaſe non virideſcere nec ſaporem mutare, at cito a ſalitis aquis, etiam extra vim ignis. Dicit quidem *S. F. Geoffroy l. c. T. I. p.* 275. non plumbum quidem, at cuprum & ferrum ex aqua contrahere æruginem, oſtendit quoque *de la Planche* æruginem in aqua. A certos nos eſſe oportet de aqua puriſſima & ſalium experte.

ſ) Carnes cum ſale, oleribus, paſtinacis flavis, aliæ cum cepis, allio, raphano ruſticano, lardum cum pomis pirisque, marmelada vulgi ex ſucco baccarum ſambuci & prunorum aliaque cocta vix veſtigium æruginis dederunt. *l. c. p.* 14. *ſq.*

t) Ex libris V. vini gallici grana XXI æruginis, ex aquæ libris V cum ſalis unciis IV grana XX obtinuit in aheno ex cupro non ita ex orichalco. *l. c. p.* 11. & 14.

acidi contagium. Unde haud temere concludit, minime abolendum eſſe uſum cupreorum vaſorum, imo ſi quid cupri intra corpus admittitur, haud protinus veneni nomen mereri, ſed pro gradu miſcelæ nauſeam, vomitum anxietatesque aliquamdiu parere. Præferre etiam cuprea vaſa ferreis non dubitat cl. *Pott*, quod hæc conſtantius ferrugo inquinet, & ſervari in munditie vix poſſint. *u*) At jam ex veterum ſapienti inſtituto ſatis tutelæ eſt in ſtanno ferrum & cuprum obducente & erroribus circa delectum coquendorum occurrente. Nam ſtannum crudum & purum non auſcultat acidis niſi fortiſſimis & culinæ ignotis, *x*) præterea firmiter adhæret metallis & ab attactu ſolventium defendit. Objicit *Rouſſeau*, facile ſeparari ſtannum, id autem fieri tunc largimur, ſi vel rudior manus in defricandis vaſis vim nimiam impendit, quæ modica ſufficere poterat, vel ſi igni ſtannum facile liquefacienti vaſa illa admoventur ſicca & vacua. Si enim fluida continent vel ipſam aquam, nihil ſtanni ſub viribus coctionis decedit, nihil ejus per gradum caloris, qui ferventis aquæ eſt, liqueſcit. Plus cogitare convenit de puriori ſtanno, quo vaſa obducuntur. *y*)

§. XIV.

u) *l. c. p.* 43. Suecos exiſtimat *p.* 50. quia ferro abundant, invexiſſe primos & lucri cauſſa commendaſſe uſum vaſorum ferreorum.

x) Sola aqua regia *H. Bœrhaave* putat ſolvi ſtannum crudum, at calcem ejus ab omni acido facile liqueſcere. *El. Chem. T. I. P. II. p.* 40. Sit ita, contextum crudi ſtanni etiam alia quædam penetrare, certe talia ſunt ab uſu culinarum aliena.

y) Stannum mixtum debilius adhæret & defendit, miſcentur vero plerumque uni libræ ſtanni unciæ duæ cum dimidia ſtanni, & ſic alia, ut mirum non ſit, quæ vaſis ejusmodi ſtanneis adſervantur, fructus, cucumeres, olivas vim ſenſim arrodendi mutato in ſuperficie ſtanni colore arguere. De hoc docte agit *diſp. ill. Buchneri Reſp. I. A. C. Höfflero Hal.* 1743. Quæ obſervata ſunt de cocto juſculo carnium per noctem in vaſe ſtanneo quieſcente infuſis altero die tribus ovis, quæ tribus comedentibus crebros per noctem vomitus pepererunt, notatis in ipſa patina ſub ſitu ovorum maculis, poſſunt fortaſſis magna parte vel ipſius

§. XIV.

Occurrunt plura, quæ magiſtratus attentionem & ſalutaria pro civium valetudine inſtituta poſtulant. In deſuetudinem venerunt exercitia gymnaſtica pro gradu ætatis varia, quæ olim durabant corpora & optabilem ad omnes in republica functiones ἐυεξίαν comparabant. Vileſcunt & hodie balnea, quæ par quidem fuerat a veterum luxu tueri, at & fas eſt eorum ope munditiem corporum, ut perſpirent ſalubriter, in quo tantum ſanitatis momentum ſitum eſt, ſub publici inſtituti favore conſervare. Cum mucoſum ſenſim in omnibus aditus cutaneos occludat, ingredi balnea aliquoties per annum convenit, iis præſertim, qui ad morbos articulorum procliviores ſunt vel ad rigiditatem cutis & maciem. Huc maxime refero, quorum ſub duro vitæ genere cutis crebra ſorditie ſqualet, ex quibus non niſi paucis licet in privatis ædibus loca balneis opportuna adornare. Quid de re obſtetricia dicam? a qua ignaras ſolertius arcere mulierculas oportebat; quid de empiricis? quorum effuſa temeritas arctiori freno eget. Præſertim vero tuenda ſunt civium capita ab externis, quæ vitæ & ſanitati minantur, periculis, loca præcipitia & ruinoſa firmanda, rabida animalia protinus occidenda, furioſi & admodum melancholici non ſine cuſtodibus relinquendi, infecti ſecludendi & putida inprimis proſtibula ſeverius ex urbe expellenda. Quid in majus magiſtratus opprobrium cedit, quam ferre lupanaria & illa libidinis infauſta incendia, vel quod magis probroſum, vectigalia inde exigere? Sane eminet inter omnia, quæ ad externam incolumitatem & incrementa civium pertinet, ipſa vita & ſanitas civium. z)

DIS-

ſaliti juſculi vel ovorum vitiis tribui. Novi certe plurimos, qui ova pridiano juſculo in vaſe ſtanneo infuſa ſine omni noxa comederunt. Suadendum tamen omnino eſt, ut in nullo vaſe metallico diu nimis eſculenta quieſcant.

z) τιδ᾽ ἐςὶ μείζων ἀγαθὸν ἀνθρώποις *Plato* inquit in *Georgia*. ubi ſimul medicos circa maximum in republica bonum verſari concluditur.

DISSERTATIO
DE
COCTIONUM PRÆSIDIIS EVACUANTIUM AB USU EVERSIS

PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 20. SEPT. 1758.

RESP.
COSMANN ULLMANN,
MANHEMENSI.

§. I.

Cruditas, coctio & criſis præſagia medica de exitu morborum vel in ſalutem vel mortem vel aliud ægritudinem genus ita inſtruunt, ut ad eorum ſimul, quæ agenda vel omittenda ſunt, cognitionem propiori via & ſalebrarum experte deducant. In hoc genuinum conſiſtit, nec in tanta, quam jactant, ævi noſtri luce diſſimulandum *Hlppocraticæ* doctrinæ decus, quod plus veri ſolidique auxili ad ægros derivat, quam tot ſpinoſa theoriæ medicæ ſyſtemata, quæ ſub ipſa argutiarum ſuarum mole ruunt, certe a præcipuo ſcopo abducunt nimis. Minime Deus vitæ noſtræ tam fragilis præſidia lubrico adeo loco collocavit, ut arrogantiæ humanæ, quæ inter minimarum abditarumque rerum

ſcrutinia vix corticem penetrat, nec niſi obſcurum ſub tenui veritatum crepuſculo cum veris medendi legibus nexum reperit, ſpolium eſſe voluerit. Oculi, qui Naturam quaſi de facie cognoſcere audent, neceſſario ad tantum fulgur hebeſcunt, timidi & verecundi præſtant, qui ad ſola obvelatæ Naturæ veſtigia reverenter attendunt. Rigor obſervationum, quas hodie oſcitantius, velut vana doctorum hominum commenta avidius conſectamur, certius tamen omni ævo in cognitione morborum & medicaminum adminiculum præbuit, nec ultra, quam filum illud ducit, argumentari fas eſt, nec juvat, quidquid in progreſſu lacunarum eſt, meris conjecturarum ſordibus implere. Veteres probe gnari, in quo potiſſimum rei medicæ cardo verſetur, inter ſolertiſſimas ad lectulos decumbentium excubias ad omnes morbi in vario ſtadio ſuo mutationes, pro ratione temperiei, ætatis, ſexus, locorum temporumque, & ſimul ad leges, quibus Natura vincit vel ſuccumbit, attenti longe vicerunt recentiorum merita, quibus etiam inter tot nova inventa mechanica, phyſica, anatomica, chymica aliaque manet *Hippocratis*, horum prope omnium ignari, venerabilis, tanquam fatidici in morbis oraculi, auctoritas: *a*) claro indicio, plus medici roboris in ſimpliciſſimis ejus præceptis, ex ſolius Naturæ medicatricis intuitu ſtabilitis, quam in illis, quæ acceſſerunt, doctrinæ ſuæ offuciis latere. Agnoſcimus eruditorum ex parte utilem & cultioribus ingeniis dignam operam, at illud ſimul Celsi judicium eorum obhæreſcere animis optamus, ſplendida iſta rationis inventa, etiam ab omni fuco repurgata, non facere medicos, ſed aptiores medicinæ reddere, non pertinere proprie ad artem, ſed eam ornare artificumque excitare ingenia. *b*)

§. II.

a) Medicus Hiſpanus in libro, cui *conſultationum medicarum* titulum inſcripſit, ſiſtit medicos in varias ſectas diviſos, circa ægrum diſſentientes & nunc hæc nunc illa commendantes, quos vox una in *Hippocrate* agnita ſedat & conciliat. v. *Herm. Boerhaave præl. in Inſtitut.* §. 934. *Haller edit.* T. VI. p. 298.

b) *de medicin. L. I. præf. p. m.* 13. Addit, *Hippocratem, Eraſiſtratum* & quoscunque alios rerum ſimul naturam ex aliqua parte ſcrutatos non

§. II.

Cruditas eſt ſtatus corporis viventis, in quo illud vel totum vel in membris quibusdam ejusmodi materia obſidetur, quæ partium ſuarum præter naturam mole, figura, mobilitate, inertia aliisque ſuis jam depravatis dotibus conſuetas exercendarum functionum conditiones lædit, id eſt, morbum parit. Non ſolum cruditas illa ſpectanda in fluidis eſt, quorum nunc craſſities vel tenuitas nimia vel acrimonia variæ ſpeciei coarguitur, nunc ipſa etiam copia nunc ingreſſus in vaſa minora, in quibus emetiri curſum ſuum naturali lege non debebant, ſed etiam in ſolidis nunc nimis ſtrictis vel laxis, nunc quæ vulnerum ratio eſt, ſolutis. Omnia ſigna præſentis cruditatis illo ſenſu ſumtæ, quo morbum creat & alit, facile colliguntur partim ex ipſis læſis functionibus, partim ex receſſu tum fluidorum, ſive ſub lege circuitus poſita, ſive ſecreta, ſive excreta conſiderentur, a ſanis ratione copiæ, indolis & viarum ſuarum, tum ſolidorum ab eadem naturali norma, ſub qua juſtum in actione ſua tonum tuebantur, vario gradu deflectentium. Patet nullo interprete, vigorem morbi eſſe, in quo iſta durant & augentur, coctioni autem tribui debere, ſi miteſcunt ſenſim vel abolentur. Aliam medicus ſpectat cruditatem, quæ ab ingeſtis eſt, antequam adſimilantur, aliam a cauſſis internæ corruptionis natam, quæ nunc nomine cacochymiæ humores inquinat antea probos coctosque, at in circuitu ſuo vel ſecretionibus & excretionibus varie turbatos ſtagnantesque, nunc ipſa ſolida labefactat & bonæ nutritionis præſidiis deſtituit, nomine cachexiæ. Ingeſtis triplex cruditatis gradus tribuitur, primus, quo ſuam ab ingreſſu in corpus indolem diu adhuc retinent, alter, quo exuunt quidem, at non virtute corporis, ſed proprio in corruptionem ſuæ naturæ conformem & ſpontaneam niſu, tertius, quo novam labem a vitio corporis & affuſis ſibi in ipſo campo primarum viarum

ideo medicos, at majores fuiſſe. Ergo ſic diſtinguit, ut illa magnitudo non ſit propria medicis, ſed adſcititia, non ad neceſſitatem artis, ſed dignitatem & ornatum conferat.

rum pravæ indolis humoribus ſuſcipiunt. Quorum ſi contingit nihil, & ingeſta, ut par eſt, in primæ coctionis officina rite ſubiguntur, nec illiberalem probi chyli commeatum ad interna viſcera mittunt, quorum ille actione ulterius perficitur, detritasque in corpore partes mox reparat & novis ſemper ſuppetiis miniſteria organorum inſtruit, facile tamen ex cauſſis jam recenſitis, imo ipſo vitali attritu, niſi pateat ſtatim effoetis & emeritis partibus exitus, novæ corruptionis opportunitas emergit.

§. III.

Coctio ille ſtatus corporis eſt, qui vel ingeſtum ad normam fluidi inquilini ac nutrientis vitæque munera obeuntis mutat, vel morboſum, quod ab hac ſalutari indole intro adquiſita iterum deſcivit, ad priſtinas agendi leges reducit, & vires ad exercitia functionum requiſitas, jamque læſas, reſtituit. Non hærendum in voce eſt, vel impari coctionis culinaris, qua miteſcunt eſculenta, pede res metienda. Sufficit ex ſtylo veterum, quibus concinnior vox haud facile occurrere potuit, illud Naturæ auxilium intelligi, quod ſimilitudinem ſolidorum fluidorumque cum ſanis, adeoque & priſcam actionum integritatem novo beneficio inſtaurat. Id vero haud aliunde pendet, quam a tritu ſolidorum & perpetua inquilini & elaboratiſſimi liquidi miſcela cum iis, quæ cruda dicimus. Nec alia vis internæ coctionis in corpore eſt, quam quæ a ſimplici & reciproca fluidorum ſolidorumque actione naſcitur, dum humores impulſi dilatando mutant vaſa, hæc vero ſic prius mutata dum ſe ex lege elaſtici renixus arctando reſtituunt, cauſſam motus ſui viciſſim mutant, premendo humores, & quo patet aditus, propellendo, partesque facile coituras a mutuo contactu inter tam oppoſitas motus directiones conſtanter divellendo. Promiſcue hac voce coctionis in ſanis utimur & ægris. c) Ibi, ut jam

c) hic Græcis duplex in uſu vox fuit, *πέψις* & *πεπασμός*. Illa, ut *Jo. Gorræus* ait *in definit. med. p. m.* 501. eſt rerum ingredientium, *τῶν*

jam ex dictis patet, virtutem notat ex ingeſtis bonum chylum, ex hoc in viſcerum internorum foco bonum ſanguinem, inde vero reliquos humores, pro vario uſu tenuiores, partim pro nutritione corporis, partim pro miniſterio omnium functionum parandi. Hic virtutem innuit, quæ eadem actione, ad ipſum morboſi ſtimulum magis inſurgente, degenerem materiam probe ſubactam vel ad ſenſum officii reducit, & corpori in priſtinos uſus reconſiliat, adeoque dotes, quibus prodeſſe poſſit, rurſus impertit, quæ reſolutio vocatur, vel certe ejectam e latibulis ſuis & ſub novo per vaſa motu adhuc immorigeram, tanquam improbæ fidei colonum, a commercio partium, quarum fides corrupta non eſt, non critica expulſione per alvum, ſudores, lotium & alias vias, nunc decubitu ad renes maxime vel crura ſecludit. Eadem igitur arma ſunt, quibus Natura ſanitatem tuetur, & quibus morbos expugnat. Eadem coctio eſt, quæ alienum, quod ore ingeritur, ſegregata & expulſa parte inutili mutat in inquilinum, & quæ morboſum vel repurgat a ſuſcepta labe, vel eliminat. Illud forte diſcrimen dixeris, quod ibi Natura quippe integro virium ſuarum adparatu opus ſuum tanquam in pace peragat, hic quippe reciſa virium parte, altera integra eo inſurgat acrius & in ſpeciem pugnæ cum morbo, ſub qua veteres deſcribunt.

§. IV.

Criſis *d*) eſt momentum illud de vita ægrotantis quaſi decretorium, ſeu ſtatus ille corporis, in quo inter magnas perturbationes

εἰσιόντων, hic egredientium, τῶν ἀπιόντων. Illa mutat ingeſta vi vaſorum & viſcerum in corporis naturam, pro attritis & perditis reparandis. Hic morboſum ſubigit, ſique in eo omnem noxam delere nequit aptum excretioni vel metaſtaſi reddit. Ita *Galenus* coctionis veſtigia in excretis quærens circa adfecta ſpirandi inſtrumenta conſiderat ſputa, circa venas lotium, circa ventrem excreta alui, *de criſ. L. I.* c. 7. 11. 12.

d) κρίσις a κρίνειν judicium notat ſeu ſententiam in cauſſa ægri, tanquam

tiones intro natas ſubita fit in melius vel deterius converſio. Igitur in criſi ex ſententia veterum maxime reſpicimus perturbationes & magnas & ſubitas, e) quas deinde excretiones vel metaſtaſes ſequuntur, pariter criticæ dictæ. Quamvis illud Naturæ in vindicias corporis inſurgentis molimen fit, f) non tamen proſperum ſemper exitum ſortitur, unde nomina nata tam malarum quam imperfectarum criſium. Sunt, qui noſtro ævo minus frequentes morborum criſes ſtatuunt, g) at methodus Naturæ medelam molientis nuſpiam ſuas in corporis fabrica fundatas leges deſerit. Tædium ſollicitæ ad eas attentionis errorem illum hodie peperit, plus etiam ſuſtentauit inuectæ calidioris vel frigidioris diætæ, quæ Naturam in coquendo & evacuando occupatam turbat, evidens noxa, at omnium maxime evacuantium, contra quæ pugnare hic animus eſt, teter abuſus, quo proſtrata virtus laborantis corporis ad pugnam contra morbum vel plane non vel

rei, quem vel abſolvit vel condemnat, magis tamen, nam propitius Natura judex eſt, abſolvit. Quibus κρίνειν idem notat quam dimicare vel prælio dirimere, decretoriam hac voce pugnam intelligunt inter Naturam & morbum. Sunt quoque, qui κρίνειν malunt eo ſenſu ſumere, quo notat ſecernere & excernere, ita ut criſis ſit opus Naturæ poſt coctionem ſecernentis excernentisque. Nihil in his eſt, quod non ſibi mutuo lucem in re ipſa illuſtranda adfundit. Agnoſcamus tamen, *Galeno* judice, non proprie medicorum ſed ignaræ & ſuſpenſæ plebis hanc vocem eſſe, quid ſub his turbis ſubito in corpore natis decernat Natura, anxie exſpectantis.

e) *Galenus de dieb. decret. L. I. C. I. Op Edit. Iuntin. Cl. IV. p.* 145. *E. nos.* inquit, *ſubitam in morbo turbationem criſin adpellamus, & plerumque ad ſalutem, attamen quoque ad exitium terminari adfirmamus.* Qui ſecus de voce ſentiunt, eorum exiſtimat inſcitiæ & contentioni ne *Aeſculapium* quidem mederi poſſe.

f) *de Criſ. L. III. C.* 9. *Op. Cl. IV. p.* 142. *E. Criſis*, inquit, *nunquam fit ſine certamine Naturæ cum morbo.*

g) inter quos ipſe eſt *Jac. Hollerius Comment. II. in L. IV. Coac. Hipp. p.* 398. ita ſcribentis: *apud nos rarius incidunt repentina illa & perturbationis plena judicia, quæ proprie* κρίσεις *adpellant, ſæpius*

vel languidius erigitur. Adde, quod leviorum morborum ſolutio per lentam coctionem, adeoque dictarum perturbationum expertem, id eſt, ſine criſi fiat, imo graviſſimi interdum morbi ſub ipſa ſymptomatum vehementia opprimant in principio ſtatim vigorem vitalem, antequam tentare aliquid Natura in tutelam poſſit. Ex quo concludere pronum eſt, cur criſis toties exſpectata ſpem deſtituat, & quod auſpicatior non ſit quam in ſtatu ſeu apice magnorum morborum, *h*) poſt prægreſſas in ſubſidium coctiones: nunquam tuta in principio vel adſcenſu, *i*) ubi vires morbi præpollent, neque vero in declinatione *k*) facile ocurrens, ubi jam placidiori creſcentis coctionis genio nihil ſe tumultuarii miſcet. Inter hæc dies criticos, in quos illæ criſes certiori ſalutis præſagio incidunt, dum *Hippocrates* ſolerter computat, non *Pytha-*

ſolvitur morbus alterna coctione & excretione. Arguit cœli diſcrimen, intemperantiam vitæ & alia. At præter multos eruditiſſimos viros teſtatur perill. *Gerh. van Swieten*, ſe cum ſumma animi voluptate vidiſſe congruentiam eorum, quæ *Hippocrates* & *Galenus* hic enuntiarunt, cum ſuis obſervatis. v. *Comment. in aph.* 587. *H. Bœrh. T. II. p.* 54.

h) *Galenus de criſ. L. III. C. 6. Op. Cl. IV. p.* 140. *E.* optimam criſin vocat tempore ſtatus, quippe cocto jam morbo. Sic ibidem *C.* 5. *Op. p.* 141. *A.* exquiſitam coctionem, cui malam ſuccedere criſin ne animo quidem concipi poſſit, collocat in tempus ſtatus, additque in nulla ideo re magis exercendum medicum eſſe, quam in præcognitione ſtatus, qui eſt in morbo apex incrementi. Neque hic omittimus verba ejus in alio loco, quo coctionem inſtantem bonæ criſis maximum indicium adpellat. *Siquidem millies,* inquit, *interfui, cum criſes fierent, neminem unquam vidi intereuntem, qui ſuccedentibus coctionibus criſin habuiſſet. De criſ. L. III. C.* 3. *Op. Cl. IV. p.* 139. *D.*

i) in principio nunquam fieri bonam criſin docet *Galenus l. c. L. III. C.* 10. *Op. Cl. IV. p.* 143. *C.* Ibidem ait eam in adſcenſu interimere ægrum vel exaſperare morbum, certe imperfectam & nunquam tutam eſſe.

k) eundem audi *Galenum l. c. L. III. C. V. Op. Cl. IV. p.* 141. *B. morbi, qui ſemel tempus ſtatus præterierunt, ſine criſi perſeverant & paulatim ſolvuntur.*

thagoricorum numerorum, ut Celso viſum eſt, *l*) ſuperſtitione deluditur, ſed quod dextre Galenus monuit, *m*) hæc ſunt nullo ſatis pretio æſtimanda conſummatæ experientiæ axiomata, quæ tempus determinant, quod Natura in coctionem morboſi impendit. Intererat multum, exacta obſervatione id diſcere, quandoquidem ſola coctio arma Naturæ reddit victricia. Cum acuti morbi trium hebdomadum intervallo terminentur, acutiſſimi intra unam, acuti valde intra duas, mitius acuti intra tres, mirabile hujus doctrinæ compendium eſt, ad diem quartum vel ſeptimum ſingularum hebdomadum, tanquam terminum coctionis & bonæ ſupervenientis criſis, vigili oculo attendere. Ita acutiſſimi morbi die quarto vel ſeptimo primæ hebdomadis, acuti minus iisdem diebus ſecundæ hebdomadis, id eſt, ab ortu morbi die undecimo vel decimo quarto, denique leviſſimi ex acutis die decimo ſeptimo vel vigeſimo per ſalutarem criſin ſolvuntur. *n*) Qui morbi viginti dierum limites excedunt, acuti quidem non ſunt, nec tamen ſine coctione, imo nec ſine criſi, ad certum tempus lentioris jam coctionis reſtringenda. Intra novos nempe viginti

l) *de medic. L. III. c. 4. p. m.* 121. *ſq.* ubi de diebus criticis, maxime imparibus, loquitur, & de judicio *Hippocratis*, qui recidivam metuit, ſi alio die febris deſiiſſet. Subjicit, *Aſclepiadem* hæc jure ut vana repudiare, & nihil illis numeris *Pythagoricis*, quam quod antiquis in honore eſſent, rationis ſubeſſe.

m) nugatur hic & delirat *Aſclepiades* judice *Galeno*, ignarus coctionum & naturæ morborum medicatricis. Probat vero magnopere *Galenus Hippocratis* in cognoſcenda criſi principium, ſpectantis vitalem potentiam, qua coctio nititur, in robore vel imbecillitate. *de criſ. L. III. C.* 8. *Op. Cl. IV. p.* 142. *A.*

n) tres hebdomades viginti diebus ita deſcribuntur, ut dies decimus quartus & finis ſit ſecundæ hebdomadis & tertiæ principium *v. Galen. de dieb. decret. L. II. C.* 9. *Op. Cl. IV. p.* 154. *G.* In hoc autem dierum numero diem ſeptimum decretorium fortiſſimum vocat, quartum minus decretorium & ſeptimi indicem. Eadem ei ratio eſt inter diem XIV & XI. nec minus inter diem XX & XVII. *ib. C.* 8. *p.* 154. *F.*

viginti dies tantum criſin exſpectant ſeptimi, & ultra id tempus tantum vigeſimi. o)

§. V.

Cum igitur ubivis expediat, vires morbi & Naturæ inter ſe comparare, id eſt, ſtatum cruditatis & coctionis in omni ſua vel nocendi vel juvandi facultate expendere, habuit omnino *Galenus*, qui alioqui ſub præcipiti perficiendæ artis conatu ſuis hypotheſibus nimium indulſit, cur cum certiori de medicina merito limpidiores ex dictis fontibus aquas peteret, & veſtigiis *Hippocratis* ſtrenue inſiſteret, quem merito admirabilem virum in iſthoc argumento adpellat, ducemque, quem ſequi ſollicite oporteat. *p*) Vix differunt aliquando critica ſymptomata a morboſis, & hinc fluctuantis medici, qui ancipitia viarum hic non cognovit, judicium in omnes partes diſtrahunt. Tale eſt tremor labiorum in febre ardente, nunc ſalutarem nuntians vomitum, nunc funeſtas convulſiones: illum in ſtatu coctionis & tempore critico, ubi jam Naturæ arma prævalent, hunc in ſtatu cruditatis & tempore a criſi alieno, ubi potior vis morbi eſt. Ita interdum ſubito delirium, anxietas, dyſpnœa ſub moleſtiſſima nocte in febre acutiori invadunt, cum præcedentibus diebus tranquillior morbi genius videretur. At & nunc ſiniſtri nihil peritis præſagiunt, ſed inter prægreſſæ coctionis ſigna inſtantes, qui morbum conficiunt, ſudores; etſi medicus tanquam in præſentiſſimo vitæ periculo accitus,

o) hinc de die quadrageſimo, octogeſimo, centeſimo &c. ut criticis loquuntur veteres in morbo longo, vbi adeo ſolus dies viceſimus pro criſi diſtinguitur. *Liquet,* inquit *Galenus, vigeſimi dixi numerum non mediocrem quandam* potentiam habere, *de dieb. decret. L. II. C. V. Op. Cl. IV. p.* 153. *G.*

p) nunc admirabilem vocat *Hippocratem*, nunc dicta ejus admiratione digna, nunc non legenda ſolum ſed & memoranda ſæpius, nunc ducem ſibi fuiſſe ait omnium & auctorem optimarum diſciplinarum, v. *de Criſ. L. I. C.* 13. *Op. Cl. IV. p.* 130. *G. & H. p.* 131. *A. it. L. III. C. XI. p.* 143. *E.*

accitus, ſi rem male inſpexerit, titubat ipſe, omnesque ad vultum ejus attentos novo terrore implet. Nunc circa oculos tenebræ, mox etiam lux, ſpendor, colores, lacrymæ & alia oriuntur, dum optabilem narium hæmorrhagiam, quæ liberat ægrum, imminere, ex ſignis tum coctionis tum opportunitate dierum intelligitur. q) Adeoque non raro inter eadem ſymptomata decumbunt plures, alter evadit, in quo naſcuntur ab auctis poſt coctionem ſub juſto dierum termino Naturæ viribus, alter occumbit inter morbi ſub eadem ſcena ludentis inſidiis. In qua ſane re prudentem medicum non fugit, quanto majus hic ſit præſagiendi medendique momentum, quam in omni ſubtiliori hodie doctrinæ medicæ adparatu. Quodſi coctio id ipſum eſt, quod læſas a crudo functiones reſtituit, hæ vero & numero plures & dignitate præſtantiores ipſa ſunt præcipua Naturæ arma, quæ alienum adſimilant, & morboſum vi nocendi exuunt; palam eſt, turbanda nunquam eſſe in corpore humano præſidia coctionum, turbari vero & labefactari maxime, quod jam oſtendere nitimur, per evacuantium abuſum, ævo noſtro nimis familiarem.

§. VI.

Diffiteri audebit nemo, conſtantiam vitæ proprio motu ſe deſtruentis in eo conſiſtere, ut attrita & corrupta mature, antequam lædere incipiunt, eliminentur, & nova perpetuo ſupplementa ex ingeſtis, coctis adſimilatisque, in expulſarum partium miniſteria dextre ſuccedant. Ita enim corpus inter continuas ſuppetias non ſentit diſpendia ſua, & in eodem ſtatu diu perſiſtit, ſi lentas ætatum mutationes excipis. Etſi vero viſcerum omnium vires in ſtabilimentum ſanitatis hac ipſa lege nituntur, ut noxia expellant & perdita reſtituant; merito tamen agnoſcimus, potiſſimum a coctione, quæ mutat, adſimilat & pura ac utilia ab impuris & inutilibus ſegregat, id pendere, ut hæc patentibus

q) multas in tali criſi præcognoſcenda auctoritates *Hippocratis* proſequitur *Galenus L. III. de criſ. C. XI.*

tibus jam viis ad loca excretionum per Naturam adſignata ſine impedimento tranſeant. Corpus, quod male coquit, male etiam excernit, quod bene coquit, ipſa excretionum vitia emendat. Qui igitur emunctoria Naturæ perpetuis irritant ſtimulis, id quidem haud ægre impetrant, ut illa præbeant multum, at plus etiam, quam ſatis eſt, idque ſub certa virium jactura, iis quippe ſimul exhauſtis, quorum utilior mora in corpore inter protractiores coctiones fuiſſet. *r*) Dudum & merito creditum eſt, robuſtiora corpora eſſe, quæ optime perſpirant, debiliora, quæ per alvum, lotium & ſudores abundantius excernunt. Conſtat, quoties circa finem paroxyſmi in febre intermittente nimio ſudore diffluunt ægri, toties illos a termino ſperandæ ſanitatis adhuc longe abeſſe. Ita ſub aquarum Spadanarum, aliorumque acriorum diureticorum abuſu frequens emerſit diabetes chyloſus, qui laxatis renum vaſis ipſam alimoniam corporis ſub extrema ægrotorum macie transmiſit. Alvum vero qui crebro & intempeſtive ſollicitant, ſecreta in primæ coctionis uſum ſimul ſub illo impetu, quo ruunt omnia & abripiuntur ad alvum, magna parte & cum ſummo diſcrimine emungunt. Iſta enim tanto Naturæ impendio parata comitari chylum

r) nata veteribus, ut *Eraſiſirateis*, non ſemel eſt opinio, purgantibus quæ evacuantur, cum mutatione & corruptione evacuari, non ut talia præexſtitiſſe in corpore. Ut *Theſſalus* olim ita recentiori ævo *Paracelſus* non dubitarunt coarguere medicos, quod ſic bonos humores in putre liquamen ſolvant. Non eſt de nihilo hæc querela, ſi de fortioribus purgantibus ſermo eſt, quæ in ſaniſſimis & ipſis athletis corrupta & iterato uſu corruptiora educunt, vegetumque antea corpus extreme debilitant emaciantque. *Helmontius*, cum ſanus, alacer & integer viribus ob levis ſcabiei malum ſuaſu medicorum purgantibus uteretur, gaviſus primum eſt putrium fœtidorumque ejectorum copia, his vero ſub crebriori uſu nihil diminutis ad tantam mox maciem ſe redactum ſenſit, ut tremerent genua, genæ collapſæ eſſent & vox rauca. *Unde*, inquit, *hæc farrago putridi, niſi purgantium contactus ſaniſſima contanſinet*, *de febr. C. V.* §. 10. *Opuſc. med. inaudit. p. m.* 115. Vereor, ne jactata emetica, quæ bilem ſemper novo vomitu deteriorem ejiciunt, coargui ejusdem erroris poſſint, quod ſub ipſo concutiente motu, qualem nulla liquida humana, nedum bilis, impune ferunt, nata ſit corruptela, quam vident in excretis, minime præexſtiterit.

chylum intro, non allici ad alvum & temere effundi debebant. Tale etiam fit laxato ſyſtemate arteriarum meſaraicarum, quo incredibilis humorum copia ad inteſtina decumbit, & hinc periti medici ad nomen ſeroſæ diarrhœæ coloris cineritii adeo contremiſcunt. Peruertunt nimis excitati toties ad emunctoria ſtimuli naturalem in ſecernendo excernendoque ordinem. Temerarium eſt, tali remedio tanquam univerſali in morbis uti & extra veram corporis indigentiam, imo & pertinacius inſiſtere, corporisque ſic emuncti & deficientis ruinas, quaſi momentaneas & facile ſarciendas vilipendere. Solent maxime pituitoſos, tanquam inertiores, qui ſtimulum moventium facilius ferant, ad crebræ excretionis alvinæ legem adſtringere, cum tamen ſine hac ſub inſurgente vaſorum actione poſſit pituita omnes dotes ad ſanitatem requiſitas recuperare. Eam enim GALENUS non inepte vocavit ſemicoctum alimentum, quod non evacuare oportet, ſed coctionem in eo abſolvere. *s*) Hinc animadverſum ſæpe eſt, iis quæ coctionem juvant tonumque roborant, ut vino medicato ex aromatibus & marte, motibusque corporis per gradus provide auctis, vaſa viſcido oppleta ſubſediſſe, & tumori, pallori languorique pituitoſorum lætum partium ruborem cum integritate functionum ſucceſſiſſe, idque totum ſine evacuantibus, niſi forte ab initio moderate adhibitis.

§. VII.

Sigillatim ſanguis ex vena juſto liberalius deductus etiam in robuſtis vires & coctionem debilitat. *t*) Præterea enim, quod robur & calor a ſanguine in vaſis majoribus tanquam propria ſede

s) *de natur. facult. L. II. C.* 9. *Op. Cl. I. p.* 302. *A.* pituitam velut ex dimidio coctum alimentum non vult vacuari ſed in corpore manere & alterari. Ita ait coctam penitius & reliquam perfectionis adſecutam nutrire corpus. *Comment. II. in Hipp. de vict. rat. in acut.* §. 44. *Op. Cl. VII. p.* 122. *H.*

t) unde olim inter pœnas militares fuit, ferociam militum miſſione ſanguinis reprimere.

ſede ſuſtentetur, & inde per ſeries deſcendentium vaſorum ad minima usque idoneo gradu diſtribuatur, neceſſe eſt, cum tali ſanguine qui temere perditus ad cerebrum jam parcius adpellit, minui etiam ſecernendos ab eo ſpiritus, at ſine ſufficiente ſanguine & ſpiritu omnes alias functiones torpere & periclitari, cum primis circa officinam chyli, in qua alioqui ſecreti a ſanguine optimorum humorum rivi crudis ingeſtis, quibus affunduntur, inquilinum maxime characterem ſuo acceſſu impertiunt. Quæ enim ex ſapienti Naturæ inſtituto copia ſalivæ, ſucci œſophagei, gaſtrici, inteſtinalis, pancreatici & bilioſi in omni puncto primarum viarum ingeſtis non adſpergitur? quæ copia deinde lymphæ ex omni loco abdominis & pectoris reducis ſe jungit chylo per vaſa lactea, ciſternam lumbarem & ductum thoracicum ad ſanguinem decurrenti? Igitur in penuria ſanguinis imprudenter & iterato detracti non amplius illud coctorum humorum prædominium exiſtit, quo crudus chylus ſubigitur, ſed illa etiam virtus, quæ a valido cordis nixu vaſorumque variæ fabricæ in contenta ſimili renixu pendet, in ipſo viſcerum foco elangueſcit, & ſub virium mutantium tenuiori jam adparatu accumulantur cruda, nec in ſolidum rubrumque ſanguinem, unde robur, ſed inertem vappidumque humorem, qui motum impreſſum cito perdit, unde debilitas coctioni impar, tranſeunt. *u*) Igitur nunquam ſatis mirari poſſum ſpei in multis audaciam, qui in hoc etiam ſtatu corporis bonum ſanguinem a probo victu celeriter reſtitui, inepte comminiſcuntur. *x*) Si attenderent ad iſta virium deliquia, ad iſtam coctionis, ſine qua nihil

u) bene perill. *Ger. van Swieten: Sanguinis pars craſſiſſima rubra in arteriis & venis maximum momentum motus ad vitam & ſanitatem a binis cauſſis motricibus corde & arteriis recipit & reliquis communicat. Simul ac rubrum illud incipit deficere, frigent omnia, ut docent leucophlegmatici & pallido morbo languentes puellæ. Comment in aph.* 43. *Bœrh. T. I. p.* 53.

x) non modo inſcium vulgus cardiaca in viribus deperditis poſtulat, ſed & eruditi, quid ſeperare hic poſſint, parum ponderat. Radix mali eſt in coctione labefactata. Redeunt hic in circulum conditiones medelæ. Labes ſolidorum & fluidorum cum ſtrage virium nequit deleri niſi a

nihil optimorum ciborum alit corpus & reficit, ſed proprio corruptionis genio relinquitur, impotentiam, retraherentur fortaſſis ab evacuantium abuſu, & ad fata eorum diligentius reſpicerent, qui ſaniſſimi, poſt magna vulnera vel hæmorrhagias vel alias humorum jacturas, dum priſtino more comedunt, non priſtina virtute digerunt, mox leucophlegmatici & hydropici evadunt. De quo jam plenius in examine potiorum morborum & crebris medicorum de evacuantium damno querelis conſtabit. At longe a nobis abeſt, legitimum evacuantium uſum improbare, qui epidemicum tantum abuſum, penes nos enim pariter aliquamdiu caput extulit, tangimus, illis facile adſentientes, qui utilitatem horum remediorum ſub juſto limite inculcant. *y*)

§. VIII.

Celebres duumviros, ex veteri ævo *Hippocratem*, ex recentiori *Th. Sydenhamum*, medicamentis, quæ tempeſtive evacuant, minime infenſos, mirabili autem ad ea, quibus juvantur corpora vel offenduntur, attentione & veraci de iis candidoque teſtimonio præ aliis conſpicuos, ſecandæ venæ haud legimus in intermittentibus, nec niſi ſcrupuloſe in acutis febribus adnuiſſe. In priori quidem febrium claſſe, ſi urget copia & impetus humorum, ut aliquando in juvene plethorico *z*) & æſtuante capiteque laborante,

commeatu boni chyli & ſanguinis, hic vero ab ingeſtis exſpectari nequit, quibus ſolida tritum, cocti humores miſcelam ſuam negant. Quodſi ſint interdum cardiaca, quæ vires ex temeraria *V. S.* & alia intempeſtiva evacuatione perditas reſtituunt, præſtiterat tamen judice *Sydenhamo* plagas non inſtigi quam ſanari *Obſ. S. I. C.* 4. *Op. p. m.* 54. Summum ſemper periculum ex imbecillitate eſt, ut *Celſus* ait, & hinc *Aſclepiadi*, quem alioquin in pluribus ſequitur, vires ægrorum convellendi repugnat. *De medic. L. III. C.* 4. *p. m.* 118.

y) inter quos ſunt, qui in ſanguine ſcrupuloſius ponderando vel menſurando novas vias inierunt, de quo agunt litteræ cl. viri *D. F. C. Oettingeri* ad cl. virum, *D. I. F. Glaſerum. v. ſelect. Phyſ. Ocon. Stutgard. Vol. I. p.* 165. & 180. *ſq.*

z) auſi ſunt multi, inter quos *Mart. Kergerus* eſt, *de ferment. S. III. C.* 3. *p.* 242. damnare venæ ſectionem in omni febre, niſi plethora urget,

rante, admitti fortaſſis venæ ſectio poterit, ſed nec valida, nec temere iteranda, nec ſine prudenti æſtimatione, an vere illa urgeant. Merito enim veremur, ne robur a liquido arterioſo pendens noxie conſumatur, & coctio morboſi langueſcat. Frequenti obſervatione ſibi conſtare teſtatur SYDENHAM, *a*) in autumnali febrium harum ſpecie purgantia quidem ipſa magno cum diſcrimine adhiberi, at cum majori venæ ſectionem, quæ in vegetioribus pertinaciam febris, in languidioribus & provectioribus ipſam mortem pariat. Hinc & graviora ſymptomata, quibus cum febre intermittente commercii aliquid intercedit, licet mittendi ſanguinis & aliorum evacuantium præſidiis ex ſua natura egere videantur, ſub illo nexu febrili exaſperari acute perſpexit. Ita maniam a diuturna interdum quartana natam ſub fortioribus evacuantibus, quæ hodie plerorumque in iſto caſu arma ſunt, in ſtultitiam degenerare, totius deinceps vitæ comitem, quin etiam, dum æger in limine verſari ſanitatis viſus eſt, ex ſimplici enemate lactis ſaccharati ſemel injecto malum recruduiſſe cognovit. *b*) Non ſecus ſævum lumborum dolorem, quem ſecta vena adgredi pauci dubitaverint, ubi febrem intermittentem excepit, ad crebram phlebotomiam & alia evacuantia acrius ſævire notat & in præſens vitæ diſcrimen conjicere. *c*) Majoris momenti ſymptoma, in ejusmodi febribus caput petens & veram aliquando apoplexiam, in qua evacuatio omnis generis ad revellendum idonea creditur, referens ſub horum remediorum adparatu facile funeſtum

hanc etiam ipſam oppugnavit *Helmontius*. At illi quidem nimis in contraria diſcedunt.

a) *Obſ. S. I. C.* 5. *Op. p. m* 91. *&* 92. Quartanariis inprimis docet obeſſe phlebotomiam, &, licet mitiori gradu, catharſin.

b) *ib. p.* 101 *&* 102. Miratur rei, quæ ſæpius accidit, omiſſam ab aliis mentionem. Cum reliquæ amentiæ ſpecies copioſis evacuantibus per V. S. & cathartica ut plurimum perſanentur, illam ait neutrum ferre: diſcrimen vero ibi in exaltata, hic depreſſa & vappida craſi ſanguinis conſtituit.

c) *in epiſt. I. Reſp. ad R. Brady. Op. p. m.* 321.

ſtum evadit, cortici vero peruviano juſtis intervallis exhibito cedit. *d)* Talia paſſim apud alios occurunt, in quos non cadit commune opprobrium, ex quacunque re, ut nihil non agant, ſanguinis mittendi captare occaſionem, vel ut *Galenus* dixit, peccare toties, quoties ægros accedunt. BERNH. RAMAZZINI dictas febres epidemicas crebra venæſectione protractas ad cachexiam vel mortem deduxiſſe ſcribit, *e)* & P. ROMELIUS ſævioris febris intermittentis meminit, in qua tuſam medianam ſine majori ſanitatis diſpendio nunquam viderit. *f)* Ut ſeorſim dicam de ambigua emeticorum & purgantium fide, abnuere quidem haud auſim, latente in ventriculo ſaburra, quam etiam ante exortum febris nauſea, amaror oris, ſordes linguæ, fauces olentes & prægreſſi comeſſationum aliive errores produnt, opportunum emetico locum eſſe, licet jam nata febris ſit, nec minus purganti, ſi ſaburra illa cum obtuſo lumborum dolore, flatuque & tumore abdominis, profundius in inteſtina decubuit. Præterea vero, quod conſtare ſatis debeat de ratione corporis, plus vel minus ad illa ferenda idonei, & de eo potiſſimum, an integra viſcera & illæſæ vires impetum horum pharmacorum commode ſuſtineant, tum danda non minus opera eſt, ut in corpore rite præparato exhibitum cum delectu & opportuno tempore *g)* emeticum vel purgans mitioris ſub his cautionibus actionis ſit, & jam ſopitæ ultra horam,

d) ib. Op. p. m. 307.

e) v. Eph. N. C. Dec. II. A. 9. *App. p.* 43. *de rurali epidemica.* §. 41.

f) ib. A. 6. *O.* 128. *p.* 477. *Amatus Luſitanus* tertianam ſimplicem poſt V. S. in duplicem mutatam vidit *Cur. med. Cent. I. Cur. XI. p. m.* 55.

g) exhibere ſub ingreſſu frigoris multi ſuadent, quod tunc ſpontanea nauſea & facilis a mobiliori materia vomitus ſit. *Alexander Thomſon* tempus illud nauſeæ, ſive ſub ingreſſu frigoris ſive caloris incidat, aptum vomitorio præbendo cenſet, proſpero ſibi & familiari viginti annorum uſu. *Med. Eſſai T. IV. p.* 407. At tutior uſus extra febrem, ne aegrum, cujus viribus merito ſtudemus, febris & pharmacum ſimul adfligat.

horam, antequam nova febris exſurgat. Si cito non prodeſt, vel ejiciendo corruptum ex ſinu primarum viarum, vel torpentes nervos ſtimulando, damnum in propinquo eſt, dum temere, ut ſuadent multi, inſiſtis. Inſiſtere hic idem fere SYDENHAMO eſt, quam morte mederi, qui etiam relicta a febre ſymptomata ut plurimum nihil aliud eſſe, quam iteratarum evacuationum, quibus medicus morbi curationem adgreſſus fuit, veram progeniem exiſtimat. *h*) Purgantia ad unum omnia corpori inimica dicit, aliquatenus certe ſanguinem debilitantia & lædentia, niſi celeriter corpus pervadant. *i*) Ipſe jam GALENUS coctioni humorum contrariam purgationem agnovit, *k*) & CELSUS quidem neceſſariam interdum ſtatuit, at quæ frequentior periculum adferat, quo corpus nutriri deſueſcit, & infirmum evadit omnique jam morbo obnoxium. *l*) Valet hic ſemper illud SYDENHAMI, protrahi febrem, de qua loquimur, ſubtractis per evacuantia liquidioribus, & ægrum ſæpe morbo perire non alioqui lethali. Sic alio loco negat febrem, cujus curatio cortice peruviano nititur, purgatione egere vel eam ferre. *m*) Etſi autem ipſe elapſo menſe ab his febribus victis purgationem ſeveriſſime requirit, compertiſſimum tamen ſibi eſſe ſubnectit, *n*) ſi citius illud fit, febrem altius

h) *in ſchedula monitor. Op. p.* 536.

i) *de hydrop. Op. p. m.* 485.

k) *Comm. IV. in Hipp. de vict. rat. in acut. Op. Cl. VII. p.* 140. E aliis locis ſiccare, ventriculum lædere, coctionibus adverſari judicat, quin & inter venena adnumerat *Op. Cl. III. p.* 196. *G.*

l) *de medic. L. I. C.* 3. *p. m.* 31. Ita paulo ante *p.* 30. de damno iteratæ vomitionis loquitur: *commoneo, ne quis, qui valere & ſeneſcere volet, hoc quotidianum habeat.* At poſſis hodie queri cum *Hier. Thriv. Brachelio in Celſum p.* 35. *duas in uno die evacuationes moliri tantum neoterici auſi ſunt.*

m) *Ep. I. reſp. ad R. Brady. Op. p. m.* 306.

n) *Obſ. S. I. C.* 5. *Op. p. m.* 97. *&* 98. ibidem mitiſſima cathartica excitare febrem ait.

altius agere radices & ſtationem ſuam pertinacius tueri: hinc quæ ibidem verba habet, miſere plecti, qui ipſam curationis ſpem in repetitis purgationibus ponunt. Conſentiunt tot aliorum querelæ, minime iſtis remediis ſolvi tenax morboſum, ſed difflato tenui magis figi, vires minui, coctiones lædi, morbum ingraueſcere. Imo nunquam, ſi *Galenum* audis, laboranti corpori protinus ad phlebotomiam & purgantia confugiendum eſt, o) omnium minime ſanis præſervandi ſcopo. p)

§. IX.

Neque ſemper in acutis morbis aliis hujusmodi evacuatio virium prodiga tutius admittitur. In ipſa febre ardente ſananda nec *Hippocrates* facile, nec *Celſus* nec *Oribaſius* nec *Aetius* nec *Aegineta* venæſectionis meminerunt. q) Admittit eam ſed arctiori limite Aretæus, qui ſyncopen inde metuens non niſi ſectiunculas probat & effluentis ſanguinis parum, quia minimus hic error ad interitum ducit. r) Eo majoris momenti hoc judicium

o) *Cl. V. p.* 236. *C.*

p) id ſingulari exemplo illuſtrat *I. Francus in Eph. N. C. D. III. A.* 3. *O.*73. *p.* 95. robuſtus ſanusque circa ver more multorum purgare corpus inſtituit, & ejectis multis ſpecie improbis aphonus evaſit cum ſudore frigido, tumore faciei & virium imbecillitate Pejora omnia poſt V. S. evaſerunt, & periit convulſus. Talia ſani ſtulte poſtulant & ſtultius medicus exhibet, cui aphoriſmus *Hippocratis* excidere animo non debeat: qui bene ſe habent, ægre ferunt pharmaca.

q) de curatione harum febrium agunt *Hippocrates III. de morb. Op. Edit. Lind. T. II. p.* 117. *XXIX de affection. ib. p.* 167. *XI. de victu acut. ib. p.* 197. *XXXIV. Celſus de medic. L. III. C.* 7. *p. m.* 134. *Oribaſius ſynopſ. L. VII. C.* 19. *collect. Steph. p.* 95. *Aetius tetrab. II. S. I. C.* 78. *ib. p.* 210. *Aegineta de re med. L. II. C.* 30. *ib. p.* 401. Nuſpiam hic inter præſidia febris ardentis fuſe paſſim recenſita occurrit V. S.

r) *de acut. morb. curat. L. II. C.* 3. *p.* 100. *D.* extrahi ſanguinem jubet διὰ σμικρῆς τομῆς, quia copioſum vitiat naturam, ἐλέγχει τὴν φύσιν

cium eſt, dum illum febris ardentis ſtatum conſiderat, in quo frigent exteriora, uruntur interiora. Quis enim non intelligit, hærere tunc ſanguinem cum magno attritu circa vitalia, nec niſi tenui rivo inde ad extrema manare: hunc igitur, qui vitalem circuitum unice tuetur, ſubduci ſine pleno virium deliquio & ipſa morte vix poſſe. *s*) Hæc omnino ita ſe habent in progreſſu morbi, ubi craſſius opplet pulmonem, tenuius diſſlatur, adeoque parum mobilis ſanguinis cum motu & calore vitali ad loca remotiora ſe diffundit. Aliter tamen ſe res habet in principio morbi, ubi ſanguis quidem in ſpiſſitudinem inflammatoriam pronus eſt, at nondum parte tenui nimis orbatus. Illum igitur, inprimis copioſum, & ſub ipſo attritu æſtuque rareſcentem, & præ aliis partibus pectori ac cerebro gravem, nemo inficiatur id requirere, ut moles movendorum & velocitas motus circa vitalia loca vehementioris diminuatur, demtoque per vices & revulſo ſanguine creſcenti inflammationi celerique gradu in gangrænam tendenti reſiſtatur, aditusque medicamentis diluentibus ac leniter ſolventibus facilior pateat. Duo ſunt, ad quæ maxime circa venam in acutis ſecandam attendere *Hippocratis* auctoritate jubemur, vehementia morbi & robur ægri in vigore ætatis. *t*) Robur dico, quod ſuo quidem onere, cui levamen eſt a ſanguine detracto, gravatur, præſidia tamen actionis in ſe habet, nec parciori liquidi vitalis acceſſu laborat. Hic CELSUS præter dicta ad diſcernendam mittendi ſanguinis ſalubritatem ſimul reſpicit in vehementi febre ruborem corporis plenasque & tumentes venas, *u*) quarum ſane

τὸ ἀθρόον, quin & εἰς ἅδυ τρέπει. Pulſum in tali caſu tangere *Galenus* ſuadet, ne pro animi deliquio mors occupet, quod tribus ait medicis eveniſſe, *de curat. per ſangu. miſſ. C.*12. *Op. Cl. VI. p.* 19. *B.*

s) cogitandum ſemper eſt, ſanguinis, qui ſtagnat, multum eſſe, qui movetur, parum, & hoc erepto eripi arma, quæ ſtagnans ſolvunt.

t) *de victu acut. Op. T. II. p.* 298. *XXXIV.* 16.

u) *de medic. L. II. C.* 16. *p. m.* 78. ibidem tamen p. 79. periturum ægrum temeraria aliquando via adiuvari ſcribit, ſique medicus nullam amplius

ſane ſtatus illi, de quo hic loquimur, plane oppoſitus eſt, ubi fractis viribus frigent extrema, & ſolitis a corde ſuppetiis caloris & virium deſtituuntur. Prior ſtatus in principio febrium illarum locum habet, ubi cum TRALLIANO ſecandam venam merito commendamus. *x*) Ceterum in febre ardente blanda quidem clyſmata conveniunt, quæ eluunt corrupta aluumque lubricant, nunquam in his morbis ſine noxa ſtrictiorem, ſuperne revellunt, ipſaque virtute reſorptorum, maxime in ardore circa præcordia reficiunt, & in ſiccitate illa corporis, qua pereunt, quotquot ex febre ardente non eluctantur, ſalubriter humectant. *y*) Haud vero ferantur acriora illa, nedum emetica & purgantia hujus indolis, quæ ſemper ſtimulo ſuo æſtuanti corpori infeſta turbant & neceſſariis liquidis privant opus coctionis, a qua ipſa interdum critica & ſalutaris per vomitum aluumque excretio pendet. Nihil hic acre & ſalſum permittit aegris HIPPOCRATES, ſed aquam mulſam & lac aſinium coctum. *z*)

§. X.

In morbis aliis acutis non minus diſpiciendum eſt, ut ab uſu evacuantium temeritas abſit. Laudamus venæſectionem in phreniticis,

extra detractionem ſanguinis ſpem eſſe oſtendit, in illa metum, tunc ſi exigitur, detrahi debere, quod anceps experiri auxilium ſatius ſit quam nullum. Id tamen reſtringit maxime ad nervos reſolutos, dum quis ſubito obmuteſcit, & anginam ſuffocantem.

x) *de arte med. L. XII. C.* 13. *collect. Steph. p.* 322.

y) ita *Hippocrates* omnes, qui febre ardente pereunt, perire ait *ὑπὸ ξηρασίης l. de morb. Op. T. II. p.* 35. 9.

z) *l. c. T. II. p.* 297. *XXXIV.* convenire quidem putat, ſi os amarum, vomere & ventrem clyſtere ſubducere; at mitia illa, ut aquam mulſam & lac aſininum imperat, ceterum pernicioſam vocat febrem ardentem ex alui dolore laborioſo. *in Coac. prænot. Op. T. I. p.* 531. *n.* 183. ibidem *n.* 182. *κοιλίην καταρραγεῖσαν* vocat *θανάσιμον.* Quo ſpectat *H. Boerhaave* ad finem aph. 74. ubi alvum nimis fluxam in febre ardente letha-

niticis, quandoquidem ipſa iis Natura per ſpontaneas ſæpe hæmorrhagias narium, aliquando per hæmorrhoides fluentes, conſulit. Ad illam præeuntis Naturæ legem ſe ars ſine cunctatione componit, dum morbus meninges non modo ſed ipſum ſæpe corticem cerebri inflammat, ut tanquam a cera injecta rubeat. Opus eſt cavere, ne in loco tam nobili tamque molli & tenero per moram invaleſcat vitium, & oppleto ſemel cerebro revelli non poſſit: unde primo die certius a vena ſecta auxilium, quam altero, hoc magis quam tertio ſperandum eſt. Cadit veterum opinio, exſangue & frigidum cerebrum miſſo cruore haud juvari. Minime audiendus eſt *Aſclepiades*, qui perinde eſſe dixit, ſanguinem phreniticis mitti, ac ſi trucidentur; quod haud expediat, niſi remittente febre venam ſecare. Quam ſententiam ita mitigat CELSUS, *a*) ut modo non creſcat febris, etſi non remittit, opportunum incidendæ venæ tempus eſſe ſentiat, modo vires ferant. Harum ratione habita ARETÆUS, *b*) ſyncopen metuit, dum vires fatiſcunt, parum educere ſanguinis ob proniores in ſyncopen phreniticos caute monet. Verum in robuſto, in quo ſanguinis detractionem ut primum omnium & maximum præſidium conſiderat TRALLIANUS, *c*) præſtat non parce nimis detrahere, quod vix in furioſis plus quam ſemel tentare illam rem ſine magna moleſtia poſſis. Igitur & ab initio & large & amplo vulnere fiat, *d*) cumque Natura ſæpe

lem dicit. De ſymptomatico loquitur coctionem & vires proſternente, non critico, quem a coctione inſtantem ſufficit molli clyſmate juvare.

a) *de medic.* L. *III.* C. 18. *p.m.* 150.

b) *de curat. morb. ac.* L. *I.* C. 1. *Op. p. m.* 73. *D.* ubi illi phrenitis eſt *εὔτρεπτον ἐς συγκοπὴν κακόν*, unde illius in ſubducendo ſanguine monitum eſt, *μὴ πολλὸν ἀφαιρέειν*, inprimis in ſtatu *τῆς δυνάμιος λυομένης*. *ib. p.* 77. *C.*

c) *de arte med.* L. *I.* C. 13. *in collect. Steph. p.* 146. ſi in cubitu ſecare venam non licet, jubet in fronte aperire ſub faſcia colli.

d) *Herm. Bœrhaave in aph.* 781. vult plures venas ſimul ſecari, in jugulo, pede, fronte; alii addunt arterias temporum. Sane efficacior eſt ſubita & variis locis revulſio, at in corpore tam turbulento vix ten-

ſæpe a coctione alvinam excretionem moliatur, & *Hippocrates* in morbis, in quibus diſtenta ſunt vaſa capitis, ſolutionem non minus a fluxu alvi quam hæmorrhagia exſpectet, licebit purgantibus uti leniſſimis, ex prunis vel tamarindis coctis, quibus miſcere aliquid nitri & ſyrupi violarum convenit, nec minus clyſmatibus, quæ pro decubitu morboſi laxant & expediunt vias, a capite revellunt, & impetum febrilem frangunt. Quodſi vero phreniticos, ſi fieri poſſint, ſurſum etiam purgari, certe alvum, ut egerat, præparari debere, apud HIPPOCRATEM legimus, *e*) probe tenendum eſt, ſæpe illum omnes phreniticos vocare, qui obleſæ mentis ſunt, ſæpe de phrenitide aliorum morborum ſobole loqui, nunc tanquam de dolore circa præcordia & dextrorſum magis ad hepar, ubi motam bilem putat ſepto & viſceribus inſidere. Hoc ſenſu ad vomitum compelli ægros peropportunum eſt, & experimentis noſtri ævi, modo juſtis ſe contineant limitibus, admodum familiare.

§. XI.

In angina inflammatoria, in qua ſanguinem mittere, etſi non abundat, CELSUS *f*) præcipit, & in qua ſatius omnino eſt, languere ægrum quam ſuffocari, prudentia tamen medica tutelam virium haud ſpernit, hinc & *Celſus* conſilio ſuo cautionem ſubjicit, ſi vires patiuntur. ARETÆUS *g*) latam ſectionem poſtulat,

tanda. Sufficit, ex pede aliquamdiu aquæ tepidæ immerſo frictoque leviter educere.

e) loquitur ſæpe de phrenitide circa vigorem febrium nata, ſæpe etiam de illa, quæ a ventriculo vel diaphragmate per conſenſum gignitur. De ſpecie, in qua ſeptum transverſum dolet, nec fert contactum, agit *de morb. III. Op. T. II. p.* 201. *IX.* de dolore tunc circa præcordia, idque ἐς τὰ δεξιὰ πρὸς τὸ ἧπαρ, ubi ſubbilioſus color efficitur & mens percellitur, *de affection. Op. T. II. p.* 166. *X.*

f) *de medic. L. IV. p. m.* 196.

g) *de curat. morb. ac. L. I. C.* 7. *p. m.* 87. *A. B.* vult ſanguinem mitti ad proximum a deliquio gradum.

lat, ut ſanguis cum impetu & copia emanans ſtrangulatu liberet, fatetur tamen, ſecta vena exceſſiſſe e vita aliquos ab animi deliquio. Ideo vero Aetius, *h*) qui hic ſtatim ab initio compendiarium & præceps auxilium exigit, ſanguinem amplo quidem vulnere, at modice mitti, idque altero die repeti jubet, niſi timor ægri vel deliquia animi prohibeant. Nec moniti hujus negligentior eſt Ægineta, *i*) cujus ſuaſu non aceruatim ſed partita copia educendus ſanguis eſt, e cubitu primum, deinde lingua. Adde Trallianum *k*) probe monentem, nihil hic in craſtinum differre, at & tertio quartoque die detrahere ſanguinem, modo defectio animi, qua nihil magis ægrum offendat, vitetur. A quo judicio vix diſcrepat Caelius, *l*) qui gravius hoc malum repentina ait egere ſanguinis detractione, etiam poſt triduum, ſi neceſſitas urget, & durantibus quidem viribus. Oribasius *m*) celerem probat auxilii hujus uſum, at ſi æger aptus non eſt, ſcarificationem ſubſtituit. Omnis ille conſenſus congruit præceptis Galeni *n*) & ipſius Hippocratis, *o*) neque ita fluctuat ut recentiorum de his judicium, quibus contemtim habetur cura illa virium, quaſi reficere amiſſas promtum ſit, cujus ſpei

h) *tetrab. II. Serm. IV. C.* 47. *Coll. Steph. p.* 400.

i) *de re med. L. III. C.* 26. *Coll. Steph. p.* 446. 447.

k) *de arte med. L. IV. C.* 1. *Coll. Steph. p.* 194. *&* 198. Conjungit V. S. & purgantia, cauteque ſubjicit, *ſi vires robuſtæ, æger in vigore ætatis, morbus vehemens.*

l) *acut. morb. L. III. p. m.* 184. quæ etiam verba de phrenitide habet, *ib. L. I. C.* 10. *p. m.* 28.

m) *de loc. affect. curat. L. IV. C.* 77, *Coll. Steph. p.* 656.

n) *de curat. per V. S. C.* 19. *Op. Cl. VI. p.* 18. *E.* Neceſſarium dicit, V. S. confeſtim adhibere poſt habitam rationem virium & ætatis. *Hæc vero,* inquit, *ſi forte aliquando non dicuntur, ſubintelligere oportet.*

o) *de morb. III.* 10. *Op. T. II. p.* 103. *XI.* 15. venam vult ſecari ſub lingua & in cubitu, modo vires validæ fuerint. Verum omnes extremas vacuationes periculoſas vocat, *aph. III. S. I.*

ſpei inanitatem plenius inſpexerunt veteres. Concedere poſſumus, liberalius hic & iterato ſanguinem mitti pro collapſu vaſorum, *p*) at ex vacillante pulſu judicare, quando deſinendum ſit, momentanei erroris periculum comprehendit. Verum ſunt anginæ, licet rariores, in quibus exitium a parva venæſectione & catharticis exiguarum virium impendet. Statum nempe exhauſti corporis a morbo diuturno, inprimis poſt validum & repetitum uſum evacuantium excipere interdum ſolent pallor faucium ſiccitasque & tenuitas ſine omni tumore vel externo vel interno, idque cum anginoſa ſpirandi deglutiendique moleſtia. Prægreſſæ cauſſæ facile docent, collapſa vaſa eſſe ex penuria liquidi vitalis, tum ſanguinis, tum ſpirituum, ad actionem muſculorum circa illa loca neceſſarii. Bene hanc ſpeciem diſtinxit SYDENHAM, *q*) in qua nullus medelæ locus eſt, niſi medicus reſtituere perdita & vaſa bono iterum ac vitali ſucco implere ſciat, vitatis omnibus novis ab evacuantium uſu diſpendiis. *r*)

§ XII.

In pleuritide etiam excuſatius multorum judicio ſanguis prodigitur. Qui illam inter patentiſſimas orci januas recenſet TH. SYDENHAM, *s*) nihil damni ait ſe cuiquam a larga venæ ſectione illatum vidiſſe, nec facile confirmatiorem in adulto morbum minori quam quadraginta circiter unciarum ſanguinis impenſa ceſſiſſe. In qua tamen re vir ingenuus ſollicite oculos convertit, partim

p) *Herm. Bœrhaave aph.* 909. requirit miſſionem ſanguinis citam, magnam, repetitam ad collapſum usque vaſorum. *Sydenham* quoque copioſam ex brachio & mox utraque ranula, & lenitivum deinde catharticum præ aliis utile agnovit. *Obſ. S. V. C.* 7. *p. m.* 282. 283.

q) *Obſ. S. I. C.* 5. *p. m.* 101.

r) conf. *Ger. van Swieten in aph. Bœrh.* 785. *Comm. T. II. p.* 621, 622. ubi in partes trahit *Celſum*, *Aretæum*, *Cælium* & ipſum *Hippocratem*.

s) *Obſ. S. III. C.* 3. *Op. p. m.* 266.

partim ad ſævitiam morbi, partim ad diminutas ægrotorum vires, ſimulque rationem nondum ſibi cognitam reperire optavit, qua citra tam ingentem ſanguinis jacturam vis morbi ſubſiſteret. *t*) Audacius eum ſecuti alii ſunt, ſed ab eodem voto alieni ingentem illam jacturam pro parva habuerunt, inter quos vidimus aliquem, qui infra centum uncias ſe non detrahere dictatorio vultu denunciavit. Minime quidem HELMONTIO *u*) adſentimur, omnem hic venæſectionem improbanti, neque tamen *Sydenhami* ipſius medela, quæ hic Naturæ viribus nimis diffidit, locum habere debet, niſi in ſævientiſſima pleuritide. Quædam enim ejus ſpecies nulla egent venæſectione, quædam etiam per eandem exſperantur. IOS. LANZONUS *x*) pleuritidis epidemicæ meminit, in qua omnes ſcribit ſecta vena interiiſſe. Hæc refero, inquit, ut noſcat poſteritas, quam periculi plena nonnullorum temeritas ſit, qui in omni morbo ac febre ſtatim ad venæſectionem & catharſin, tanquam ſacram anchoram, confugiunt. Fas eſt, ut triplex ante oculos ſit pleuritidis diſcrimen. Quæ mitior eſt & ſolo tenui victu, fotu molli blandisque aperientibus ſolubilis, qualis plerumque eſt in laxa & debiliori temperie, nihil a vena ſecta lucri habet quam longos a ſuperato morbo languores. Quæ gravior

t) *ib. p.* 267. 268.

u) in libello, qui *furens pleura* inſcribitur, pleuritidem ait phlebotomia victam ſæpe poſt annum recurrere, ſæpius tabem relinquere. Ita *de febr. C. IV.* §. 41. *nemini pleuritico,* inquit, *mitto ſanguinem, eſt que curatio ejusmodi tuta, certa, commoda & ſolida, nemo illa perit at plures ſub phlebotoma.* Audax ibidem promiſſum reperies *C. II.* §. 28.

x) *Eph. N. C. D. III. A. V. & VI. Obſ.* 120. *p.* 247. *de pleuritide ſæviente A.* 1696. ubi etiam alvi fluorem ultro vel arte excitatum notat exitii cauſſam fuiſſe. Eadem annis anteactis obſervavit. Similiter *Th. Bartholinus* pleuritides epid. A. 1669. Commemorat, in quibus ſecta vena plerosque jugulavit. *Eph. N. C. D. I. A. I. O.* 51. *p.* 149. Confer. *Acta Edimburgenſia* ſ. *medic. Eſſay T. V. P. I. n.* 2. ubi morbi recenſentur *Edimburgenſes a Maio* 1735. *ad Junium* 1736. Notatur *p.* 36. pleuriticorum a vena ſecta ſitim & dolorem ad animi deliquium usque creviſſe, ſine ea mitiorem ſtatum fuiſſe.

vior eſt & ſub coctione ac critica excretione, nunc per ſputa, nunc fluxum alvinum, nunc hæmorrhoidalem, nunc lotium, nunc metaſtaſin ad extrema, jam oſtendit victricia Naturæ arma, & nihil ab arte exigit, quam ut foueat loca adfecta, vias pro facili decubitu & excretione laxet, viresque blandiſſimis fulciat. Adeoque nec hic prodeſſe venæ ſectio poteſt, ne vis Naturæ coquentis & expellentis per illas interpellationes langueat & a ſcopo ſuo declinet. *y*) Reſtat ſicca & ſæva pleuritis, quam Galenus *z*) crudiſſimam vocat, in qua nihil exſpuitur, & quæ nec ultro reſolubilis, nec Naturæ coctione & criſi fulta, poſtulat omnino celerem ab arte, largam & paſſim repetitam venæ ſectionem, nec tamen, ut probe Aretæus monet, ad deliquium animi, ne peripneumonia ſuccedat. *a*) Fieri autem poteſt ipſis etiam, ſi vis morbi reſurgit, remotioribus diebus, ut octavo vel nono, perſpicaciſſimi viri, D. W. Trilleri judicio & exemplo. *b*) Inter iſta vero pleuriticorum diſcrimina facile patet, cur Hippocrates, *c*) qui toties in aliis locis de vena in pleuriticis ſecanda ſiluit, tunc ſi ſicca fuerit & ſine ſputo, eam diſertis verbis exigat. Nec ad varium morbi ſtatum tumultuarie Celsus reſpexit, cui miſſus ſanguis magni quidem & recentis doloris in pleuriticis remedium eſt, at ſive levior caſus ſit ſive vetuſtior, ſupervaceum

vel

y) *v. H. Bœrhaave aph.* 887. *ad* 889. ubi pleuritides extra V. S. indigentiam conſiderantur.

z) *comm. in aph. Hipp. XII. S.* 1.

a) *de curat. morb. ac. L. I. C.* 10. *p. m.* 89, 90. *μεγάλην ἰατρείην* poſtulat, id eſt venam primo maxime die ſecandam, ſine deliquio tamen, a quo peripneumonia.

b) *de pleurid. p.* 99. ad ipſius *Hippocratis* exemplum in *Anaxione* pleuritico, *III. morb. epid.*

c) qui multis locis, inprimis *de loc. in hom. Op. T. I. p.* 381. *XXX.* *curationem pleuritidis ſine V. S. inſtruit*, eam vero in pleuritide ſine ſputo diſertis verbis requirit *de morb. I. Op. T. II. p.* 31. *XV.*

vel ſerum. *d)* Cautiſſime TRALLIANUS *e)* prohibet mitti in hoc morbo ſanguinem, niſi exacte conſtet copioſum eſſe, & in toto corpore ſuperare humorem, qui inflammationem parit. AEGINETA, quod & noſtro ævo objicimus, coarguit recentiores, ſecare venam omnibus pleuriticis ſolitos. *f)* Vetat autem, ſi vires permittunt minus, & venam vacuare & alvum. Mediocrem venæ ſectionem CAELIUS probat *g)* & noviſſimam defectionem intuliſſe aliquando ſcribit concurrentem detractionem ſanguinis cum ſolutione ventris. De latere, quo educendus ſit ſanguis, ſi fas eſt educere, cum alii egerint abunde, *h)* nihil ſubjicimus.

§. XIII.

Peripneumonia cognata pleuritidi & ſiniſtro plerumque omine ſuccedens, quo implet arctius & diſtendit vitale tenerumque pulmonum viſcus eliſo fere ſpiritu, eo magis ſpem ſalutis inter evacuantia jugulat. Nihil hoc morbo celerius vires opprimit, quid enim, ſi ſanguis ante oſtia ventriculi cordis dextri & intra pulmonem ſtagnat, poteſt ad ſiniſtrum ventriculum & inde ad arterias illo rivo meare, qui circuitum vitalem & ſecretionem inprimis cerebri, adeoque functiones partium, ſub utroque commeatu ſanguinis & ſpirituum exercendas, ſatis ſuſtentet? Sane, quod de pleuritide diximus, ſi Natura per viam reſolutionis vel coctionis

d) *de medic. L. IV. C. 6. p. m.* 209. alterum valet de pleuritide mitiori & reſolubili, alterum eſt omni morbo in primis opportunitatibus neglecto proprium.

e) *de arte med. L. VI. C. I. Coll. Steph. p.* 207. *G.* ſimul ita diſtinguit, ut ſuadeat V. S. ſi dolor in ſupernis, purgans, ſi circa ſeptum hæret: atque hoc alterum, inquit, diviniſſimus *Hippocrates* nos docuit. *ib. p.* 208. *F.*

f) *de re med. L. III C. 33. coll. Steph. p.* 454. *B.* æque ac *Trallianus* monet, ſi dolor ad claviculam ſe extendit, V. S. ſi ad præcordia, purgans requiri.

g) *ac. morb. L. II. C.* 18. *p. m.* 119.

h) *v. perill. Ger. van Swieten Comm. in Bœrh. aph. T. III. p.* 41.

nis & excretionis criticæ opitulatur, quorum alterum in laxa corporis temperie, blanda humorum diatheſi & leviori inflammatione, non niſi particulam pulmonis occupante, ſperandum eſt, alterum vero in excretis per ſputa, vel alvum vel lotium, imo & hæmorrhagias, *i*) vel opportunas aliquando metaſtaſes contingit, nihil incumbit medico, niſi unica hæc cura, ut ſub molli victu fotuque morboſi cocti tranſitum ad Naturæ nutum expediat. In neutro caſu venæ ſectio vel alia evacuantia temere tentari debent. Pone ſputa copioſa, craſſa, ab initio ſubflava cum ſtrigmentis ſanguineis, quæ non bilem ſed deliquium infarcti ſanguinis indicant, paulo poſt cocta magis & alba, hiante in bronchia aditu, jugiter & citra moleſtiam ita excerni, ut ſimul tuſſim, anhelitum & pulſum emendent, jam certe lædit venæ ſectio & collabentibus vaſis ſputa ſiſtit: plus etiam lædunt purgantia & ſudorifera, a quibus ſubducto & diſperſo tenui noxium minus coquitur, magis figitur & excretioni ineptum evadit. Hinc ſapienter H. Boerhaave vitare in hoc caſu ſuadet venæ ſectionem, purgationem, ſudoris expulſionem aliaque, dictam ſalutaris ſputi, quod morbum ſoluit, excretionem perturbantia. *k*) Quod ſi vero fatiſcunt Naturæ vindiciæ, & neque reſolutionis adparent ſigna neque excretionis criticæ, commendare aliquando venæ ſectionem licet, ſed neque tunc ſemper. Quod ſi enim oppleto fere pulmone & dejectis viribus parum adeo ſanguinis per vaſa meat, ut luculenter evincunt pulſus mollis, debilis & intermittens, frigusque extremorum, quis non opprimi intelligit a venæ ſectione vitam tam debilem, & reſiduum pauci adhuc ſanguinis mobilis, qui ægre motum vitalem tuetur, effundi. Concedimus autem

i) quam hic *Aretæus* inter auxilia coquentis & excernentis Naturæ numerat, *de cur. morb. ac. L. II. C. I. p. m.* 11. *C.* Id tamen ſecundum *Galenum* raro ſit, qui maxime febrem ardentem & phrenitidem, minus pleuritidem, minime peripneumoniam & lethargum fluxu ſanguinis iuvari docet. *de criſ. L. III. C.* 3. *Op. Cl. IV. p.* 139. *E.*

k) *aph.* 851. in omni ſtadio peripneumoniæ, quo reſolutio ſit vel coctio & excretio, omittit evacuantia a §. 850 *ad* 855.

autem id fieri in peripneumonia recenti magna & ſicca, in qua ſpes adhuc ſupereſt mobilioris ſanguinis, hærentis quidem in pulmone, ſed non nimis impacti. Verum & tunc prudentia poſtulat, haud uno rivo educere, ſed partitis vicibus, idque in corpore decumbente, quod jacturam ſanguinis facilius fert, & ſine deliquio virium crebrius in erectis metuendo. Mora hic indulgenda non eſt, quandoquidem ſub omni momento agentis cordis plus conſolidatur, quod obſtruit, liquidum plus transprimitur, & in vaſis extreme diſtentis nixus propellendi perit ut jam vel rumpantur vigente motu cordis, vel hic ſub illo reſiſtentiæ gradu ſuffocetur. Inde eſt, cur Aegineta peripneumonicis ex morbo alio jam prægreſſo nocere venæ ſectionem exiſtimet, *l*) nec Caelius niſi permittentibus viribus probet, *m*) Asclepiades vero totam hoc nomine rejiciat, quod peripneumonicos dolor haud urgeat, ſanguis vero tenuis educatur, talis, ut interpretamur, qui inſons & per vaſa mobilis eſt, relicto eo, qui in pulmone ſtagnat. *n*) Nolo alios tangere morbos acutos, in quibus hodie pariter ab illa veterum providentia multum abeſſe deprehendimur, & ſanguinem tanto Naturæ impendio paratum inutiliter ſæpe cum ipſis viribus & omnibus fere coctionum præſidiis effundimus. Paucis verbis circa apoplexiam noto, venæ ſectionem nunc occidere nunc liberare, *o*) vomitumque, quo ſolo interdum imprudentius excitato nata eſt apoplexia, ambigui admodum ſucceſſus eſſe, & neceſſario plerosque fluctuare, qui ſpecies apoplexiæ tam diverſas, aliam calidam & inflammatoriam, aliam lentam & pituitoſam, diſcernere negligunt. Ubivis fere venæ ſectio requiritur, non ita olim. *Lucius Verus*, qui ſecundo ſeculo cum *Marco Aurelio* rebus Romanorum præfuit, cum in itinere apoplecticus periiſſet

l) *de re med.* L. *III.* C. 30. *Coll. Steph. p.* 450. *E.* in alio ſtatu morbi admittit V. S. pro virium ratione, maxime ab initio.

m) *ac morb.* L. *II.* C. 29. *p. m.* 140.

n) *ib. p.* 43. ubi eum *Cælius* ex *Sorano* refellit.

o) *de medic.* L. *III.* C. 26. reſolutis membris omnibus.

riiſſet, *p*) conjecta in *Poſidonium* medicum, quod venam intempeſtive ſecuiſſet, mortis cauſſa eſt: hodie in eum conjiceretur, qui non ſecuiſſet. Aretæus ſtrangulari apoplecticum larga venæ ſectione cenſuit, *q*) & Aetius noluit ſecari venam niſi aliis tentatis, & tunc quidem prædicto periculo. *r*)

§. XIV.

Id igitur facile adparet, non niſi ab ignaris Naturæ opus turbari & coctionum præſidia cum ſtrage virium everti. Lente & caute ad ſuppetias feſtinandum eſt, neque his enim ubique eget Natura. Quod qui neſcit, eum errare, nec errore erudito, Sydenham cenſet, & utrumque intempeſtivum vocat, nunc æſtum febrilem calidis, diaphoreticis, alexipharmacis, cardiacis magis accendere, nunc venæ ſectione, clyſteribus, emeticis purgantibus & id genus aliis nimis exſtinguere, cum hoc pacto partium ſeparabilium ſecretio plurimum impediatur. *s*) Fatetur, febrem cum ſtupore capitis conjunctam ſe aggreſſum fuiſſe venæ ſectione in brachio, cervice, pedibus, emplaſtris, veſicatoriis, cucurbitis, enematis, diaphoreticis omnis generis, ſed incaſſum; cum vero quieſceret, lente quidem at ultro morbum ſe ſolutum vidiſſe. *t*) Hæc non eſt niſi ingenui medici confeſſio, qui Naturæ & artis merita haud inter ſe confundit, erroresque ſuos, ut caveant alii, in turbata Naturæ coctione agnoſcit. Utinam tam honeſtus pudor plures corriperet, nec toties imprudens medicus ad

p) *Jul. Capitolin* in vita *M. Aurel.* v. *ſcript. Hiſt. Aug. Ed. Salmaſ.* p. 29. it. *Dan. Clerici hiſt. de la med. P. III. L.* 3. *C.* 9. *p. m.* 762.

q) *l. c. L. II. C.* 4.

r) *tetr. II. S.* 2. *C.* 27. *Coll. Steph. p.* 263. *G.*

s) *Obſ. S. V. C. II. p. m.* 229. *it. S. III. C.* 2. *p.* 145.

t) *ib. p.* 228.

ad exemplum Helmontii *u*) lentas Naturæ criſes ſperneret, & plus illa ſapere ſibi videretur. Notent illud, quibus ſolenne eſt, tot venæ ſectionibus febrem deprimere, & tot catharticis alvum emungere, unde tot mala chronica torpente cum attritis viribus coctione pullulant, ut cachexiæ, convulſiones, *x*) hydropes *y*) & alia, quæ dum aliquando lento pede ſequntur, lætus præſenti tropæo medicus vires adflictas, tanquam ſuo tempore ultro redituras vane ominatur, nec ut emendet errorem, ad illa, quæ ſubſequuntur, ſuis ſæpe oculis non amplius expoſita, reſpicere poteſt, vel ſi reſpicit, quasvis alias novorum morborum cauſſas comminiſci mavult, quam ad prioris medelæ nævos referre. Vidimus, quos ſua arte reſtitutos jactarunt medici, nunquam deinde ad priſcum valetudinis robur enixos, ſed omni reliqua vita languentiſſimos. Semper probi medici eſt curare, ut vis febrilis reſiſtentiæ morboſi reſpondeat, & cavere, ne metu vel temeritate præceps in febre nunc fovenda nunc oppugnanda verſetur. Nemo non agnoſcit, lædere ferociam febris, quæ ſub majori impetu diſſipat liquida, reliqua corrumpit, ſolida labefactat vel majori vi rupta ſuppurationum & gangrænarum triſti fato ſubjicit. De eo autem negligentius cogitant, repreſſam ante coctionem febrem & exhauſtum evacuantium errore corpus nihil habere in ingeſtis præſidii, ſed perpetua cruditatum geneſi in illo

virium

u) *de Febr. C. XI.* §. 18. Candidius *Sydenham* Naturam deſcribit, quod ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exſequantur, materiamque debito ordine ac via tum ſecernat, tum etiam expellat, noſtra ope, noſtris artificiis atque auxiliis non indigens, ſuis viribus optime inſtructa, ſuis opibus locuples, ſuo denique ingenio ſatis edocta. *Obſ. S. III. C. II.* § 145.

x) de convulſionibus triduanis a V. S. ſcribit *P. Rommelius Eph. N. C. D. II. A. V. Obſ.* 142. *p.* 287. ibidem refert ex *Hippol. Guarinonio* virginem perfecte ſanam a modica V. S. convulſam. Aliam feminam inde convulſam vidit *I. F. Khern. Eph. N. C. D. III. A. II. O.* 54. *p.* 63. Nulla vero funeſtior convulſi quam ex inanitis vaſis.

y) hydropem ex crebra V. S. in femina obeſa & aſthmatica deſcribit *M. B. Valentini Eph. N. C. D. II. A.* 2. *O.* 159. *p.* 381.

virium coquentium excidio omnem moleſtum reddere & corruptelis ac ſtaſibus obnoxium uſum vitæ, niſi potius umbram vitæ dixeris.

§. XV.

At velut acuti morbi cito vel perimunt, vel ad coctionem perveniunt; ita in chronicis notandum eſt, vigorem minime eundem eſſe, ſed majorem Naturæ in defecandis a ſuſcepta labe humoribus infirmitatem, creſcentem & ſuis, quæ languide opponit, armis magis privatam ſub parum provido evacuantium uſu. Hic auctores ex *Sydenhami* z) querela ſunt ignes fatui, haud veræ faces, adeo in ſalebras & præcipitia abducunt. Dum morborum horum curatio maxime remediis corroborantibus nititur, in eorum uſu evacuationes, qualescunque fuerint, prorſu officere graviter inculcat. *a*) Poterat ad fatuos illos ignes vel ad duces, quos hic ſequi minime oportet, *Guid. Patinum* referre, qui podagræ, hoc enim chronici morbi exemplum ſubjiciam, ſummum & unicum remedium dixit venæ ſectionem. Cui etſi ſubſcribere ambigit CH. MICH. ADOLPHI, *b*) alios tamen ad capienda experimenta impellens reperit aliquem, qui de lenimine dolorum ex ſecta vena nato ſine remanente noxa teſtimonium perhibuit. Hoc ita eveniſſe non repugno, latet tamen anguis in herba, & veluti venæ ſectio neque materiam neque cauſſam neque ſedem podagricam judice HERM. BOERHAAVIO *c*) attingit, ita illas dolorum inducias ipſi languori virium tribuo. Silebit podagra per annos tres quatuorve, ſi ſanguinem ter quaterve per annum detrahimus, & frui videbuntur podagrici aliqua jam immunitate, cum paulo poſt enervatis viſceribus, quæ noxium retinent ac

figunt,

z) *epiſt. II. Reſp. ad H. Paman. Op. p. m.* 326.

a) *de podagr. Op. p. m.* 457.

b) *Eph. N. C. Cent. IX. & X. Obſ.* 78. *p.* 172.

c) *aph.* 1270.

ſigunt, ſubtilis cacochymia emergit, in hydropem *d*) vel alia funeſta mala præceps. Sicut vegetioris vitæ ſignum erat, qui acrius erupit paroxyſmus, ita elangueſcentis eſt, qui ſuſpenditur ob retuſas vires, quæ excutiunt. Ignari haud cogitant de materia corrigenda, ſed ex pede, in quo tutius latuit, depellenda, nihil ſolliciti, ſi introverſa, vel decumbere ad articulos prohibita, longe majori vitæ periculo circa loca vitalia figitur. Eadem catharticorum fortuna eſt, licet per aliquot annos omni menſe exhibita conſolari ægros videantur, lætos jam & ſuo judicio ſanatos, at graviter deinceps credulitatem ſuam & medici imprudentiam luentes. Turbari genus nervoſum, cujus morbus podagra eſt, *e*) ſubduci liquidiora, labefactari virtutem expellentem, monet H. Boerhaave *f*) & plenius etiam Thom. Sydenham *g*) ad illum morbi genium ſibi plus quam triginta annorum injuria cognitum attentior. Hic perſuaſiſſimum ſe eſſe, ſuoque & aliorum peri-

d) *Aretaeo* teſte *morb. diut. L. II. C.* 13. *p.m.* 67. *C.* multis podagra in hydropem conceſſit vel aſthma. Vocat διαδοχὴν ἄφυκτον. Ita *Sydenham de podagr. Op. p. m.* 446. hydropi ſuccifis per V. S. viribus aditum parari ſcribit, vel ſi æger juvenis fuerit, podagram intra paucos annos latum imperium ſeu potius tyrannidem propagare. Improbat ibidem V. S. etiamſi ſanguinem pleuritico ſimilem fundat, ſemperque ait nocere, ſive ad præcavendam, ſive præſentem podagram leniendam, ſive reliquias diſſipandas adhibeatur.

e) ſecundum *aph.* 1262. *H. Bœrhaavii.* Ita *Sydenham* ἀταξίαν ſpirituum arguit, & *Aretæus* olim ἐν τοῖσι νεύροισι ἔισω podagram collocavit *de diuturn. morb. C.* 13. *p.* 67. *A.* Ipſa calx podagricorum refert ſub microſcopio fibrillas nerveas in minima ſegmenta reciſas apud *Ant. Leeuwenhoeck in arcan. detect. Leyd.* 1699. *p.* 43. Confirmant idem cauſſæ præcedentes, quæ vim nervis inferunt, commotiones animi, meditationes, uſus Veneris, Bacchi &c.

f) *aph.* 1271. Jactatum olim eſt electuarium calidum purgans *Augenii*, ſed merito eviluit, vel hermodactyli, quibus podagricus *Gregorius I. Epiſcopus Antiochenus* periit.

g) *de podagr. p.* 447. 448. teſtatur haud effugiſſe podagram, qui catharſin vere & autumno, vel ſingulis menſibus, imo continuis hebdomadis adhibuerunt; eam inde crudeliorem ſurrexiſſe, & inter ſymptomata immaniora, quam ſi ab omni medicatione abſtinuiſſent.

periculo compertum habere dicit, omnem catharſin ſive per leniora ſive fortiora plurimum nocere, & accerſere malum, non avertere. Morbus eſt quaſi extra teli jactum poſitus, latens in minimis ob deperditam viſcerum in ultimis coctionum & ſecretionum momentis virtutem, tonicis, quæ renovant, erigendam, non evacuantibus magis deſtruendam. Neque in aliis morbis chronicis, in quibus vera corruptela primas vias inquinat, tuta ſunt præſidia, quæ continuo uſu per vomitum & alvum educunt, & huc ſenſim alliciunt, quibus corpus defraudare nefas eſt. Sæpe quidem levat detractum vomitu noxium & bilioſum, ipſaque invitat vomendi in ægro procliuitas, & hac neglecta corruptus ille & retentus humor in ſentinam cedit, quæ toto deinde medicationis tempore crucem figit & plerumque diarrhœam parit, jam adſtringentibus non cedentem & proſtratis viribus ægro funeſtam. *h*) At non raro injuſta eſt latentis hujusmodi vitii ſuſpicio, vel neſcit terminos, vel negligit vires. Male hic hypochondriacis conſulitur, in quibus, ob craſſi immobilis & feculenti ſanguinis decubitum ad laxiora vaſa hypochondriaca, ſecretio liquidorum primæ coctioni ſervientium laborat: hinc aſſumta iis non ſubacta in ſpontaneam corruptionem, flatuum ſpaſmorumque cauſſam, abeunt, in quo ſtatu, ſi pugnatur evacuantibus, mobilius expelli, tenacius plus figi, ſi ſtimulantibus, nocentiſſimum per vaſa lacerata fluxum oriri, ſapienter monet HERM. BOERHAAVE. *i*) At ſolemnius nihil eſt, quam hic ſuſpectam habere bilem, & ſub vehementi friabilium partium concuſſu educere velle, imo huic ipſi motui temere concutienti ſalutarem in nervos vim tribuere. Quam ſpem iis, qui ita ſentiunt, vix in extrema graviſſimorum morborum injuria & ultimo proſtratarum virium lan-

h) de quo *Sydenham Obſ. S. I. C.* 3. *Op. p. m.* 55. at etiam tunc ait ſe in tenella ætate & inſigni ægri debilitate miſſum facere emeticum, quod multi hodie infauſto errore ad ipſos morbos inflammatorios vel etiam malignos transferunt. Ibi dum pars inflammata vix levem attactum fert, quomodo quaſſantis motus ferat injurias? Hic cum ab initio jam morbi ſuccumbant vires, an nova diſpendia fatum ægri præcipitent?

i) *aph.* 1100.

languore eripies, clavam certe facilius *Herculi.* Neque vero illa hypochondriacorum ſpecies, quæ ſpaſmis maxime ex imbecillitate nervorum laborat, quo feminas hyſtericas leui animi commotione irritabiles referas, placidius fert evacuantium vim & ſtimulos. Vix enemata SYDENHAM permiſit in affectu hyſterico, qui interdum inter flava & viridia ejecta colicæ bilioſæ genium ad unguem expreſſit. *k)* Verum adeo negat venæ ſectionem & repetitas purgationes hic profuiſſe, ut omnia mala inde potius invaluerint, & lethalis morbus evaſerit, qualis ſuopte ingenio non fuit. Tentata fortia emetica mineram mali exhauſiſſe viſa ſunt, ſed altero die rejecta eadem viridia, vel alterius pravi coloris, nihil emendarunt, maximum in narcoticis momentum fuit.

§. XVI.

Longum nimis eſſet, evacuantium noxas per plures morborum campos proſequi. Agnoſcimus vero, modo vires pro coctione integræ perſiſtant, frequentem eorum ſalubritatem, & qui hanc nimis extenuant, *l)* ſub eadem nobis cenſura ſunt, quam qui extollunt nimis. In ſolo abuſu noxam collocamus, merito tamen quia tam frequens eſt & a paucis agnoſcitur, crebrius acriusque redarguendo. Obſervarunt ex tempeſtiva & iterata venæ ſectione cœcitatem IO. LANZONUS, *m)* palpitationem & ſyncopen CHR. HELLWIGH, *n)* loquelæ memoriæ & rationis imbecil-

k) Obſ. S. IV. C. 7. *p.* 213-215.

l) inter quos eſt *Jo. Tackius in chryſog. anim. & miner. p.* 111. ubi vivaciores dicit *Sinarum* in provincia *Nanking* populos, quorum medici V. S. pro gravi errore habent. quaſi dum feruet olla, juſculum effundas, quod igni ſubtrahere oportebat. Ipſe octogenarios nunquam V. S. paſſos quadragenariis vegetiores ſe vidiſſe ſcribit.

m) in alui fluxu adoleſcentis. *Eph. N. C. D. III. A.* 7. *&* 8. *O.* 70. *p.* 117.

n) poſt uſum draſtici. *ib. A.* 5. *&* 6. *O.* 186. *p.* 429.

becillitatem P. ROMMELIUS, o) pareſin JO. JAC. WEPFERUS, p) proclivitatem ad febres THOM. WILLISIUS. q) Noxam in terrore, quo vulgo protinus ad venæ ſectionem confugiunt CH. HELLWICH r) in raucedine ſemper a vena ſecta contumaciori JO. SCHMIDIUS s) ſuis obſervationibus illuſtrant. De hydrope, convulſione & aliis malis jam diximus, infauſta ſobole dejectarum a venæ ſectione virium. Ita a purgante paralyſin inteſtini recti JO. DAV. MAUCHART, t) iſchuriam ANDR. LEBENWALDT, u) convulſiones epilepticas GABR. CLAUDERUS, x) hypercatharſin ex drachma una radicis jalappæ periculoſam I. M. MÜLLERUS, y) imo mortem a levi etiam tutoque in plurimis purgante NIC. GUIL. BECKERS z) notant. Vomitum toties funeſtum quis neſcit nunc œſophagum rupiſſe, ut vidit H. BOERHAAVE, a) nunc omentum, ut habet JO. AND. LÖW, b) nunc ileon teſte J. JAC. WE-

o) in ſexagenaria ſed vegeta. *ib. D. II. A.* 5. *O.* 140. *p.* 282.

p) in colica ex vino. *ib D. I. A.* 2. *O.* 39. *p.* 70.

q) *de febr. C.* 9. De homine, qui quoties vere vel autumno V. S. admiſit, altero vel tertio die poſt in tertianam incidit, ex *Alexandro de Inſula* ſcribit *Ch. Fr. Paullini Eph. N. C. D. II. A.* 4. *App. p.* 211. *n.* 51.

r) *Eph. N. C. Cent. X. Obſ.* 33. *p.* 310. in gravida.

s) in juvene catarrhoſo rauco vidit a V. S. creſcentem & in ſanato remanentem raucedinem. Vidit etiam plures ſemper a V. S. raucos, nec ſe deceptum fuiſſe unquam, ſi dixerit raucis, quorum malum nullis remediis ceſſit, quod V. S. adhibuerint. *Eph. N. C. D. I. A.* 9. *&* 10. *O.* 57. *p.* 146.

t) *Eph. N. C. Cent. V. & VI. O.* 34. *p.* 57.

u) *ib. D. II. A.* 4. *O.* 83. *p.* 168.

x) *ib. A. VII. Obſ.* 162. *p.* 313.

y) *Eph. N. C. Cent. VIII. Obſ.* 34. *p.* 306.

z) *ib. D. I. A.* 1. *Obſ.* 81. *p.* 197.

a) *in hiſt. morbi atrocis nec deſcripti prius Leyd.* 1724.

b) *Eph. N. C. D. II. A. VIII. O.* 125. *p.* 271.

WEPFERO. *c*) De morte iliaci a clyſtere ANDR. CNÖFFELIUS, *d*) de ſcorbutico inde convulſo GABR. CLAUDERUS *e*) referunt. Mortem ex calido clyſtere ZACUTUS LUSITANUS *f*) ex frigido TH. BARTHOLINUS *g*) commemorant. At vaſtam obſervationum ſylvam quis facile ingreditur, cui non talia ubertim occurrunt? Nolim aliorum evacuantium inter ſimiles noxas meminiſſe. Varia omnium cauſſa eſt, varius effectus, ſufficit nobis paucis exemplis oſtendiſſe, prudentiam in uſu evacuantium ad multa paſſim momenta reſpicere, ſed oculo ſemper attentiori ad coctionum viriumque læſionem, cui in paulo majori gradu mederi velle frivola ſpes eſt & inane utplurimum molimen. *h*)

DIS-

c) *ib. D. II. A. X. O.* 171. *ſch. p.* 329.

d) *ib. D. I. A.* 3. *O.* 209. *p.* 385.

e) *ib. D. II. A.* 3. *O.* 77. *p.* 173.

f) L. III, *prax. admir. O.* 141.

g) *Cent. I. hiſt.* 76. *p.* 126.

h) *G. Franci de Frankenau* notetur coronidis loco proverbium: *die meiſten Leute ſterben durch unzeitig Purgiren und Aderlaſſen, ib. D. III, A.* 4. *O.* 6. *p.* 11.

DISSERTATIO
DE
VALETUDINE HOMINIS NUDI ET COOPERTI

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. 21. JULII 1763.

RESP.

BEYFUS ANSELMO SCHLOSS,

MOENO-FRANCOFURTENSI.

CONSPECTUS ARGUMENTI.

§. 1. *Tulerunt primi homines nuditatem ſub cælo benigniori, hodie etiam ſub aſperiori ferunt barbaræ quædam gentes.* §. 2. *Rationes contra neceſſitatem tegumenti: nullum cælum ſuis incolis inimicum eſſe, nudos in frigidiſſimis & feruentiſſimis regionibus valere, novam in hoc ſtatu tutelam naſci, duras calvarias, calloſos pedes, hirſutum corpus &c.* §. 3. *Vindiciæ neceſſarii tegumenti contra allatas rationes. Ipſi barbari nudi unguine parant corpori cruſtam, quæ pro tegumento eſt contra aeris tempeſtates, gelu, æſtum, puncturas inſectorum.* §. 4. *Natura pleraque ſub ortu animalia veſtiens nobis commodioris veſtitus pro vario indigentiæ ſtatu optionem reliquit. Luxus inde & leges veſtiariæ.* §. 5. *Antiquiſſima tegumenta pellicea.* §. 6. *Communiſſima lanea.* §. 7. *Mundiſſima*

linea

linea. Huc referunt priſci omnem lanam, quæ ovium non eſt, vegetabilem & marinam. §. 8. *Splendidiſſima ex ſerico, Coo bombycino, ipſis telis araneorum.* §. 9. *Rariora ex papyro, charta & aliis.* §. 10 *Valetudinis ratio circa materiam & formam veſtiariam. Laudatur ſimplex veterum Romanorum forma, exemplo togæ.* §. 11. *Prima proprietas probi tegumenti, mundities, vigilans contra metum contagii & ſuſpecta ſæpe habens ipſa odoramenta.* §. 12. *Secunda proprietas, proba tutela contra externas cæli injurias, frigora maxime & calores. Quæritur, ſatiusne ſit, veſtiri toto anno tenuiter, ſecundum* J. Cheynæum, *an ſecundum* Sydenhamum *ſub autumno ſtatim hiemali veſte indui, nec eam niſi adulto vere ponere? Hoc adſuetis tutius, illud, quibus integrum eſt ferendis modicis aeris injuriis adſueſcere, præſtantius.* §. 13. *Tertia proprietas vindicat liberum functionum exercitium in veſte nec laxa nec adſtricta nimis.* §. 14. *Conſideratio idonei veſtitus pro gradibus ætatum.*

§. I.

Primorum hominum nuditas ſub moderato benignioris cœli fotu nec valetudinis offenſas metuit, nec cauſſas in ſe continuit probri & pudoris. Quid enim tam clementi nutu vocari ad vitam inter ambientes perpetuo læſionum & exitii cauſſas? quid exire e manu ſanctiſſimi conditoris potuit, in quo nota turpitudinis eſſet? Nudi erant, *a*) quod ſentirent, pudenda ſe feciſſe,

a) Inextricabilibus ſe induunt nodis, qui *nudum* proprio hic ſenſu interpretantur. Verba ſunt Io. Clerici, quo judice *Adamum* & *Evam*, cum terrarum orbem ſoli incolerent, nuditatis ſuæ, quaſi prius non animadverſæ, pudere non potuit, quippe quibus æque pudicus ſub aperto cœlo thalamus fuit, quam ſi tecto, muro, laquearibus vel aulæis abſconditus fuiſſet. Nihil hic indecori in naturali deſiderio & pleno fruendi jure. At culpæ, quæ in tantas miſerias & quaſi nuditatem dejecit, ve-

eiſſe, & violatæ legis reos divinæque iræ obnoxios eſſe. Pudor maxime invaſit animum tam capitalis erroris ſibi conſcium, ut vir & femina jam ſub ficulneis foliis vel denſiori fronde horti latere, & cum ipſo corpore, quod miniſterium peccato præbuerat, tegi obvoluique vellent; non tam, quod ipſi, qui ſub arctiori vitæ commercio in unam carnem coaluerant, mutuum in illa nuditate conſpectum minus quam ante ferrent, quam quod exuta innocentiæ veſte judicis ſui formidarent oculos, quamvis effugere non poſſent. Multiplicatis vero hominibus & in omne jam nefas pronioribus ſtrictior pudoris cuſtodia reprimere profuſæ libidinis in utroque ſexu fomitem, & impuros continere motus, maxime ab illis membris, quæ ob caſtæ propagationis leges, ſingulis familiis ſacras, nec vagæ Veneris erroribus contaminandas, adeoque neceſſariam in uſu verecundiam, verenda adpellantur, prurientes debuit injecta veſte cohibere oculos. Nec vero deſunt, qui perſuaſi, callum magis parere quam exacuere ſenſum, quidquid ante oculos perpetuo verſatur, ad barbarorum hodie etiam caſte ſatis in illa nuditate viventium exempla provocant, quos commoveri ad partium illarum conſpectum non plus quam nudæ manus videas. Quo nomine *Caraibas b*) legimus ut gentem innocentiſſimæ vitæ laudari, quibus nihil non nudum in toto corpore eſt, ita ut, cum Europæi Chriſtiani nollent eos niſi velato corpore ad ſe

lum quæſivere inter ficulnea folia. v. *Comm. in Geneſ. III. v.* 10. *p. m.* 32.

b) *Cariabæ*, inſularum hujus nominis incolæ, olim *Canibales* dicti & primum ex *Florida* orti, deſcribuntur ut homines manſueti, a raptu alieni, caſti, at diverſorum in America populorum more nudi. Derident eos, qui genitalia tegunt, nudos enim ſe naſci, & quæ Natura dedit, tegere ſtultitiam eſſe. v. *Allgem. Geſch. v. America c. præf. S. I. Baumgarten L. V. C.* 15. *S.* 15. §2. *p.* 845. Qualia paſſim plura occurrunt. *Peruviani*, vir & femina, plerumque nudi vel negligenter tecti. ib. *Vol. II. C.* 3. *S.* 3. §2. *p.* 153. puellæ prorſus intectæ inter incolas *Hiſpaniolæ ib. L. IV. C.* 5. §. 39. *p.* 615. nudæ ad tempus fluxus menſtrui in inſula *Antill. Lucay. ib. L. I. C.* 4. *S.* 4. §. 5. *p.* 629. de *Guynea* v. *L. IV. C.* II. §. 14. *p.* 468.

ſe admittere, attulerint quidem operimenti aliquid, verum mox ad ſuos reduces abjecerint, & ſecretiori loco, quaſi in ſingularis rei, quæ ſibi eveniſſet, memoriam depoſuerint. Verum præter ea, quod prima & mobilior ætas in illa inſita morum corruptela facile nimis ſuccumbat Naturæ illecebris, quas nullum externum legis frenum moderatur, tum quoque ipſe callus, qui ex majori licentia præmature oritur, *c*) minime ferendus eſt, quippe vegetæ robuſtæque ſobolis proventum juſto celerius ſufflaminans. Convenit durabiliores reddere ſub moderato ſtimulo Naturæ facultates & honeſtæ propagationis metam protrahere, & adverſus inconſultam laſcivorum hominum prodigentiam, qui ſibi permiſſi in omne de decus ſenſibus ſuis blandiens ruunt, & mox ſub ipſa adſuetudine hebeſcunt, vindicare. Unde olim *Lycurgus d*) ipſos novos maritos clam & furtiſe cum nuptis rem habere, maximam diei partem & totam noctem cum æqualibus tegere voluit, ut amor ſemper recens, ſatietas nulla, proles ſub raro & ardentiori amplexu vegetior eſſet. Severior *Catonis* cenſura *e*) e ſenatu movit virum, qui filia præſente oſculatus uxorem eſt, quod pudicitiam in ſobole nihil magis quam exemplum parentum tueatur. Penes *Mahumedanos* lex eſt, ipſas mulierum facies tectas, & parum oculis ſpatii, ut vias diſcernant, relictum eſſe, adeoque publici irritamenti nihil habere, nec domi facile niſi

c) Talem prodidit querela *Propertii* inter binas meretriculas, nudas & cantantes, ſine ſenſu iacentis, *L. IV. Eleg. VIII. v.* 47. *Edit. Brœckh. p.* 456.

Cantabant ſurdo, nudabant pectora cœco.

d) *In Apopht. Lacon. Plutarch. Op. T. II. p. m.* 288. *A.* crimen adulterii in illa gente vocat ἄπιςον.

e) *Ib. in præc. conjug. Op. T. II. p. m.* 139. *D.* Haud multum diſſimile de *Hierone* legimus, qui mulctam *Epicharmo* poetæ indixit, quod indecori aliquid præſente uxore dixiſſet. *ib. in apopht. Lac. Op. T. II. p.* 175. *E.*

niſi maritis & liberis patere. *f*) Certe cum lenocinii plus ſit in facie, lex quoque adulterarum apud *Aegyptios g*) truncari nares voluit, ut maxima in pœnam adimerentur venuſtatis lenocinia. *Cornel. Sulpit. Gallus* uxorem dimiſit aperto capite foris verſatam: nam lex, inquit, meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam adprobes. *h*) Nutriendus eſt pudor, ſine quo omnis virtus ruit, *i*) & cum quo ſtabilior ſemper amabile magis cenſet, ad quod extra rapinarum arbitria poſitum connivente lege & honeſtis viis admittitur.

§. II.

Hic vero non tam ad tutelam verecundiæ, cui veſtis inſervit, quam valetudinis reſpicimus. Stat nobis ſententia, poſt alimentorum præſidia, haud alia, quæ veram humanæ vitæ indigentiam conſolantur, inſigniora eſſe quam tegumentorum. Has binas res ad ſalutem corporis noſtri pari gradu neceſſarias ipſa conjungit divinæ vocis auctoritas, qua deſideria noſtra coarctare, ſique ſuppetit, quantum ad victum & amictum ſatis eſt, adquieſcere jubemur: *k*) unde luculenter patet, neutro horum carere nos in totum poſſe. Excutiendæ tamen paulo adhuc magis ſunt eorum rationes, qui homines, ſi mature adſueſcunt, facile aeri ſuo

f) Lex quoque *Perſarum* vetuit, mulieres ab alienis viris ſpectari, cuius legis reverentia *Vaſthi* ad nutum *Ahasveri*, ut illam oſtenderet convivis, imo nudam, ut Chaldæa paraphraſis habet, comparere vocata renuit, v. *Joſeph, antiqu. Jud. L. XI. C.* 9. *Op. Ed. Hauerc. T. I. p.* 567. Nec antiquioris ævi feminas illa modeſtia dedecuit. *Penelope* ad procerum acceſſum tenui velo genas texit. *Homerus Odyſſ. XVIII. v.* 209. λιπαρὰ κρήδεμνα vocat velamenta illa capitis oleo inuncta & ad humeros protenſa.

g) *Diodor. Sicul. in Bibl. L. I.* 78. *v. Edit. Weſſel. p.* 89.

h) *Valer. Maxim. L. VI. C. III.* 10. *p. m.* 559.

i) *Senec. Epiſt. XXV. p. m.* 97.

k) 1. *Timoth. VI.* 8.

ſuo in omni nuditate conciliari arbitrantur, & nullum, ſub quo naſci contigit, cœlum incolis ſuis inimicum eſſe, *l*) benignum potius fotum & occultum vitæ cibum præbere: quo ſe beneficio temere privant, qui veſtibus obvoluti virium tam amicarum ad ſe acceſſum ipſi impediunt. Satis vero conſtare ajunt exemplo frigidiſſimarum regionum, nudas olim imo & nunc varias barbarorum gentes vegeti corporis & longævi eſſe, nec inter illas facile reperiri, claudos, luſcos gibboſos, & quidquid in corpore mendarum eſt, *m*) feminas etiam difficiles partus fere neſcire. Cujus rei rationem deprehendere ſibi videntur in liberori, quod nudorum eſt, functionum exercitio, cum alii ſub onere & faſciis integumentorum arctius ſæpe & inconſultius injectis multum remotæ ſentiant. *Gæſatæ*, accolæ *Rhodani* apud POLYBIUM *n*) in congreſſu cum *Romanis* nudi penitus & ſolis armis primos ſuorum ordines occuparunt, ita rati, ſe expeditiſſimos fore ad pugnam, nec ſenticetis, quæ ſæpe laciniis veſtium adhærent, implicari. Nec niſi parum in pugna tegminis *Germanis* fuit, ad quod tamen, quaſi faciliorem victoriam promitteret, reſpexit *Julius Cæſar*, & initurus cum *Arioviſto* prælium, quis neſcit, inquit ad milites, nos totum corpus armis tegere, illos majori ſui parte nudos

l) Naturam caloris & frigoris incrementa regionibus diſtinxiſſe, hinc ſtatim ad locorum patientiam animalia generaſſe & arborum frugumque genera variaſſe, ſapienter docent *Scythæ* apud *Juſtinum Hiſt. L. II. C.* 1. *p. m.* 58. De *Britannis* poſitio cœli, *Tacitus* inquit, corporibus habitum dedit, *in Vit. Agric. XI. p. m.* 457. Confer in hunc locum *Gruteri diſſ.* 45.

m) Ita & *Braſilienſes* maxima parte nudi, ſive mares ſive feminas ſpectes, ut robuſti, vivaces, & inter quos ægrotantium ac quodam vitio corporis laborantium parum eſt, deſcribuntur. v. *Allgem. Americ. Geſch.* 1. *c. L. III. C.* 2. *S.* 1. §. 13. *p.* 40.

n) *Hiſtor. L. II.* 28. *Ed. Gronov. p.* 62. Arguit vero in iis τὴν φιλοδοξίαν καὶ τὸ θάρσος.

dos eſſe? *o*) Lex olim ſacri agonis fuit, certare nudos, quis vero alius horum certaminum ſcopus erat, quam ſanitas, robur, agilitas & bonus corporis habitus? Quamvis primum athletæ, ut pudor & honor oculis eſſet, ſubligacula geſtarent, *περιζώματα περὶ τὰ αἰδοῖα*, *p*) attamen & hæc paulo poſt aboleri cœperunt, ob impedimentum ex iis in curſu *Orſippo* natum, ut primus deinde *Acanthus q*) ſtadium totus nudus decurreret, quem morem plenæ nuditatis ſui ævi THUCYDIDES *r*) imo ſui adhuc ſuiſſe PAU-SANIAS

o) *Dio Caſſius in Hiſt. Rom. L. XXVIII. edit. Reimar. p.* 185. 3. Vocat eos *Cæſar γυμνὲς τὸ πλεῖςον*, at & ſperat, legionem ſuam decimam, cui præ aliis multum tribuit, ſi neceſſitas poſtulet, nudam quoque per ignes ituram eſſe.

p) Illa adhuc erant *Homeri* ævo certamina, qualia *Iliad. XXIII. Achilles in Patrocli* honorem, funebria inſtituit, in quibus *Epeus* in pugna proſtravit *Eyrialum*. Hic *v.* 683. *ζῶμα* vocatur illud cingulum, & *v.* 685. *ζωσάμενοι* pugnantes, uti mox etiam *v.* 709. adpellantur *Ulyſſes* & *Ajax* in certamen deſcendentes. Notat ſcholiaſtes poſt ea, quæ *Orſippo* contigerunt *Olymp. XIV*, natum eſſe gymnaſiorum nomen. At *Philoſtratus in vita Apollon. L. VI. C.* 10. *Ed. Olear. p.* 238 refert, jam ab *Hercule*, hoc inſtitutum eſſe, ut nudi athletæ certarent.

q) *Dioniſius Alex. antiq. Rom. L. VII. p. m.* 475. 6. primum ait *Acanthum Olymp. XV.* totum corpus nudaſſe, & hunc morem *Romæ* ſuo tempore manſiſſe.

r) *Hiſtor. L. I.* 6. *Ed. Ducker. p.* 7. Ait, athletas in Olympico certamine uſos olim ſubligaculis eſſe, at annos non multos, (mavult *Hudſon multos* legere) præteriiſſe, ex quo uti iisdem deſierint, licet ipſa adhuc prima conſuetudo apud barbaros maxime in *Aſia* perſtiterit. Refert, primos *Lacedæmones* corpora nudaſſe & oleo pro certamine inunxiſſe, vix deinde in *Græcia* oppidum ſine gymnaſiis fuiſſe. *Euſebius in præp. Ev. L. VI.* 18. *Græcos* ſcribit nulla vi ſiderum prohiberi potuiſſe, quin in gymnaſiis nudis corporibus exercerentur. Opus ſæpe fuit, ſi lucta involueret obſcoenius, ut gymnaſiarcharum virga diſſolveret. conf. *P. Fabri agoniſt. L. I. C.* 20. *p.* 73. Nec vero *Plato* ipſe improbat, viros & feminas, promiſcue in gymnaſiis exerceri; nudari enim feminas, ut pro veſte virtutem induant. *dial. V. de rep. Op. p. m.* 401. *it. de leg. VII. Op. p.* 566. Ita *Propertio L. III. Eleg.* 12. *v.* 4. *p. m.* 330. notatur.

inter luctantes nuda puella viros.

SANIAS *s*) teſtantur, neque hinc mirum eſt, *Auguſtum*, ne his ſpectaculis feminæ intereſſent, vetuiſſe. Hos inter colores, quibus nuditatem corporis valetudini favere magis quam officere evincunt vel evincere nituntur, ille adhuc referendus eſt, habere non modo nudum corpus in ſe, quod contra ſolitas aeris injurias defendat, integumenta tam communia, cuticulam, cutem, pinguedinem ſub cute & panniculum carnoſum, quam propria, quæ interna viſcera propius obvoluunt, & oſſa, quæ ſuſtentant; ſed his etiam in novas vindicias plus momenti creſcente periculo ex ipſo uſu accedere. Ita enim multi cum *Fr. Gliſſonio* docent, *t*) nudum corpus protruſis mox uberius pilis nova tutela potiri; boreales populos glaciem, meridionales feruentem terram, quam inſueti calceati non ferunt, nudis pedibus calcare, horumque callo, qui mallei ictum non ſentit, defendi; *u*) denique ipſa capita radiis ſolis liberius expoſita compactiſſimas brevi calvarias conſequi, quod HERODOTUS *x*) exemplo *Ægyptiorum* & *Perſarum* in

Juſtius *Peleus* contra *Menelaum* Spartanarum puellarum nudis femoribus & laxatis tunicis communes cum juvenibus curſus & palæſtras improbat, ȣ̓κ, inquit, *ἀναχετȣ̀ς ἐμόι non tolerandos mihi. Euripid. in Androm. Act. III. Ed. Barneſ. p.* 313. *v.* 599.

s) *in Attic. Op. p. m.* 42. ubi *Orſippi* fatum recenſet, & ſuo adhuc ævo a plane nudis certamen iniri ſcribit.

t) *de part. cont. C.* 8. *n.* 7 id fere hodie in *Panduris* videas toto pectore, quod nudum geſtant, hirſutis. *Mela Carmanos* ut ſine veſte ſic toto corpore præter capita hirſutos deſcribit *de ſitu orb. L. III. C.* 8. *Ed. A. Gronov. p.* 283. *Leonel Wafer* Chirurgus Anglus in itinere ad iſthmum Amer. incolas quaſi lana & plumis, quæ e corpore emergunt, tectos ſiſtit. v. *Wilh. Dampier itiner. P. III. p. m.* 332.

u) *Pr. Radzivil in itiner. p.* 158. de locis quibusdam *Aegypti* locutus ubi famoſi clibani pullos gallinaceos producunt, terram a ſole ait tantum caloris accipere, ut in meridie vix aliquis indutus calceis aliquamdiu ferat, at ferre incolarum nudos pedes, quorum plantas tam induratas eſſe expertus cognoverit, ut mallei vim non plus quam equi ſentiant ſub affixis ſoleis.

x) *Hiſt. L. III.* 12. *Ed. Gronov.* 163. Simile addit ſe vidiſſe in iis, qui cum *Achæmene* filio *Darii* ab *Juaro Afro* ſunt cæſi.

in acie cæſorum illuſtrat, ex quibus illi ob mollitiem capitis ſub tiaris, fragilis levi vi, ψήφω μόνω, calvarias, illi duriſſimas nullo facile lapide diffringendas exhibuerint. Adeo invaleſcunt Naturæ arma ſub ipſis inter diſcrimina experimentis. Hoc tandem adjiciunt, qui cauſſam nuditatis propugnant, promptum eſſe, ſi aſperior aliquando tempeſtas exſurgit, idem facere ac bene veſtiti, & tantiſper ad tutiora loca confugere, imo variis artis adminiculis, ſcrutanti facile obviis, immodicum frigoris vel caloris exceſſum moderari. Nulla facile vis eſt, quæ arte non vincitur, & ſapienter SENECA, *y*) quo patientia & labore eniti licet, in ipſis nationibus nudis & inopia fortioribus conſiderare jubet.

§. III.

Nihil in his ſolidæ rationis eſt, cur barbari, qui in illa animi parum culti caligine, quæ e re ſua eſſent, non proſpexerunt, imo aliquando ex faſtu & majori ſapientiæ ſpecie, ut olim gymnoſophiſtæ, *z*) in duris gloriam quæſiverunt, utrinque licet auſteris vitæ & imaginariæ virtutis legibus ſenſim adſuefacti, ob aliquem temerarii tentaminis ſucceſſum nobis videri debeant exemplum præbuiſſe, quod alii tuto ſequantur. Sit ita, ſub non uno cœli et

y) *de provident. C.* 4. *Op.* T. I. *p. m.* 321. *Germanos* in exemplum producit, & perpetua, inquit, illos hiems, triſte cœlum, maligne ſolum ſterile ſuſtentat, imbrem culmo aut fronde defendunt - - horrenda iniquitas cœli, intecta corpora. Hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita eſt. *Id de ira L. I. C. XI. Op. T. I. p.* 20. *Germanis*, inquit, quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum proviſa ſunt, non ſuffugia adverſus perpetuum cœli rigorem. Siſtit *Phil. Cluverus* male tectorum hominum icones XII. ad finem Germaniæ antiquæ. *Mela L.* III. *C.* 3. *p. m.* 82. antequam puberes, maximo frigore nudos agere tradit, & *Tacitus de morib. Germ. C.* VI. feminis pectus nudum ad lacertos & brachia tribuit.

z) Siſtit illos PLINIUS ab ortu ad occaſum immobilibus oculis contuentes ſolem, ſimulque ferventibus arenis tota die alternis pedibus inſiſtentes.

& telluris ſitu vel mitius adfligere, quidquid inde aſperi & adverſi ad nos emanat, vel longa patientia durari corpus, ut ſentiat minus. Parum ſane ab eo gradu, quo obbruteſcit homo, diſtant, qui opportunitates vitæ ſub indultu Naturæ conceſſas tam vili pretio æſtimant, ut ubi fruges ſuppetunt, glandibus veſci malint, & ubi oblatis Naturæ muneribus gaudere poſſunt, pœnas ejus experiri glorioſius putant. Extra controverſiam eſt, cœli, quod blandiori temperie primos homines refovit, & telluris, quæ tunc ubertim dona ſua effudit, jam triſtiorem ſqualidioremque faciem eſſe, & corpora noſtra ſuſceptis poſt natam peccati labem corruptelæ ſeminibus, & poſt ultrices aquas, quæ orbem inundarunt, & germinum ſeminumque labefactarunt vires, jam pronius cauſſis morborum ſuccumbere, earumque in exitium noſtrum conſpirantium infeſtiori agmine circumvallari. Si ſunt, qui ipſis aliquando venenis non læduntur, ea tamen fugere, quis neget humana prudentia dignius eſſe, quam ſub ambiguo uſu & frivola ſpe, tolerari ſenſim poſſe, temere periclitari. Nulla in adeundis malis, quæ evitare licet, vera patientiæ laus eſt. Haud improbo experimenta, quibus adverſus nimiam vitæ mollitiem, quæ ſubinde ad levem frigidiuſculæ auræ adflatum trepidat, vindicamur, & rebus externis, in quarum perpetuo commercio ſumus, non omnis offenſæ expertibus, inter providos in uſu gradus mature conciliamur. Neque inficior plurimum prodeſſe, a teneris ſtatim, ubi corpus cereæ flexilitatis novas formas & leges facile admittit, ad ea, quæ firmitudinem aliquam pariunt, caute eniti, nec

H. N. L. VIII. C. 2. Ed. Harduin. 372. Etiam jucundius ſophiſtarum in India faſtum deſcribit Strabo *Geogr. L. XV. Edit. Almelov. p.* 1042-3. Erat *Oneſicratus* ab *Alexandro M.* miſſus, ut ſapientiam horum hominum audiret & de ea referret. Hunc *Galenus*, quod chlamyde & crepundiis indutum cerneret, riſit juſſitque, ſi quid audire & diſcere vellet, ſuper iisdem ſecum lapidibus nudum jacere. Alius ſpecie mitior *Mandaris*, veritus, ſi multa doceret, limpidam aquam quaſi per cœnum delabi, in eo maxime Græcos redarguit, quod leges ſuas Naturæ legibus anteferrent, alioquin enim pariter nudos & tenui victu contentos fere, cum optima domus ſit, quæ parvo adparatu egeat.

nec multum redarguo veteres *Lacedæmones*, *Celtas* quoque & *Germanos*, quorum mos fuit infantes a primo ſtatim ortu libero & frigidiuſculo aeri exponere. Habuerunt ipſæ gymnaſticæ exercitationes ſub favore tempeſtatum & juſtis in uſu limitibus, quod ad cuſtodiam valetudinis conferret, ut præeunte *Herodico* cœperit gymnaſtica tanquam pars medicinæ conſiderari; quamvis neque id neceſſario exigat, corpus parum decenter nudari, neque præceps inter duriora exercitia augmentum virium cum ſpe durabilioris vitæ & valetudinis conjunctum ſit. Parva non moror, ut nuditatem pedum *a*) priſcis heroibus & philoſophis frequentem, & nunc luctus nunc religionis cauſſa admiſſam. At certe in iis, qui ut *Gymnites* apud PLINIUM *b*) toti incedunt nudi, nihil imaginari licet heroe vel ſapiente dignum, illud vero unum, aut neſciri penitus commodioris vitæ opportunitates, aut quod magis barbarum eſt, contemni. Nulli non ævo ſub cultu vitæ honeſtioris nuditas probro fuit, imo capitale Perſis nudari, *c*) &

a) Apud *Stobæum de virt. ſerm. I. p.* 18. calceati pedes quaſi vincti & colligati multum perdere dicuntur agilitatis ſuæ, quæ in diſcalceatis perſiſtit. Nihil olim viſum eſt ἀσκητικώτερον quam ἀνυποδησία, quæ non dedecuit ſenatores in naſcentis Romanæ reipublicæ initiis. De *Phocione Plutarchus*, de *Catone Horatius*, de *Socrate Laertius*, de *Britannico*, *Scipionis* æmulo, *Tacitus*, alii de aliis etiam mulieribus teſtantur. Apud *Florum hiſt. L. I. C.* 17. virgines ex ſacerdotio *Veſtæ* ablata e templo ejus ſacra nudis pedibus comitabantur, & ſic matronas Romanas ædem *Veſtæ* adiiſſe *Ovidius* ſcribit *faſtor. L. VI. v.* 397. *huc pede matronam vidi deſcendere nudo.* *Berenice* ſoror Agrippæ pro tribunali *Flori* γυμνόπους ſupplicabat. *Joſeph. bell. Jud. L.* II. C. 15. *p. m.* 183. Nec alienum illud inter ſolennes Chriſtianorum ſupplicationes teſte *Tertulliano*. Ut vero religionis ſic quoque luctus teſtandi cauſſa in more fuit, quod exemplum in funere *Auguſti* illuſtrat, cujus reliquias primores equitum Romanorum nudis pedibus ſuo monumento intulerunt, v. *Sueton. vit. Aug.* C. 101. 9. At & illud notandum, nudos pedes non ubivis uſum excludere ſolearum.

b) *H. N. L.* VI. C. 30. *p. m.* 346. it. *Strabo in Geogr. L.* XVI. *p. m.* 1116. *B.*

c) Hinc molles habiti. Cum Rex *Ageſilaus* captos Perſas vendi nudos juſſiſſet, & hi, quod nunquam ſe exuere conſueviſſent, candidi ac pingues

& calamitoſiſſimum, quod inter eos *Beſſo* contigit, omni corporis velamento ſpoliatum ad ſupplicia rapi. *d)* Credibile eſt, indies hodie eorum numerum diminui, qui adhuc nudi & priſtini moris tenaces, quantis commodis careant, in illa commerciorum luce non poſſunt non perſpicere. Quin & illos adparet admiſiſſe dudum operimenti aliquid, quod veſtium loco eſſet, quibus uncta aſſidue & picta cutis cruſta quadam obducitur, ſub qua injurias aeris & ipſas noctu inſectorum puncturas minus ſentiunt. *Caraibas e)* etiam legimus lotos mane ſiccatosque ſucco *Rocu* flavi vel rubri coloris cum oleo, ut tenacius hæreat, ſubacto perungi & variis figuris inter mulierum manus exornari: & ſunt, quorum feſtis maxime diebus cuti, limpido glutine perfuſæ, floſculi adſperguntur, quos amœniſſimos tellus profert, vel plumulas, ut avium inſtar plumati adpareant; *f)* ne dicam de picturis quibusdam cauſticis, in *Virginia*, *Florida* & *Louiſiana* non infrequentibus, *g)* quibus figuræ quaſi hieroglyphicæ in cute ſignantur, ſigna-

adparerent, judicarunt milites cum feminis ſibi bellum fuiſſe. v. *Xenoph. Orat. de Ageſ. edit. Hutchinſ. p.* 18. Idem *de inſtit. Cyri p.* 565. ut in *Cyro* laudat exemplum omnis pudoris, ita *Perſis* tribuit πολλὴν ἐυκοσμίαν πρὸς ἀλλήλυς p. 567. Nec minus apud *Lydos* & finitimos barbaros probroſum fuit, nudum virum conſpici, Herod *L.* I. 10. *p. m.* 5. *Heſiodus* nec noctu permiſit intimam tunicam ponere, nec *Lyſidice* poſuit, cum lavaretur.

d) Curt. L. VII. C. 5. *p. m.* 521. Fuſius *Arrianus* deſcribit *Exp. Alex.* L. III. 30. *p. m.* 148. Juſſerat *Alexander*, nudum & capiſtro adligatum *Beſſum* ad dextrum viæ latus, qua ſibi cum exercitu transeundum erat, ſiſti & mox flagellis cæſum in *Bactra* ad ſupplicium trahi.

e) Allgem. Americ. Geſch. l. c. L. V. *c.* 15. §. 3. *p.* 845.

f) ib. L. VI. §. 11. *p.* 304.

g) *ib.* §. 8. *p.* 298. Tales ſibi olim a locis corporis acu punctis & infuſo nativi graminis ſucco paravit gens Pictonum, v. *Iſidor. orig.* L 19. C. 13. Simile *Solinus* in *polyb.* C. 22 de *Britannis* habet, iis a pueris per artifices plagarum effigies animalium incorporari, & notas pigmenti cum

ſignatæ acu perforantur, vulnuſculis varia, quæ erodere pergunt, inſtillantur, non ſine dolore & febricula comite, unde, cum id in pueris crebro tentetur, cicatriculæ cum corpore ipſo creſcunt, & gentilitia, quæ familias nobiliores inter ſe diſtinguunt, ornamenta referunt.

§. IV.

Paucos certe invenias hodie, qui de neceſſaria veſtitus ratione dubitent, plures, qui cum Natura quaſi expoſtulant, eam in veſtiendis animalibus ſub primo ortu magis quam hominibus occupatam, illis ſtatim ſetas, villos, ſquamas, plumas, teſtas, cortices, ſpinas & alia in tutelam adſperſiſſe, hos auxilio & fotu magis egentes, in auram, dum veſci ea incipiunt, nudos abjeciſſe. Verum in eo etiam major elucet Naturæ indulgentia, quæ homini poſt primas parentum ſuppetias curam ſui veſtiendi, in varia vitæ & ætatis linea novis indigentiis plenius accommodandam, ſub congenitæ rationis luce liberam reliquit, & conceſſa in omne animalium genus poteſtate, quæ ex his, vel rebus fere infinitis aliis, cedere in uſum ſuum queant, ante ipſos, ut congruentiora eligerent, oculos poſuit. Ab abuſu autem ut nihil immune eſt, ita plerique ad cultum & ſplendorem magis quam verum & decentem uſum reſpiciunt, pauci, ut par erat, ad verecundiæ & valetudinis leges, ad expeditius ſub idoneo veſtitu functionum exercitium, ad modeſtiam, munditiem, morumque in patria inter honeſtiores receptorum obſervantiam convertunt animum. Immoderatus luxus, cui texere & nere *Seres*, *Indi*, *Perſæ*, cui ſervire oves *Britannæ*, ſandyx *Indica* & *Tyrius* murex debent, omne ævum tanquam contagio quodam corrupit, ut vel hodie inter infimi ordinis homines videas, quos ſerica veſtis dehoneſtat. Frena injecerunt divinæ & humanæ leges, at quid ruenti luxuriæ facile reſiſtit? Divina lex *Hebræis* munditiem maxi-

incremento corporis creſcere. Conf. *Herodiani hiſt.* L. III. 14. *p. m.* 169.

maxime *b*) & pro ſexu diſcrimen veſtium *i*) præſcripſit, inter alia, ut morum ſimplicitatem ſectarentur, miſcelam lini & lanæ vetuit. *k*) Humanæ leges rigoris interdum plus quam conſtantiæ habuerunt. Ephori *Lacedæmonum* ad incolarum veſtitum admodum erant attenti, aliique *Græci* & inprimis *Locrenſes*, quos lex *Zaleuci* inſtituit, ut tunc quidem difficile non eſſet, ingenuos a fece hominum, meretrices a pudicis diſtinguere. *Alexander Severus* cuivis ordini & dignitati hominum certum definire veſtimenti genus decreverat, at diſſuaſerunt *Ulpianus* & *Paullus* tanquam fomitem invidiæ & rixarum. *l*) Nec feminis, quibus cura ſui cultus, ut cum *Celſo* dicam, eripi vix poteſt, lex *Oppia* diu injecit vinculum. Quod propriis liberorum hominum impendiis vis quaſi fieret, & ſeges odiorum & contentionum creſceret, multum per intervalla ab illa ſeveritate legis veſtiariæ illi receſſerunt, ad quos hæc cura pertinuit: nec videtur aliquid natis erroribus mederi facilius quam honoratiorum exemplum, & eorum contemtus, quorum judicia metuuntur. Ad errores vero illos luxum in veſtitu non minus quam neglectum refero. Ita

Socra-

h) Unde frequens ἱματολουσία juſſa divinitus ante legem latam *Moſi* & populo *Exod.* XIX, 10 & 14. & deinde crebrius in tota œconomia populi.

i) *Deuteron.* XX, 5. miſcelam veſtium, quæ ſexum diſtinguit, damnari legimus lege omnes obligante, quippe ad morum non rituum doctrinam pertinente. Nonne eſt contra naturum vivere, inquit *Seneca Ep.* 122. *p. m.* 608. veſtem cum feminis commutare? Hinc *Plato*, cum *Demetrius* omnes in convivio vellet muliebri ſtola ſaltare, renuit illa indui. v. *Diod. Sic.* L. XII. C. 12. ubi & *Chorondæ* fit mentio, qui in locum ſupplicii deſertores ordinum muliebri veſte per triduum in foro deſidere voluit. *Argivis* tamen in ſacris hybriſticis ſolemne erat, mulieres virorum, hos mulierum veſtibus uti, v. *Plutarch. de virt. mulier. Op.* T. II. p. 245. E.

k) *Levitic.* XIX, 19. Fruſtra *Joſephus* ad ſolum populum id reſtrinxit, ſacerdotibus licuiſſe ratus. Confer. *Ezech.* XLIV. 17.

l) *Lamprid. in vit. Alex.* C. 27. *p. m.* 122. E.

Socrates m) *Antiſtheni* attritam veſtem ut ſignum faſtus objecit, eodem jure, ac muliebrem mollitiem *Diogenes n)* juveni eleganter veſtito, cui varias quæſtiones moventi tunc dixit ſe reſponſurum, ſi ſublata veſte oſtenderet, vir eſſet an femina?

§. V.

Animus eſt, proſequi nonnihil veſtimenta, quibus non uno valetudinis commodo, non una viciſſim noxa utimur. Vſus pellium antiquiſſimus eſt & divinitus primis hominibus *o)* datus, cujus exempli norma mox ad omnes fere gentes tranſiit. Ita gentiles

m) *Aelian. Hiſt. Var.* L. IX. C. 35. *p. m.* 629. ubi *Socrates Antiſtheni* attritam pallii partem ſemper producenti, *non deſinis*, inquis, *apud nos te ipſum oſtentare?* Apud *Diog. Laertium* L. II. *ſegm.* 36. *Edit. Meibom.* p. 102. videre ſe dixit *Socrates* per ſciſſuram pallii vanum gloriæ ſtudium, διὰ δὲ τρίβωνος τὴν κενοδοξίαν. Bene *Marco Aurelio Imp. de rebus ſuis* L. XII. § 27. *p. m.* 121. maximus faſtus dicitur ſpreto faſtu ſe efferens, τύφος ἐπὶ (cum Gatakero legendum non ὑπὸ) ἀτυφία τυφόμενος. Scite *Diogenes* cum veniſſet *Olympiam* & *Rhodiacos* quosdam adoleſcentes vidiſſet pretioſe veſtitos, *faſtus ille eſt*, ridens dixit; mox cum in *Lacædemonios* incidiſſet ſordide veſtitos, *alius*, inquit, *hic faſtus eſt.* Hos etiam aculeos Diogenis, cum aliquando *Platonis* ſtrata calcans *faſtum calco Platonis* diceret, hic argute retorſit; at *alio faſtu*. v. *Diog. Laert. l. c.* L. VI. ſegm. 26. *p.* 328.

n) *Diog. Laert.* L. VII. *ſegm.* 46. *p.* 338.

o) *Gen.* III. 21. *Jo. Clericus* in hæc loca *p. m.* 38. commentatus mavult per tegumenta pellicea domus intelligere vel tentoria pellibus contecta, quod iſthuc locorum, ubi tepidiores hiemes erant, primi homines non tam indiguerint pelliceis veſtibus, quam tectis, ſub quibus ardorem ſolis & pluviæ ventorumque incommoda fugerent. Huc ſpectat illud *Naſonis* I. *Metam. Fab.* IV. v. 121. 122. *p. m.* 27. *domus antra fuerunt*

& denſi frutices & vinctae cortice virgæ.

tiles ſua numina ſiſtunt *p*) Homerus heroes ſuos. *q*) *Pelasgus* ut glandibus veſci ita veſtiri pellibus *Arcades* docuit. *Aceſtes r*) exuvias urſi, *Hercules s*) leonis geſtavit. Hunc humeris tantum & tergo tectum, anterius nudum & clava armatum imitati ſunt *Troglodita*, *t*) in quibus pariter poſtice tectis pellis arcebat improviſa pericula, anterius nudos clava defendebat. *Aegyptios*, qui vetuſtiſſimas omnium gentium ſe eſſe crediderunt, pellibus comeſtarum carnium Diodorus siculus, *u*) & *Scythas* de eadem vetuſtate cum *Aegyptiis* contendentes, pellibus non modo ferinis murinisque, ſed et paluſtris corio teſtis loco domuum uſos eſſe

p) *Anubis*, quia pellem caninam geſſit, ſub capite canino, *Macedo* ob lupinum lupino capite Aegyptiis cultus fuit, *Bacchus* cum comitatu cum pellibus ſylveſtrium caprarum, tigrium, pantherorum ſiſtitur. Sæpe cornua ſuper caput revoluta poteſtatis indicium ſunt, unde paſſim terribiles formæ ſatyrorum, faunorum, centaurorum &c.

q) *Agamemnonem* ipſum aliosque, etiam *Paridem* il. III. v. 17. *Ed. Ern.* p. 130. Scholiaſtes *Apollonii Rhodii* ſolemne dicit heroibus fuiſſe δερματοφορεῖν.

r) *Horridus in jaculis & pelle Libyſtidis urſæ. Virgil. Aen. V. v.* 37. *p. m.* 602.

s) Viduavit nemus *Jovis* leone, cujus exuviis cooperuit corpus, & caput leonis hiante rictu ſuper caput ſuum poſuit. v. *Euripid. Hercul fur. A.* 1 *p. m.* 366. *v.* 360. *ſq.* Decuit & heroinas forma pellium, vt *Atalantam* apri, *Camillam* tigridis. De hac *Virgil. Aen.* VIII. v. 177. *tigridis exuviæ per dorſum a vertice pendent.*

t) *Strabo* eos vocat γυμνῆτας, δερματοφόρους, σκυλοτοφόρους. *Geogr.* L. XVI. *p. m.* 1122. *A.* Sub ſimili forma exhibet *Sibas* in India ad morem *Herculis* pellibus tectos & clavam gerentes inuſtis boum & malorum notis, *ib.* L. II. *p.* 688. D.

u) *Bibl, Hiſtor.* L. I. S. II. *p. m.* 52.

eſſe Justinus x) commemorat. Herodotus y) in *Aethiopibus* pardorum leonumque exuvias. Strabo z) easdem & urſorum ſimul in *Mauris* conjungit. *Maſſagetis a*) paludum incolis pelles vitulorum marinorum, *Lyciis b*) caprarum, *Carnanis c*) piſcium, *Indis* quibusdam *d*) etiam avium tribuuntur. Ita priſcos in curia Romana patres pellitos legimus apud *Propertium e*) *Getulos* & *Sardas* apud Varronem, *f*) *Germanos* apud Tacitum & Cae-

SAREM

x) *Hiſt.* L. II. C. 2. *p. m.* 62. & 64. conf. *Senec. Ep.* 90. *p. m.* 406. ubi *Scythas* ait tergis vulpium indui ac murium, quæ tactu mollia & ventis impenetrabilia. Dum vero *Juſtinus* addit plauſtro pellibus tecto ut domo uſos eſſe, haud id penitus omitto, priſcos & equis & ſcutis & lectis & omni fere ſupellectili inſtraviſſe pelles. Tegebantur quoque militum tentoria pellibus, tegere autem in pœnam non licebat militibus a *Pyrrho* captivis & *Romam* reverſis. *Val. Maxim.* L. II. C. 7. n. 15. *p. m.* 195. Primum *Romani* in *Veiorum* obſidione ſub pellibus hiemabant, ut ex *Livio* repetit *Florus* L. I. C. 12, qui mos diu perſtitit. Apud *Cæſarem* legimus ob imbres contineri ſub pellibus non potuiſſe. L. III. *de bell. Gall.* C. 29. *p. m.* 167. at ſub *Corbulone* manſit exercitus, ſæva etiam hieme, ſub pellibus, *v. Tacit. annal.* L. XIII. 35. *p. m.* 534.

y) *Hiſt.* L. VII. 69. *p. m.* 405.

z) *Geogr.* L. XVII. *p. m.* 1184. *B.*

a) *ib.* L. XI. *p. m.* 781. *B.*

b) *Herodot. Hiſt.* L. VII. 92. *p. m.* 409.

c) *Mela* L. III. C. 8. *p. m.* 283. Ichtyophagis quoque ad mare rubrum membranas magnorum piſcium pro veſte fuiſſe *Philoſtratus* refert *in vit. Apollon. Tyan.* III, 15.

d) *ib.* L. III. C. 8. *p. m.* 295. Erant quoque avium plumæ in uſu ſilvicolis ut *Philocloti*, neque hodie infrequens eſt veſtis plumatilis novi orbis incolis.

e) L. IV. *eleg.* 1. 11, 12. *p. m.* 375. *Lactantius* poſteritati verum & immutabile habitum eſſe, quod centum pelliti ſenes ſtatuerant, confirmat in *div. inſtitut.* L. II. C. 6. *p. m.* 149. *Getarum* pellitam Curiam *Claudianus* tangit L. XXVI. *de bell. Getic.* v. 481. *p. m.* 432, pellitam quoque iuventutem adpellat in IV. *Conſul. Honor.* v. 466. *p. m.* 116. Placuit & olim *Lycurgo*, pueros pellibus adſuefieri, quos lana frangi metuit.

f) *de re ruſtic.* L. II. C. XI. *p. m.* 306. Idem L. II. C. I. *p. m.* 239. aureas pelles ob caritatem pecudis vocat, qualis in *Colchide* pellis arietis, in

SAREM *g*) *Corallos* & *Getas* apud NASONEM. *h*) Sed quid opus in tanto gentium conſenſu rem exemplis illuſtrare? Neque huic veſtimentorum generi cultum defuiſſe, quin is etiam ad luxum ſenſim degeneraret, in temporum progreſſu diſcimus. Si cum *Perſis* olim, tanquam aſperæ regionis incolis, quibus e corio ſubligacula & reliqua veſtis pellis, adeoque nihil eſſet, quod ſpem ſpolii alere poſſit, bellum gerere *Cræſo* diſſuaſit *Sardanis Lydus*; *i*) mox tamen cultiori ævo, quo ars dextre præparandi pelles inualuit, & cum *Parthia*, *Ponto*, *Aſſyria* ingens hoc nomine *Romanis* commercium interceſſit, *k*) cœpit etiam in pellibus, tum ferinis, quæ majorum, tum præcipue murinis, quæ minorum animalium erant, ſingularis delectus inſtitui. Vocabant nempe mures *l*) non tantum domeſticas illas beſtiolas penori infeſtas, ſed maxime hoc nomen erat ſylveſtrium minoris formæ, ut caſtorum, catorum murium-

Lybia Heſperidum mala aurea. Creditur ei ſub hoc nomine *Hercules* capras ovesque ex *Africa in Græciam* exportaſſe.

g) ferarum pelles tribuit *Tacitus de mor. Germ.* C. 17. *Cæſar* tam exiles, ut magna pars corporis nuda eſſet nec occultaretur, velut decebat, hinc nec probroſum fuiſſe, promiſcue in fluminibus prolui, *de bell. civ.* VI. C. 21. *p. m.* 313.

h) ex *Ponto* L. IV. *epiſt.* 8. *v.* 83. *p. m.* 868. *Corallos, ib. ep.* 10. *v.* 2. *p.* 876. *Getas* pellitos vocat; ſic *Hungaros Jornandes de reb. Goth. C.* 5. *Olaus Magnus Lappones & Bothnienſes* L. IV. *hiſt.* C. 4.

i) *Herodot.* L. I. 71. *p. m.* 28. diſſuaſit ſed non perſuaſit.

k) Sciverunt pilos, ſi molles eſſent, ſervare, ſi duriuſculi & aſperi, reſecare & pigmenta coloresque inferre. Florebat ars olim in *Parthia*, ex qua opifices teſte *P. Victore Romani* ab *Auguſto* acciti ædes VII in regione urbis XII incolebant. Ex *Ponto* etiam optime præparatas pelles & coria jam ante veniſſe, *Polybius* teſtatur, nec cum *Aſſyriis* majus interceſſit quam per coria commercium.

l) *Conſ. Adr. Turnebi adverſ.* L. XV. C. 23. *p. m.* 470. Mures *Ponticos* hermines Galli vocant, *Alpinos* Marmonts. *Carolus M.* ut in *vita ejus* C. 23. *p. m.* 112. *Eginhartus* habet, thorace ex pellibus hujusmodi confecto humeros ac pectus hieme munivit, quo loco *J. H. Schminkius* notat, veteres *Germanos*, præſertim potentiores, ex bellibus ſylveſtrium murium, quos mardos, zibellinos, ſibericos feles hodie adpellant, veſtimenta geſtaſſe, ceteros veruecinis contentos fuiſſe.

muriumque, molliſſima pelle commendabilium, in quo genere ſunt martes & hermelini, ex quibus nobiliores hiberno gerebant tempore pellitas penulas, & nunc gerunt. Fama erat *Ponticorum* & *Alpinorum* murium, quorum pellibus *Romani* principes in publicum prodibant. Habebant *Scythæ* illas tactu molles & vento impenetrabiles, quales etiam lautiſſimas ex frigidiſſimis regionibus cum magno ſumtu petebant. Et quos hodie exquiſitius pellitos quam *Ruſſos*, *Sarmatas* & *Aquilonios* populos novimus? Dudum fuit querela *P. Damiani*, *m*) deſpici jam ovium & agnorum exuvias, ermelinos, gobelinos, martures quæri. Sed nos hic minus morum ſollicitat cenſura quam valetudinis. Vix potuit cutem hominis, quæ ipſa veſtis eſt, alia cognatior virtus tueri quam pellis animalium, quæ fotum, quem præbet, haud diſſipari facile permittit. Docuit conſtans ſatis obſervatio, artus corporis nunc athritide nunc paralyſi laborantes, nunc frigore & rheumate infeſtatos dolentesque, pelliceo fotu manticarum, tibialium, calceamentorum, & quidquid ex his in uſum partium ars propius accommodat, plurimum ſæpe accepiſſe levaminis. Serviunt huic ſcopo pili molles ac denſi in pellibus leporum vulpium & catorum ſylveſtrium, quales REIN. SOLENANDER *n*) commendat, ſi nervorum imbecillitas nervorum in ambulando officium ſuſpendit. Plumeam pellem cygni bene præparatam pro tegumento pectorali in morbis thoracicis magnopere extollit GUIL. FABR. HILDANUS, *o*) & præſentaneam conjugi ſuæ, aliis auxiliis incaſſum uſæ, opem tu-

liſſe

m) L. II. *Ep.* 21. *p.* 128. *conf. Helmold. hiſt. Slav.* L. I. C. I.

n) *Conſil. med.* S. II. C. 4. *p.* 161. quod & commendat in levi ſtupore brachii & manus vacillantis. *Conſ.* 17. *p.* 164.

o) L. VI. *Obſ.* 21. *p. m.* 520. Eodem loco vulturis pellem pro roboranda coctione ſuadet ventriculo admoveri. Simile operimentum pectoris & ventriculi ad fulciendam coctionem a pelle cygni cum plumis, imo & his ſolis, laudat *G. van den Boſche hiſt. med. de animal. nat.* L. I. C. 18. *p.* 50.

liſſe teſtatur. GALENUS *p*) ipſe præſidii multum promittit a pelle ovium & agnorum recens detracta, & in tempore adhuc locis recens percuſſis vel contuſis admota. Eſt & HIPPOCRATI *q*) laudata pellis agnina, tum in doloribus variis, tum ſigillatim, ſi virginum ventri in mora menſium calide imponitur. Non tam benigne de pellibus caprarum ſentit. Ut enim capras *Ariſtoteles* morboſas, *Varro* nunquam a febre liberas, *Plutarchus* etiam epilepticas cenſuit, ita HIPPOCRATES *r*) negavit, a comitiali morbo, ſi ſemel inciderint, *Africæ* mediterraneæ incolas, liberari poſſe: perpetuo enim caprinis pellibus & carnibus uti, nec ſtratum nec pallium nec calceamentum habere niſi caprinum. Id ſane multi in amictu pelliceo redarguunt, majorem in eo curam & ſolertiores a ſordibus tineisque vindicias requiri. Defunctorum quoque varia labe animalium pelles aliquid occulti veneni alunt, multum noxii inquinamenti pronius diſpergunt. Neque alius facile veſtitus eſt, qui novi contagii ſuſceptum virus celerius propagat. I. G. SOMERUS *s*) tali veſte ad varioloſum profectus doluit in gravi filioli ſui, poſt reditum ſuum protinus infecti, diſcrimine. Notat P. FORESTUS, *t*) ab una veſte pellicea, qua *Veronæ Germanorum* aliquis peſte correptus periit, mox alios viginti quinque ea uſos periiſſe. Spargunt quoque recens detractæ pelles, ſi non veneni aliquid, certe fœtidi multum: unde olim LOCRI apud

p) *de ſimpl. med. fac.* L. XI. Op. Cl. V. p. 80. E. luculentiſſime prodeſſe ſcribit. Dolores a partu ſic in generoſa femina cohibuit *H. Grube de med. fac. cogn.* p. 10.

q) alterum *de morb. popul. V. Op.* T. II. p. 786. alterum cum ſuffitu in pudenda occurrit in *L. de ſuperfœt. Op.* T. II. p. 660. XXIV.

r) *de morbo ſacro Op.* T. II. p. 326. III. 6.

s) *Miſcell. Nat. Cur.* T. II. A. 9. O. 24. p. 54. corripuerunt puerum magnus æſtus & mox graves motus epileptici, donec ſenſim variolæ erumperent.

t) *Obſ. med.* L. VI. O. 22. *ſchol. p. m.* 181. Subjicit, ſex pueros *Alcmariæ* obiiſſe colludentes cum veſte, quam ab hærede, peſte defuncto, allatam, mater ſoli expoſuerat.

apud PAUSANIAM *u*) *Ozolæ* dicti ſunt, qui, cum veſtem texere nondum didiciſſent, corpus recentibus ferarum pellibus contra frigus muniverunt, verſo, ut veſtis plus decoris haberet, pilo extrorſum. Ita oportuit conſimilem odorem membra redolere. At cultius ævum eadem non facile metuit.

§. VI.

Lana poſt pelles, imo ſimul cum iis, trahi in uſum veſtium, etiam conſtantius cœpit. Ajunt, *Mercurium* molli arietis palpatu allectum, cum vulſos floccos facili tractu eliquaret, anſam dediſſe *Iſidi*, ut prima inter *Aegyptios* lanam nere docuerit, tanquam aptam texendis veſtibus materiam. *x*) Sine dubio PLINIUS, *y*) qui primos textilia inveniſſe *Aegyptios* ſcribit, id de lana intelligit, licet ad ejus exemplum ars texendi tranſierit brevi ad linum, ſericum & alia. Ubivis celeriter vellerum uſus invaluit, quorum jam nomen indicat, in more prius fuiſſe vellere lanam quam tondere. *z*) Olim non aliud fere opus muliere dignius, quam lanificium

u) ab ὄζειν olere. *Pauſan. Phoc.* L. X. *p. m.* 301. *lat.* 356. *gr. text.*

x) *Tertullian. de pallio. p. m.* 14. cum notis *Salmaſii* mendas in textu emendatis *p.* 208. *ſq. Juſtinus* tamen L. II. C. 6. *p. m.* 84. prima lanificia *Athenienſibus* vindicat.

y) *H. N.* L. VII. C. 56 *p. m.* 414. ubi inventum lini uſum *Arachnæ* tribuit, quæ in hoc opere *Minervam* vicit, quam *Jul. Firmicus de prof. rel. p.* 49. textrinæ artis magiſtram vocat. At proprie fuerunt ab initio non textiles veſtes ſed plexiles, ex reſtibus inter ſe nexis plexisque.

z) *M. Ter. Varro de lingu. lat. p. m.* 19. moris fuiſſe ait, ante inventam tonſuram ex ovibus lanam vellere; unde nomen vellerum. Certe *Romæ* mos vellendi antiquus fuit, & ſuo ævo *Plinius* ſcribit, non jam oves ubique tonderi, durare quibusdam in locis vellendi morem. At *Græci* tondebant dudum, nec minus *Hebræi* qui tonſuras ſuas inter feſtivas epulas celebrabant, I. *Sam.* XXV, 2. II. *Sam.* XIII, 23. *Schind-*

ficium fuit, & novas nuptas comitabatur colus comta & fuſus cum ſtamine ad fores mariti, quas lana coronabant. *a*) Nobiliores etiam matronæ *b*) in ſignum probitatis & pudicitiæ his occupabantur, & maritis, filiis, amicis dona parabant, de quibus SILIUS: *c*) *quod noſtræ nevere nurus, venerabile donum eſt.* Filiam & neptes ſuas, ut lanificiis adſueſcerent, ipſe *Auguſtus* inſtituit, nec temere alia eſt quam veſte domeſtica uſus, quæ e manu uxoris vel ſororis, vel filiæ vel neptium exiit. *d*) Potiora certe *Romanorum* veſtimenta, togæ, tunicæ, lacernæ, pretium a lana & colore habebant.

Ierus quidem cum aliis evincere nititur, tondere veterum nihil aliud fuiſſe quam vellere, at *Sam. Bochartus* luculentum oſtendit diſcrimen in *hieroz.* P. I. L. II. C. 45. *p. m.* 481. *ſq.* Vtrumque modum agnovit *Maimonides in Biccurim* C. 10. §. 6. ubi quemvis velleris primitias debere ait, ſive vellat ſive tondeat lanam.

a) *Plutarch. Quæſt. Rom. Op.* T. II. *p. m.* 271. *F.* Ex *Heſychio* diſcimus, *Athenis*, ſi mas natus, ramum oleæ, ſi femina, lanam ante fores poſitam, v. *Paſchal. de coron.* L. V. C. 15.

b) memores *Tanaquilis*, cujus lana in colo & fuſo ſervata eſt in templo *Sangi*, quod ſacellum erat in ſeptima regione urbis, & ab ejus manu toga regia undulata, qua *Servius Tullius* uſus, in æde fortunæ. Id *Plinius* ex *Varrone* refert *H. N.* L. VIII. C. 48. *p. m.* 475 *Plutarchus* l. c. *Caiam Cæciliam* vocat, cui ſtatua in templo cum ſandaliis & fuſo poſita ſit.

c) *Punicor.* L. VII. v. 81. *Edit. Drakenb. p.* 342. Sic apud *Naſonem Faſtor* II. v. 742. *p. m.* 143. *Lucretia* ad acceſſum regiorum juvenum nebat,

ante torum calathi lanaque mollis erat.

Non mirum, in laudem defunctarum aliquando lapidibus inſcriptum legi: *domum ſervavit, lanam fecit.* Sciverunt antiquiſſimo ævo feminæ non texere ſolum veſtes ſed & intertexere varia, ut *Helena* pugnas *Græcorum & Troianorum Iliad.* III. v. 125. At apud *Perſas* ſordidum & indecorum fuit lanificium, nec hodie feminæ niſi inferioris ordinis vitam hanc ſub tenui mercedula tolerant. *Salomonis* obſervari animis judicium debebat, qui mulierem laudat in lana & lino occupatam, *Proverb.* XXXI. 13.

d) *Sueton. in vit. Aug.* C. 64. & 73.

bant. Ut in *Aſia Mileſiam* & ea adhuc molliorem *Laodiceam*, in *Græcia Atticam* & in viciniis *Megarenſem* præferebant, ita inter *Italas* maxime *Tarentinam* & inter *Gallicas Altinatem* probat COLUMELLA. *e*) Pretioſiores habitæ ſunt lanæ albæ, ob quas primum locum *Apuliæ* alterum *Parmæ* tertiam *Altino* vindicat MARTIALIS. *f*) Nec vero lana alterius nativi coloris, ut *Canuſia* cani, *Bætica* rutili, *Pollentia* fuſci, *Hiſpana* nigri languidius expetita eſt. Hæc poſtremum nominata vellera Romam crebro allata a nigro colore, qui nec elui poſſet nec alium bibere colorem, κόραξα a corvo dicuntur STRABONI. *g*) Nolim alias celebriorum olim lanarum ſpecies, ut in ſacris *Damaſcenas*, *h*) vel ipſas *Arabicas i*) fuſius proſequi. Nec enim noſtra ætas excellentioris lanæ

e) *de re ruſtic.* L. VII. C. 2, *p.* 206, 3. *Altinum* quidem urbs *Galliæ* hic dicitur, at pariter hodie *Italiæ* eſt municipium Venetæ regionis. *Plinio* in dignitate lanæ paulo alius ordo placet: primum locum dat *Apulæ*, alterum *Tarentinæ*, tertium *Mileſiæ*, H. N. L. VIII. C. 48. *p. m.* 474. Omitto *Selgicas* lanas, ſoli *Tertulliano l. c.* C. III. *p. m.* 14. laudatas, cui tamen fidem conciliat *Strabo*, & illam regionem teſtatur paſcendo omnis generis pecori ſufficere *Geogr.* L. XII. *p. m.* 855. C.

f) L. XIV. *Epigr.* 155. *Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis nobilis: Altinum tertia laudat ovis.*

Ita vero albor ipſi placuit, ut hunc jactare *Epigr.* 145. L. XIV penulam ſuam gauſapinam juſſerit:

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta,
Vt me vel media ſumere meſſe (i. e. in feruente æſtate) *velis.*

Sunt & *Maronis* verba: *greges villis lege mollibus albos.* Honeſtiores nempe habitæ ſunt veſtes albæ v. *Iſ. Caſaubon.* in *Athen.* L. IV. C. 10. *p. m.* 270. 65. Pulchre *Pſalm.* 147, v. 16. glumus nivis, qui terram tegit, ut munus divinum, cum lana comparatur.

g) *Geogr.* L. III. *p. m.* 213. A. ὑπερβολήτις ἐςὶ τȣ̃ κάλλȣς.

h) *Ezech.* XXVII. 18. *Tyrias* nundinas frequentabant *Damaſceni* allatis vino & lanis. Illud *Perſarum* regibus unice in deliciis erat, idem cum *Chalydovio*; hae pares erant *Mileſiæ* puritate & mollitie.

i) duo hic ovium genera *Herodotus* deſcribit, alterum caudas habens longas, trium cubitorum, quas ſubligare oportet, ne attritu ad terram exulcerentur, alterum caudas ad cubitalem latitudinem. *Hiſt.* L. III. 113.

lanæ ovibus, ut etiamnunc *Hiſpanis* & *Britannis*, deſtituitur. Hujus tam eximiæ lanæ proventum pinguibus & lætis an macris potius & ſitientibus arvis tribui debeant? poſſis ex COLUMELLÆ *k)* judicio dubitare. Is enim laudatis ob lanam ovibus Tarentinis & Altinatibus tranſit ad magnam earum laudem, quæ circa Parmam & Mutinam in macris campis ſtabulantur. Et cur macris? quia ovis lanæ cauſſa pingueſcere non debet, nam omne pingue animal pilis fere deſtituitur. Ad hæc reſpiciens MARO, *l)* *ſi tibi lanitium curæ eſt*, inquit, *fuge pabula læta*. Hinc & HIER. CARDANUS *m)* in parum fertili ſolo lanæ ſubtilitatem exſpectat. At majoris momenti res eſt, inter hæc lanarum diſcrimina, quæ in tantos vitæ uſus & plebi & principibus *n)* ſerviunt, probe ponderare, quot manus & quam utiliter in cultiori pannorum fabrica exerceantur, quæ opificia, ut fullonia, textoria, tinctoria, ſartoria aliæque, quæ commercia per orbem inde ſtabilita floreant. Agnoſcenda cum *Columella* eſt magnitudo utilitatis, quæ ab ovillo pecore pendet, cum nos præcipue contra frigoris violentiam protegat, & noſtris liberaliora velamina corporibus præbeat. Velut ovis frigidiſſimum animal, & licet molliſſimum, tutiſſimæ vale-

p. m. 203. Ex *Herodoto* repetit *Aelian. hiſt. anim.* L. X. C. 4. *p. m.* 548.

k) *de re ruſt.* L. VII. C. 2. *p. m.* 206. *Strabo Mutinam* ſolam nominat cum *Scutano fluvio*, ubi lana πασῶν πολὺ καλλίςη *Georgr.* I. V. *p. m.* 234. dicitur.

l) *Georgic.* III. v. 385. *p. m.* 423. Notat hic *Philargyrius* læta paſcua lanam facere ſolocem, id eſt, minutam, duram, hirſutam.

m) *de ſubtil.* L. X. *p. m.* 533, pabula, inquit, ſterilia ſubtilitatem lanæ augent, & ideo *Anglica* lana ut olim *Mileſia* celebratur. *Scaliger in exercit.* 99. *contra Cardan p.* 610. lanarum apud *Britones* & *Belgas* copiam, utrinque vero agri felicitatem agnoſcit, & ſimul lanas laudat, quas dant hodie *Apulia* & *Provincia*.

n) qui olim ab hoſtibus devictis tributum lanæ exegerunt 2. *Reg. III.* 4. Perſarum reges ſe diſtinguere lana a Turcis *Omaritis* voluerunt. *Sofi* Arabibus lana dicitur, & nomen eſt familiæ Regum Perſarum illo ca-

valetudinis eſſe Deus voluit. *o*) At ob majus illud in veſtiendo homine meritum ovium adclamat iis poeta: *ſic vos non vobis vellera fertis oves*! & digniſſima ratione hujus in uſum humanum beneficii meminit JOBUS, *p*) dum pauperes ait vellere agnorum ſuorum incaluiſſe. Non dubitat FR. BACO de VERULAMIO, *q*) veſtes ex lana, quod corpus exhauriant minus, lino præferre licet tactu & mollitie jucundiori, & *Hybernos* ſylveſtres ſcribit ingruente morbo nil prius curare, quam ut lintea e ſtratis tollant, & laneis pannis obvoluant corpus. *M. Aurelio Antonino*, cum frigido & languente ventriculo laborans conſuleret *Galenum*, *r*) hic inquit, quandoquidem vobis regibus tutiſſima remedia admoveri debent, ſufficiet manipulus lanæ cum pauxillo nardini unguenti ad oſtium ventriculi poſitus. De aliis lanæ ſpeciebus, quæ arborum ſunt vel concharum, etiam inferius dicemus.

§. VII.

Neque vero illud veſtitus ſui tributum a ſolis animalium pellibus aut lana exegit deſultoria hominum & rei unius cito nimis pertæſa levitas, ſed & vegetabilium, quæ par miniſterium promitterent, vires ſcrutata reperit, quod ſpem ſub majori indies cultu confirmaret in vili ad primum adſpectum lino, cujus ſeges, ut *Maro* queritur, urit terram, & ut *Plinius* addit, deteriorem reddit.

capitis velamento utentium, in cujus medio ex lana conſtipata rubri coloris ſenis gradibus adſurgit pileus.

o) verba ſunt *Sam. Bocharti in hieroz.* P. I. L. II. C. 45. *p. m.* 475. Negat *Columella* peſte oves laborare *de re ruſtic.* L. VII. C. 2. *p. m.* 606.

p) C. XXXI. v. 20.

q) *in hiſt. vit. & mort.* *Op. p. m.* 538. Rationem ſuggerit, quia in ſe aliquid unctuoſi lana habet, & hinc pulveres odorati inter lintea citius quam lanas virtutem perdunt. Quo ſpectat, quod cum commodo valetudinis fieri multi jactant, laneis carmoſinis ſub induſio munire pectus.

r) *de præcogn. ad Poſthum.* C. XI. *Op.* T. IV. p. 218. H.

reddit. *s*) Etſi apud *Græcos Romanosque* diu alius quam lanæ & vellerum uſus pro veſtimento in honore non fuit, ſenſim tamen linum in lanæ mollitiem tuſum in pretio non minori haberi cœpit: Inter prima & rudiora tentamina ſerviit ſtragularum loco dormientibus, ut *Uliſſi t*) in navi, vel nomine thoracis linei, quæ ſpecies armaturæ erat, ut *Ajaci* apud *Homerum u*) & poſt plura ſecula *Galbæ* apud *Suetonium. x*) Verum a communi veſtitu abfuit diu, *y*) ut licet interulam & tunicam diſtinguerent, illa tamen æque

s) v. *Virgil. I. Georgic. v.*77. *p.m.* 191. *Plin. in H. N.* L. XIX. *procem. p. m.* 1054.

t) ſtraverunt illi *Phæaces* in navi ῥῆγος τε λίνον ſtragulam & linum. *Homer. Odyſſ.* III. v. 73. dein. v. 118. ſuſtulerunt illam ex navi σύν τε λίνῳ καὶ ῥήγει.

u) hinc λινοθώρηξ dicitur *Homero Il.* II. v. 529. Habebat ille thorax lineus tortos ex multis filis funiculos, nunc bilices nunc trilices ſecundum *Scaligerum*, vel erat linum decies & plus complicatum, & aceto vel vino auſtero probe ſalito maceratum, & telis vix penetrabile ſecundum *Iſ. Caſaubonum. Iphicrates* militari diſciplina tam nobilis etiam pro ferreo olim adhibito thorace, ut expeditiores milites eſſent, lineum ſubſtituit. *Corn. Nep. in vit. ei. C.* 1. Huc ſpectat *Thucydides Hiſt.* L. I. 6. *p. m.* 6, ubi χιτῶνας λινοῦς, ſc. lineos illos thoraces, (nam θώραξ & χιτων miſcentur Græcis judice *Salmaſio*) ſuo tempore ſcribit *Athenienſibus* in uſu eſſe deſiiſſe. In quo vocis ſenſu non erat, cur. *Gottf. Olearius in not. ad Philoſtr. vit. Apollon* L. I. C. I. *Laertium* redargueret, qui lana uſum Pythagoram dixit, quod lineæ veſtis uſus ad illa loca nondum tranſiiſſet, in *vit. philoſ.* L. 8. S. 19. *p. m.* 504. majori jure *Octav. Ferrarius de re veſtiar.* P. II. L. 4. C. 12, 167 redarguit *Jul. Pollucem in Onomaſt.* L. VII. C. 16. ubi *Athenienſes* linea tunica talari uſos ſcribit, cum omnia veſtimenta virilia tunc lanea eſſent, feminis vero nullæ tunicæ talares.

x) *in vit. Galb.* C. 20, *p. m.* 154. Obviam ivit ſeditioſis militibus thorace lineo, parum tamen, ut ipſe non diſſimulavit, contra tot mucrones profuturo.

y) exigua linei mentio fit apud *Plautum*, *Plinius* veſtium ſub lana non æque ſub lino meminit, aliquid tamen feminis tribuit. His vero apud

æque quam hæc lanea eſſet, & frequens hinc neceſſitas balnei ad detergendas ſordes ſub cute, quam lana texit, magis collectas. Viri præ feminis diu abſtinuerunt, donec ſenſim, qui in conviviis miniſtrarent, ob expeditius ſub veſtitu tam levi miniſterium, mox etiam milites, linea integumenta adhiberent, quorum mox, ut mos eſt, cum luxu invaluit uſus, ſub imperio inprimis *Alexandri Severi*, quem boni & puri linteaminis, id eſt, ſine purpura & auro adpetentem LAMPRIDIUS *z*) adpellat. Verum *Aegyptii*, a quibus lineæ veſtes per commercia ad plures gentes tranſierunt, *a*) illarum uſum ab antiquiſſimis temporibus cognitum habebant. HERODOTUS *b*) lineis veſtibus circa crura fimbriatis amictos *Aegyptios* deſcribit, ſuperinjecta quidem lanea amicula, quam tamen inferre non licuit in ædes ſacras, imo profanum fuit, cum eadem ſepeliri. Sacerdotibus vero *Aegyptiis*, ut *Ammonis*, *Iſidis*, *Oſiridis* ob ingens munditiei & ſanctitatis ſtudium neceſſe fuit, omni triduo, ne quid ſordium hæreret, & corpus radere & ſola veſte linea tegere, tanquam in ſervitio rerum divinarum mundiſſima & candoris puri ac luminoſi. *c*) Rejecerunt ideo veſtem laneam ut

hoſtes transrhenanos pulchriorem veſtem quam lineam neſciri ait *H. N.* L. XIX. C. I. *p. m.* 155. & *Tacitus de mor. Germ.* C. 17. *Op.. p. m.* 400 ſcribit feminas ſæpe lineis amictibus velari, licet nuda ſint brachia lacerti & proxima pars pectoris. An aliquid *Auguſtus* jam linei habuerit, colligunt, ſed obſcure nimis, ex *Sueton. in vit. Aug.* C. 82. *p. m.* 488.

z) *Hiſt. Aug. ſcript. VI. Ed. Salmaſ.* p. 127. B. Solebant iam lineæ etiam veſtes auro & purpura clavari, at clavi purpurei aſperas reddebant, aurei rigidas. Igitur dementes *Alexander* vocat, qui non contenti purpuram linteis aſperitatem dediſſe, auro adderent rigorem.

a) *Vopiſcus in vita Carini* veſtes *Romæ* lineas ex *Aegypto* petitas memorat *ſcript. hiſt. Aug. VI. p. m.* 254.

b) L. II. C. 81. *p. m.* 118. Ad hanc normam in *Orphicis & Bacchicis* humari profanum fuit.

c) *ib.* C. 37. p. 102. *Apulejus* lineum textum quoque puriſſimum rebus divinis velamen vocat Apol. II. *p. m.* 131. Hæc pariter verba ejus l. c.

ut profanam, quoniam ab animali decerpi lanam, adeoque has veſtes ex mortali materia fieri, ſibi aliisque perſuaſerunt. Lineum telæ genus, PHILO *d*) inquit, non eſt a re mortali, ἐκ μηδενὸς τῶν ἀποθνησκόντων: eſt vero, ut PLUTARCHUS *e*) ad illam veterum mentem loquitur, e re immortali, ἐξ ἀθανάτȣ τῆς γῆς. Atque illi ſunt, quos calvos & linigeros MARTIALIS, *f*) velut ipſum *Indis* numen linigerum NASO *g*) dixit. Vero ſimile putat POLYD. VERGILIUS, *h*) veſtes ſacras *Hebræorum*, divina lege ſacerdotibus præſcriptas, primum ab *Aegyptiis*, at ſine horum ſuperſtitionibus, ad proprii & purioris cultus ornatum, ſub uſu etiam reſtrictiori, petitas eſſe. Nam שש ſive byſſum, qua uſos *Hebræos* legimus, *Abarbanel* linum *Aegyptium* vocat in ſpecie ſua præſtantiſſimum, idque in *Aegypto* unice naſci *Aben Ezra* adfirmat, *i*) jamque illa vox occurrit, ubi *Pharao* inter alia munera veſtem byſſinam *Joſepho*

ſubjicio: mundiſſima lini ſeges eſt, at lana ſegniſſimi pecoris excrementum, pecudi detracta, etiam inde *Orphei & Pythagoræ* ſcitis profanus veſtitus. Secutus hos duces *Apollonius Tyan.* diviniora ſibi in lino ſomnia promittit. in *Orat. ad Domitian.* v. *Philoſtrat. in vit. Apoll.* L. VIII. C. 5. *p. m.* 334.

d) *de monarch.* L. II. *p. m.* 823. *D.*

e) *de Iſid. & Oſir. Op.* T. II. *p.* 352. *E.*

f) *Epigr.* XII. 29. *p. m.* 491. Gregem quoque linigerum vocat *Juvenalis Sat.* VI. v. 533. *p. m.* 178.

g) *Ep. ex Ponto* L. I. v. 51.

h) *de inventor. rer.* L. IV. C. 7. Reſtrictior autem ille uſus elucet maxime ex *Ezech.* XLIV. 17, 18, 19. ubi ſacerdotes ſub ingreſſu interioris atrii veſtes lineas induere, minime ſacris ſub lanea fungi tiaras quoque in capite lineas, & femoralia ſuper lumbis linea geſtare jubentur, at deponere iterum finitis ſacris.

i) uterque in *Comment. ad Exod.* XXV. 5. Neque aliter *Münſterus* & *Mercerus* ſub voce שש judicant, quam byſſum eſſe, & ex ſola *Aegypto* provenire, conf. *I. Spenceri de leg. Hebr. rit.* L. III. C. 5. ubi de linea ſacerdotum veſte agit, & p. m. 850. contra *Bochartum Huetium* & *Fileſacum* pugnat, qui ab *Hebræis* ad *Aegyptios* tranſiiſſe uſum veſtis lineæ ſacerdotum malunt.

ſephok) obtulit. Quod tamen non prohibet, cum res fere omnis ſub aliquo cœli favore mittat quaquaverſum colonos ſuos, quin credam, *Hebraicis* etiam & *Græcis* inquilinam byſſum fuiſſe. *Plinius* lino byſſimo alterum ab asbeſtino *l*) locum tribuens has mulierum delicias circa *Elin* in *Achaia* geminare ait, & *Pauſanias m*) inter *Elei* agri miracula byſſum referens haud aliis in tota *Græcia* locis naſci teſtatur: imo addit, illam byſſum *Hebræo* non imparem eſſe. Probabilius etiam primæ patriæ jura adſeri *Indis* poſſe videntur, apud quos abundare linum, hinc incolas lineis veſtibus amiciri & nobiliores quidem byſſo, quam ex *India Aegyptus* in ſacros uſus acceperit, ſcribit *Philoſtratus. n*) Sed non eſt in re hærendum nimis, quam *Guil. Pancirollus o*) inter deperditas numerat, & in qua lanam & linum confundi multi coarguunt. Palam eſt, lanam, ſi pecudis non eſſet, ſed arborum fruticumque, ut goſſypium, priſcis paſſim lini nomine cenſeri. Haud dubitat *Plinius p*) mentione facta lanigerarum arborum in Inſula *Tylos*, quæ fructum cucurbitæ ſimilem ferunt, in quo rupto pilæ lanuginis

k) *Gen.* XLI. v. 42. Credibile eſt, commercia cum *Aegyptiis*, quæ ſub *Salomone* deinceps floruerunt, *Reg.* X. 28. talia etiam in ſacros *Hebræorum* uſus neceſſaria attuliſſe.

l) *H. N.* L. XIX. C. 1. *p. m.* 157. principatum dat lino asbeſtino in adustis *Indiæ* locis, quod, par pretio margaritis, ardendo adſueuit vivere & non conſumi in igne, ſed a ſordibus purgari, unde funebres regum tunicæ pro ſeparanda corporis favilla a reliquo cinere,

m) L. IV. *Eliacor. p. m.* 130. *gr. text.* 151.

n) *in vit. Apollon. Tyan.* L. II. C. 20. *p. m.* 71. Haud ſecus *Iſidorus* L. XIX. C. 27. & *Pollux* L. VII. C. 17. *p. m.* 741. byſſum vocant ſpeciem lini apud *Indos* candidiſſimi & tenuiſſimi. Hoc cum ſæpe purpureum colorem imbiberet, junguntur variis lociis byſſus & purpura, ut in divite epulone *Luc.* XVI. 19. imo apud *Heſychium* & *Suidam* videas paſſim confundi.

o) *rer. memorab. ſ. deperdit.* Tit. V. *p.* 17. *ſq.*

p) *H. N.* L. XII. C. 10. *p. m.* 660. præeunte *Theophraſto* in *Hiſt. plant.* L. IV. C. 9. *p. m.* 85. Multas ait reperiri in Inſula *Tylo* linigeras arbo-

ginis adparent, id ſimul indicare, pretioſo inde linteo veſtes fieri. Idem paulo poſt de fruticis lanugine habet, lintea *Indicis* præſtantiora hinc obtineri. *q*) Cum his conſpirant, quæ ex *Nearcho Arrianus r*) refert, lineis veſtibus *Indos*, & ex lino quidem arborum uti, quod reliquis candidius ſit, vel, quia nigri *Indi*, candidius adpareat. Ipſum præſtantiſſimum linum, de quo diximus, byſſum diſerte *Philoſtratus s*) arbori tribuit, quæ magnitudinem populi, folia ſalicis habet. In his ut conſtans vocis lini ſenſus non eſt, ita probabilior fit SALMASII *t*) conjectura, quæ negat aliud linum quam lanam arborum *Indis* in uſu fuiſſe, quippe quos ſuis veſtiri arboribus, hasque in fructu complecti lanam, quæ pulchritudine & bonitate ouillam ſuperet, HERODOTI *u*) verba docent. Sigillatim *Aegyptiis* ex vero lino veſtes quidem fuiſſe inter varia ſativi lini genera non abnuo, at ex lana arborum acceſſit goſſypium. Nec penitus hic excludo byſſum, quæ cum Hebræorum שש, quod *Junius* & *Tremellius* per linum xylinum vertunt, *x*) crebro auctorum uſu congruit. Id ſuadet POLLUX, *y*) qui a lana arborum *Aegyptiacarum* veſtes confici lino ſimillimas ſed ſpiſſiores tradit, et adhuc magis PLINIUS, z) qui de frutice ſuperi-

res, quæ pro fructu dant lanam, & ex hac varias telas, viles & pretioſas, fieri.

q) *ib.* L. XII. C. 11. *ex Juba refert.*

r) *in Hiſt. Indic. poſt. hiſt. exped. Alex. p. m.* 330, 16.

s) *l. c. vit. Apoll. Tyan. p. m.* 71.

t) *Exercit. Plin. in Solin. p. m.* 701. 702. ubi *Melam*, qui *l. c.* L. III. C. 7. *p. m* 275. *Indos* alios veſtiri lino alios lana ſcribit, indicato erroris fonte redarguit, ſimulque *Solinum* ipſum, iisdem fere *Melæ* verbis uſum, quamvis pro furto celando alios teſtes citet.

u) *Hiſt.* L. III. 106. *p. m.* 201. Vocat & *Dionyſius* texta lintea *Indorum orb. deſcr.* v. 1116. *p. m.* 96.

x) *ad Exod.* XXV. 4. & alia loca.

y) *Onomaſtic.* L. VII. C. 17. p. m. 740.

z) *H. N.* L. 19. C. 1. p. m. 156.

perioris *Aegypti* ad *Arabiam* vergentis differens fructum deſcribit inſtar barbatæ nucis, ex cujus interiori bombyce neri lanuginem, unde lina xylina fiunt, iis verbis teſtatur, quæ partim ambiguum lini ſenſum confirmant, partim etiam bombycis degeneraſſe nomen, ut pro verme, nunc etiam molliorem quamlibet lanuginem arborum fructicumque, texendis veſtibus idoneam, notare cœperit, oſtendunt. Nova hinc & barbara vox bambax *a*) nata eſt dicto conveniens frutici, quem *Plinius* jam tunc aliquibus goſſypion, pluribus xylon audire, & gratiſſimas veſtes ſacerdotibus *Aegypti* præbere monuit. Pedem pauliſper in hac ipſa re figimus inter linum & lanam media, & noſtro etiam ævo non parvi ad veſtitum momenti. Neque enim eam ſoli jam *Indiæ*, *Arabiæ* & *Aegypto* debemus, ſed & inter *Europæos* hodie reperitur, ut tam remotis locis unice petere neceſſe non ſit. *b*) Naſci fruticem in *Gallia* ex *India* allatum ſeque in horto regio pomum ejus vidiſſe, quod dehiſcens flocci glumum exhibuit, *Harduinus* ad dictum *Plinii* locum commemorat. At Jo. Ruellius *c*) audio, inquit, in *Gallia* naſci ex *Italia* allatum. Nec vero jam in Italia ut olim occurrit referente *Bellonio*, in *Apulia* tamen uberior proventus eſt, maxime in *Sicilia*, *Cypro*, *Creta*, *Melita* inſulis,

imo

a) recentiores *Græci* vocarunt βάμβακα apud noſtrates a mali cotonei forma, quam fructus arboris ſæpe habet, a quo illa lanugo, ipſa *Cattunum* audit, vulgo *Baumwolle.*

b) de hoc confer *Jac. Dalechamp. hiſt. plant.* T. I. L. II. C. 53. p. 221 & *Joh. Bauhini hiſt. plant.* T. I. L. III. C. 52. ad 53 p. 343. 7. Characterem plantæ & ſpecies ſex, nempe xyli arborei nunc caule lævi nunc ſpinoſo nunc flore albo, porro herbacei, deinde gemini *Americani* habet *Tournef.* in *inſtit. rei herb,* T. I. Cl. I. S. 7. *gen.* 7. *p. m.* 101. *Caſp. Bauhinus in Pinac. Th. Bot.* L. XI. S. 5. p. 430. tantum goſſipium fruteſcens femine albo, arboreum caule lævi, & aliud ſpinoſo, denique *Javanenſe* ſalicis folio diſtinguit. Confer. cel. *Linnæum,* qui inter polyandria monogynia numerat *de gen. plant. Cl.* XIII. 580. *p. m.* 227. *mat. med. Cl.* XVI. 341. p. 120.

c) *de Natur. ſtirp.* L. II. C. 150. p. m. 463. fruticem vocat exiguum lanigerum pallido folio.

imo nec *Germanorum* hortos penitus deſtituit. Herbaceum goſſypium, quale *Cretenſe*, & quod inter lina poſſit propius, modo quod his lotis creſcat candor in illis minuatur, recenſeri, apud nos viſitatius eſt, quin hoc ipſi *Aegyptii*, quibus teſte *Alpino* arboreum unice ſuppetit, ad ſe transferri curant, ut ſileam de ingenti adhuc apud exteros cultu. *d*) Bene ſiccat hæc lanugo & provido uſu ſanguinem in vulnere manantem ſiſtit, *e*) fotu certe eximio corpus, quod veſtit, tuetur. Non prorſus, dum dubiæ lanæ, quæ ovium non eſt, mentio incidit, intacta relinquo vellera maris. Nam & piſcari veſtitum contigit judice TERTULLIANO, *f*) cum in conchis mucoſa lanoſitas reperiatur, ex qua confectæ veſtis primum inter Græcos meminiſſe *Procopium* judicat, qui de hoc argumento fuſe ſcripſit S. BOCHARTUS. *g*) Marſuppium tale etiam recentiori ævo vidit apud cubicularium *Henrici IV.*

d) quo refer *Sinenſes*, qui, ut ex *Atlante Sinico* diſcimus, per XVIII. iam ſecula in hoc opere occupati textores 200000 in una civitate *Xanghai* in *Nancking habent*, unde reditus imperatoris quotannis 250000 aurei, conf. *Labat. itin. Americ.* T. II. p. 401 & alios paſſim multos, ut *Sponium*, *Dampier*, *Chardin*, *Tavernier*, qui illa commercia in Japan, Guzerata, Perſia, Macaſcar & aliis locis illuſtrant.

e) refert inter illa, quæ ſanguinem ſiſtunt a vulnere etiam paulo majorum vaſorum *Petitus in Mem. de l'Acad. R. des Sc.* 1732. *p. m.* 37. At. *l. c. Bauhinus l. c.* p. 345. non nimis probat Chirurgorum morem vena ſecta applicandi bambacem, cum filamenta vulnus ingreſſa pus generent & coalitum retardent.

f) *de pallio* C. III. *p. m.* 15.

g) *Hieroz.* P. I. L. II. C. 45. p. 488. ſq. Oſtendit, *Hebræos*, per τὸ πίννιον ἔριον lanam pinnæ ſ. conchæ margaratiferæ intellexiſſe, quod vellus marinum majori ſtudio, quam lanam ovium, quæſitum eſſe *Baſilius in hexæm. Hom. VII.* teſtatur, & cum eo *Ambroſius hexæm.* L. V. C. 2. aureum lanæ illi colorem, omni arte inimitabilem, tribuit. Ipſius conchæ ante *Androſthenem* apud *Athen.* L. III. C. 13. p. m. 93 & *Jubam* apud *Plinium H. N.* L. 9. C. 75. p. m. 522. nemo Græcorum notitiam habuit vel dedit. Mirabile hoc pilorum germen flavis virginum cincinnis illigatum *Man. Phile de animal.* C. 88. & chlamydem ex his lanis Procopius de ædif. Juſtin. L. III. deſcribit.

IV. Is. Caſaubonus. *h*) Verum hæ telæ, quæ magis ad lanam, aliæque ex ipſo regno foſſili petitæ, quæ propius ad linum accedunt, ut ex lapide *Caryſthio i*) in *Eubœa*, e quo olim mappæ, mantilia, involucra capitum & alia parata, quippe extra uſum tantum non omnem hodie poſita, merito hic prætereuntur.

§. VIII.

Etiam ab inſectis novum acceſſit veſtimenti decus. Apud *Seres k*) Indiæ populum, qui regni hodie *Chinenſis* partem borealem incoluerunt, natum eſt ſericum, opus bombycum, quod inde ad *Perſas*, *Medos*, *Aſſyrios*, & his ab *Alexandro M.* devictis ad *Græcos*, denique ad *Romanos* ſub florentiſſimo rerum ſuarum ſtatu tranſiit: illa ut *Dio l*) ait, barbaræ luxuriæ textura, quæ mox in immodicam nobiliorum Romæ mulierum luxum ceſſit. Fuit hoc filum auro *ἰσόχρυσον*, *m*) cum libra ſerici libra auri emeretur usque

h) *Not. in Athen. l. c.* C. XI. p. 173.

i) *Strab. Geogr.* L. X. p. m. 684. B. apud *Cariſtum* ait lapidem naſci, qui plectitur & texitur, unde mantilia: ubi ſordes contraxerunt in flammam injecta perinde ac lotione linteorum maculæ eluuntur. Conveniunt, quæ de amiantho legimus, nec is forte alius.

k) *Græcis* hic vermis *σὴρ* adpellatur a *Seribus*, hi ipſi alio nomine inſigniverunt, & jam notante *Pauſania* in cellulis æſtivis & hibernis nutriverunt, donec ſub arboribus textile opus facerent *Eliac. poſter. ad finem p. m.* 174. *in text. lat. p.* 205. *in græc.* Non eſt, cur hos vermes diſtinguere a bombycibus velit *Laz. Bayſius de re veſt. c.* 5.

l) XLIII. 24. p. m. 358. attingit magnos ſumtus *Jul. Cæſaris* in vela ſerica, *παραπετάσματα σηρικὰ*, quibus theatra in publicis ſpectaculis texit.

m) quamdiu ſerica ad *Perſas* allata, inde *Romam* per mercatores *Romanos*, pretia ejus legimus *ὅμοια τα χρυσίω.* Si ſub *Aureliano* libra ſerici XL aureis, ſub *Juſtiniano* LXII conſtitit, res tamen una eſt, cum ſub illo ex libra auri cuderentur XL aurei, ſub hoc LXXII. At holoveri libra quadruplo auri conſtitit. Dicta vero eſt *holovera* veſtis, quæ tota vero colore, id eſt, purpureo in ſtamine & ſubtemine tincta eſſet. Plus Oct. *Ferrario* placet vox pure græca licet corrupta *ὁλοπόρφυρα de re veſtiar.* L. II. C. XI. *p. m.* 161.

uſque ad ævum *Juſtiniani*, *n*) quem levaturum pretia, quia cum Perſis jam hoſtibus illud commercium erat, monachi quidam, qui ex *India Byzantium* venerant, edocuerunt de veris ſerici natalibus, nempe neri a vermibus, quorum ovula tranſlata fotu animari extra patriam poſſent, & in vermes mutari, qui texunt ſericum. Quo inter propoſita præmia facto bombycum *Indiæ* prima colonia cœpit in *Europa* ſtabiliri. Veteres pro fructu arborum habebant, in quarum corticibus STRABO, *o*) in foliis PLINIUS *p*) AMMIANUS *q*) & alii hanc lanuginem naſci, depectique ſibi & aliis perſuaſerunt. *Coum* bombycinum jam ARISTOTELI *r*) notum inferioris ordinis fuit & craſſioris fili, non tam ob diſcrimen vermium quam telæ, cum *Seres* filum ex ſtamine, intra quod adhuc hæreret bombyx, *Coi*, poſtquam evolavit papilio, eliquarent, ut docte

n) Voluerat *Juſtinianus* libram ſerici ad octo aureos reducere, ſed ceſſavit negotiatio, & reſtitui antiqua pretia oportuit, donec monachi illi allata ova in fimo collocata inque vermes verſa alerent mori foliis, ut & his locis ſericum texerent, de quo fuſe *Procopius* L. IV. *Gothicor.* C. 17. *p.* 613, & ex eo *Zonaras annal.* T. II. C. 14. *Ed. du Freſne p.* 69. C.

o) *Geogr.* L. XV. *p. m.* 1016. B. Qui tamen hic malunt legere cum quibusdam ἐκ φύλλων ex corticibus, conciliant cum ceteris Strabonis ſententiam. *Virgilius Georg. II.* dixit quoque *Seres* tenuia foliis vellera depectere: *Servius* ſuſpicatur, id de vermibus eum intelligere, at id repugnat communi circa hæc ævi hujus caligini.

p) *H. N.* L. VI. C. 17, *p. m.* 316. *Seres* ait lanificio ſylvarum nobiles perfuſam aqua frondium canitiem depectere.

q) *rer. geſt.* L. XXIII. C. 6, p. m. 412. *Seres* vocat pacatos, nulli finitimorum moleſtos, imo reliquorum mortalium cœtum fugientes, qui tamen, dum hæc vellera arborum, hanc ex liquore & lanugine miſtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt, ſubtemina nent, ſerica conficiunt, ad fluvium emtores admittunt, nec pretia linguæ commercio ſed ſolis oculis æſtimant. Habet illa ex *Solino*, hic pleraque ex *Plinio.*

r) *Hiſt. animal.* L. V. C. 19. *Ed. du Vall.* T. II. p. 310. E. Retorquent mulieres eo indice hæc bombycina in filum & telam. Primam textricem in ea Inſula *Pamphilam Latoi filiam* vocat. Dum auctores alii

doĉte illuſtravit *Salmaſius.* s) Igitur etſi commune utrisque telis eſſe poterat bombycini nomen, ob natales tamen ſerici ex interiori *Aſia* allati diu ignoratos, ſoli *Coo*, de cujus ex vermibus origine omnibus & dudum conſtitit, obhæſit conſtantius illud nomen, ut tamen jure miremur, reverentiam veteris erroris, ſericum lanuginem arborum eſſe, magnos adhuc elapſi ſeculi criticos, ut JUST. LIPSIUM *t*) & ANDR. TIRAQUELLUM *u*) vindices repeiſſe; cum non modo lux aliqua veri ortus, licet tenuior, antiquis paſſim adfulſerit, *x*) ſed & poſt *Juſtiniani* ævum indies plenior

Coum alii Ceum vocant hoc bombycinum, vetat *P. Fabri* ambigere multum de his veſtibus in inſula tum *Coo* tum *Cea* textis. *Semeſtr.* L. I. C. 16. p. m. 93. *Plinius H. N.* L. XI. C. 27. p. m. 604. primam, quæ redordiri rurſusque texere bombycinum invenit. mulierem in Ceo vocat, unde credibile fit, *Aſſyriam* bombycinam, quæ ipſa ſerica eſt, & cujus eodem loco *Plinius* meminit, ſub *Cearum* mulierum, uti deinde ſub *Romanarum*, manu in delicatius filum retextam eſſe, v. *Salmaſ. Exerc. Plin. in Solin. C.* 7. *p. m.* 101 ubi de *Coo* bombycino & *Ceo* loquitur, & C. 59, p. 695, ubi proſequitur, quæ de auro diximus, ex quo aurei varii ponderis cuſi.

s) *in notis ad pallium Tertull. p. m.* 226. & 246. Notamus & hodie, artifices, ne prorumpat papilio, ſoli æſtuanti expoſitos in folliculo vermes interficere, vel in fumo torrere. *ib. p.* 233. *Jac. Dalechamp. in not. ad Plin. p. m.* 245 bene deſcribit geneſin vermium omnium: ait arborum ſine diſcrimine foliis veſci, at fronde mori albæ paſtos tenuem magis & pretioſam lanam præbere.

t) *Excurſ. in* L. II. 33 *annal. Taciti p. m.* 500 C. Byſſinum a lino, bombycinum a verme, ſericum ab arborum lana derivat: nec id ſine errore eſt, byſſum & ſericum ſolo nomine jam ſupereſſe, bombycinum *Coum* manſiſſe.

u) *in II. leg. connub. gloſſ. l. Op.* P. III. *p. m.* 50. 18. motus auĉtoritate *Ulpiani* & *Paulli* ſericum ait ab arboribus depexi, bombycinum a vermibus neri. His, quibus male confidit, probro non erat ignorantia toti illi ævo communis.

x) Iam *Chryſoſtomus* veſtem ſericam vocavit τῶν σκωλήκων ὕφασμα, & in I. *Ep. ad Timoth.* C. I. *homil.* I. *Op.* T. VI. *p. m.* 415. veſtem

nior rem totam extra controverſiam poſuerit. In ſerico ob teneri fili præſtantiam feminæ exultabant, in *Coo* bombycino diu adquieſcebant viri, & cum ad eundem luxum ruerent, obſtitit ſenatus conſultum ſub *Tiberio*, vetuitque ne ſerica veſtis fœdaret viros. *y*) Nempe ſub illa tenuitate pellucebat veſtis & fere nudabat corpora, hinc parum decora viris, *z*) nec feminis quidem, licet in illas lex indulgentior eſſet: an enim tam longinquo orbe peti debuit, ut in publico matrona transluceret? Quibus PLINII *a*) verbis ſimilia habet SENECA: *b*) veſtes, inquit, ſericas video, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus poſſit aut pudor; quibus ſumtis parum liquido, nudam ſe non eſſe, mulier jurabit. Pergit. ingenti ſumtu ab ignotis etiam ad commercia gentibus hæc accerſuntur, ut matronæ noſtræ, ne adulteris quidem, plus ſui in cubiculo quam publico oſtendant. Verum nec cenſura illa a magiſtris morum, neque a lege, cujus auctoritatem non ſemper *Catones*

illam pretioſam, inquit, vermes gignunt & perdunt, τίκτουσι καὶ ἀπολλύουσι. Bene *Iſiodorus* (male notatus *Lipſio*) L. 19. C. 27. Seres, inquit, primi miſerunt hanc vermium telam circa arbores. Ambigit paululum *Jul. Pollux*, & reperiri ait, qui ab animalibus *Serum* telam naſci ſtatuunt, *Onomaſt.* L. VII. *ſegm.* 76. *p. m.* 742.

y) *Tacitus annal. II.* C. 33. p. m. 122. ſenatus conſultum vocat, *Dio Caſſius* L. VII. 15. p. m. 360. edictum *Tiberii* conſulibus *Tauro* & *Libone*. At uſus paulo poſt *Caligula* eſt ſedens inter duos conſules περιπετάσμασι σηρικοῖς χρησάμενος ib. L. 19. 12. p. m. 915. Iteratum tamen edictum ſub *Severo* fuit eodem teſte *Dione*.

z) Huic levitati veſtium ſub æſtivo calore illuſit *Juvenalis Sat. II.* 71. p. m. 36.

Aeſtuo. nudus agas! minus eſt inſania turpis.

Et *Plinius l. c. L. XI. C.* 29. *p. m.* 604. *in tantum* inquit *a lorica gerenda diſceſſere mores, ut oneri ſint etiam veſtes.*

a) *ib.* L. VI. C. 17. p. m. 316.

b) *de benef.* L. VII. C. 9. p. m. 845. & alio loco: in tali veſte non puto nullum corporis auxilium, ſed nullum pudoris eſt. Huc reſpiciens

Catones tuebantur, impedire potuit, quo minus laxatis brevi vinculis uſus ſerici, licet veſtientis minus quam oſtentantis corpora, viris æque quam feminis permitteretur. Primus *Heliogabalus c)* veſtem holoſericam induit, quam ſibi ſuisque *Aurelianus* negavit, *d)* cum antea nomine ſericarum tantum ſubſericæ venirent, ubi ſtamen ex lineo, ſubtemen ex ſerico erat, ibi utrumque ex ſerico. Exolevit ſenſim *Coum* bombycinum & ceſſit ſerico, cum huic mulieres Romanæ tam delicatam & pellucidam formam nova arte conciliare dedidiciſſent, texta ſerica, quæ a *Seribus* preſſa magis & denſata acceperant, filatim reſolvendo & tenuem telam redordiendo, uti ex *Plinio* SALMASIUS *e)* colligit. Noſtra ætate tanta tenuitas, quæ ſimilem cenſuram mereatur, argui non poteſt. Jam enim, inquit, GERH. JO. VOSSIUS, *f)* quid ſerica veſte æſtivo tempore aptius? imo ipſo vel hiberno vel verno vel auctumnali? Addit, quæ illam laudem, cum ex dictis ſuſpecta fieri poſſit, confirmant: in æſtu magno ob levitatem accommodatiſſima tafetata: in minori ormeſina: hieme conducunt felpa & velutum, quorum utrumque pondere ſuo & villis calefacit: vere & autumno laudatur raſa. Aliquam hic cultior ars, & ut adparet ad valetudinem attentior, delevit maculam, luxui nil dempſit, cui jam favet præter inquilinum ſericum, copia adhuc ejus, quod ab Indis Perſis & ipſis Chinenſibus, qui veteres Seres *g)* ſub ſe complectuntur & albo præſtantiſſimo abundant, commer-

Clemens Alex. pædag. L. II. p. m 234, 31. damnat veſtem mulieris, quæ τὸ σχῆμα τῆς γυμνότητος cceulere nequit. Nec minus *Hieronymus in Inſtit. filiæ ad Lætam* bombycum telas & *Serum* vellera rejiciens pudicis ait oculis feminas ſub iis nudas adparere.

c) v. *Lamprid. in vita Heliogab.* C. 26. p. m. 495.

d) v. *Vopiſc. in vita Aurel.* C. 45. p. m. 886.

e) *in not. ad Tertull. de pallio p. m.* 247. ad *Plinii* L. VI. C. 17. *de lanicio Serum.*

f) *de orig. & progr. Idololatr.* L. IV. C. 90. p. m. 163.

g) *I. C. Scaliger* hordam *Tartarorum* vocat, & *Seras* civitatem in extremis *Perſiæ*, in qua tantum illius operis fiat, ut dena millia pondo ſerici in quotidianas operas diſpenſentur. v. *Exerc. contra Cardan.* 158. *p.* 506.

mercii beneficio advehitur. In qua ubertate negligi fortaſſis poteſt, quod paſſim de inquilinis Europæ bombycibus legimus, qui ſub pari fotu non diſpar telæ genus promittunt. In *Calabria*, inquit I. C. Scaliger, *h)* neglectos in arboribus vermiculos ſine cura cultuque ſericum facere vidimus, e quibus detrahunt illud incolæ. Certe ab ipſis araneis, quibus cognationem magnam cum bombycibus veteres tribuerunt, capta in Galliis experimenta produxerunt telam, quæ non cedere multum ſericeæ viſa eſt. Cum præſes cameræ Monſpelienſis *Boni)* primam ſub mirifico ſucceſſu attentionem moviſſet, inſtinctu academiæ regiæ ſcientiarum examen ſubiit vir ad talia indaganda natus Reaumur, qui expenſis difficultatibus circa araneos huic operi non niſi in certa claſſe idoneos, & ægrius etiam alendos ſeparatimque fovendos, & quorum ad libram ſerici præbendam 55296 requiruntur, cum bombycum 2304 ſufficiant, concludit, nullum hic facile ſperari poſſe laboris vel ſumtuum compendium.

§. IX.

Conf. *I. B. Tavernier Reiſebeſchr.* L. II. p. m. 110. *de Kaſembazar in Bengala* &c.

h) ib. p. 505.

i) v. Memoir. de l'Ac. des Sc. A. 1710. *Ed. Pariſ. p.* 396 *ad* 408. Miſerat laudatus *Bon* ad Academiam tibialia & manicas ex novo ſerico, non æque tamen, ut *de la Hire* ſenſit, ſplendente, ob filum *Reaumurio* judice politum minus & magis laneum. Hic inter difficultates ingenioſi alioquin inventi recenſet 1) aranearum plurimas claſſes hoc uſu excludi, præ reliquis convenire, quas vagas *Hombergius* vocat, quæ non tam retia ſtruunt, quam venantur inſecta. 2) Ali inſectis ſolis, ut muſcis, at & erucis, millepedibus, vermibus terræ, quos in hortis & campis poſt pluviam noctem colligere ubertim licet, & imprimis juniorum avium plumis, quibus mollicula pulpa inhæret. 3) Separatim, quia ſe mutuo mordent & necant, in cellulis ſuis non ſine moleſtia adſervari, hinc, licet ſtupenda aranearum fœcunditas ſit, plurimas ſine uſu perire 4) Ratione ponderis involucra ovorum ſe habere inter araneas & bombyces, ut 1 ad 4 & poſt depurationem ibi cum magna jactura conjunctam, ut 1 ad 12. Ibidem p. 405. ad filum ſerici, quo netrices uti ſolent, requiri ait circiter 36000 fila ex aranea. Addit, majores

§. IX.

Succincte & quaſi in tranſitu aliam attingo veſtitui ſervientem materiam, apud nos quidem, quibus in delectu plus arbitrii eſt, fere obſoletam. Papyrus planta paluſtris *Aegypti* vicinarumque regionum præter inſigne illud beneficium, ut jam ab *Alexandri M.* temporibus, imo fortaſſis ante illa, chartæ copiam dederit, cujus uſu, ut cum *Plinio* dicam, *k*) humanitas vitæ & memoria

Americanas, ſi transferre ova placeret, forſan plus præbituras eſſe. *Euſ. Nieremberg. Hiſt. Nat. L.* 13. *C.* 26. *p.* 291. *ſcribit,* apud *Caraibas* telas araneis tam firmas eſſe, ut paſſeres involuere, & feminis calanticæ ſ. tegmina capitis inde parari queant.

k) *Plinius* H. N. L. II. C, XI. p. m. 690. papyrum hanc ſupra paluſtres gurgites, maxime in ſtagnante colluvie *Nili*, arundinis forma eminentem deſcribit, ex cujus interiori cortice, qui βίβλος dicitur, philyræ acu diviſæ tenues & latæ, in medio optimæ verſus corticem viliores, diu magnam in ſcribentium uſum attulerunt commoditatem. Cœpit hæc papyrus charta dici ab epiſtolari, cui maxime ſeruit officio, quo ſcribentes ſe mutuo ſaluere & gaudere jubebant: nam χάρτη a χαίρειν eſt. Manſit nomen chartæ, quamvis ſucceſſerint in papyri uſum ramenta ſerica, goſſypina, bombycina & linea, diſcerpta in pultem, contuſa & ſub aere expanſa & ſiccata. Ajunt, civi *Romano*, qui fragmen lini vel ſimile, ore maceratum, tenuatum ſiccatumque deprehendit idoneum, cui litteræ atramento inſcriberentur, ſuboluiſſe novæ artis rudimenta. Solertius hodie diſquirunt, quo factum id ævo ſit? Id ſane conſtat ex *Euſtathii ſchol.* ad *Homeri* Odyſſ. φ. 1013. illo tempore ſc. ſeculo XII. ξυλοχαρτια ſ. chartam ex ligno, ſic enim papyrum vocabant, abrogata fuiſſe. At non protinus maceratum linum ſucceſſit, ut *Salmaſius* ſuſpicatur, nec coriacea ſ. pergamenæ membranæ, ut *Ludwigio* viſum eſt, cum hæ in ſimultaneo uſu ante & poſt ea tempora fuerint. Serica ſane, quæ dudum chartæ *Chinenſium* ſervierunt & bombycina, e quibus *Wormatienſem* codicem ad A. 1077. *Henr. Cannegieter* allegat, poterant cito in præcedentium temporum luxu, quibus ſatis erat ex utrisque ut & goſſypinis recrementorum, ad illa tentamina invitare, ſub quibus papyro, ut re exotica, carere licuit. Nec cortices alios arborum excludo, quibus propior cum papyro, quam deferebant, cognatio videri poterat. Jam ſeculo IV. *Symmachus* L. IV. *epiſt.* 34. p. m. 165. de pugillaribus tiliæ, de corticibus

moria conſtat, duplex quoque habuit meritum, ut aleret *l*) & veſtiret. Non hic dicam de pappo, quo Deos ſuos olim coronabant *m*) nec

caducis, de lineis textis, de ſericis voluminibus loquitur. Lini ajunt non ſtatim copiam fuiſſe, & *Naudæus* conjugem *Caroli VII.* primis induſiis lineis uſam ſcribit *in hiſt. Ludov.* XI. p. 81. At *Plinius* cum ſcripſerit, univerſam *Galliam* texere e lino, *in procœm. ad* L. 19. & *Tacitus Germanorum* feminas teſtetur amictus lineos amare, *de mor. Germ.* 17. imo ſeptentrio lini inopia haud facile unquam laboraverit, & hinc charta linea *Scaligero* inventum *Germanorum* viſum ſit. hoc certe ſub majori artis cultus mox unice ob inſigne ſumtuum levamentum cœpit in uſum trahi, vix tamen ante initium Sec. XIII, ut *Scipio Maffei* conjicit, vel docent monumenta ex linea charta, quæ *A. C. Ducaret* ad A. 1281 ad 1347 *Londini* extare docuit. Interdum iuſta dubitatio eſt circa antiquitatem, & an vere linea ſint reperta monumenta, ut *Hiſpana Gr. Mayantii.* Plus vero lucis indies promittit plenum omnis doctrinæ litterarum commercium eximii viri *Ger. Meermanni*, qui & ſua & ab eruditiſſimis viris *Mayantio*, *Longolio*, *Heringio*, *Gottſchedio*, *Belio*, *Popinio* aliisque ſuggeſta, ipſaque ſimul varia chartæ lineæ ſpecimina ex antiquiſſimis temporibus nuper cum ſocietate regia ſcientiarum, quæ *Gottingæ* floret, benevole communicavit. Hæc a præſenti ſcopo ne aliena penitus videantur, chartam hanc ipſam, qua nunc papyro loco utimur, in re quoque veſtiaria nomen habere animadverto. Mirabilis inde & concinna tapetum fabrica nata non ſolum eſt, quæ domos ornat & oculos paſcit, ſed & legi poſſunt, quæ de veſtitu e papyro in *Gallia* nuper introducto inter feminas aulicas præeunte D. *de Berry* ſuggeſſit *S. A. Flachs Lipſ. in diſp.* 1718. habita.

l) Summam & frequentiſſimam opem in re cibaria præbet, & inter tria, quæ in *Aegypto* præſtant dulcedine & copia alimenti, refertur a *Theophraſto in hiſt. plant.* L. IV. C. 9. *p. m.* 86. Omnes incolæ, inquit, & crudum & elixum & aſſum manducant, & ſuccum devorant, id autem quod manducarunt, exſpuunt. Dicti ideo *Aegyptii* ſunt παπυροφάγοι, nec video, quid prohibeat ſenſu proprio ſumere, quod *Firmus Aureliani* tempore *Aegypto* potitus & purpura tituloque *Auguſti* uſus dixit, ſe papyri & gluſinis tantum habere, ut exercitum alere poſſet. Pluriui tamen de pretio intelligunt. *v. Salmaſ. not in ſcript. Hiſt. Aug. VI. p.* 443.

m) *Plinius l. c.* florem papyri nominat, at cave florem hic fingas, qui nullus, monet in notis ad illum locum p. 690. *Harduinus.* Eo judice dicere *Plinius* voluit, loco florum papyro Deos coronari cœpiſſe.

nec de diademate papyraceo *Iſidis*, *n*) Deorumque & Principum, *o*) ſed quod papyrus veſtimenti aliquid, ἐσθῆτάς τινας teſte THEOPHRASTO *p*) dederit. Simile ex ſe præbet papyrus vulgaris aliarum regionum, φλοῦς πάπυρος vulgo ſcirpus dicta, non in *Calabria* & *Apulia*, ſed nec in *India*, infrequens, ex qua veſtem ſcirpeam ἐσθῆτα φλοΐνην *Indis* circa paludes HERODOTUS *q*) tribuit. Nec aliis arborum corticibus veſtiri novum fuit in illa barbari ævi caligine. *Maſſagetas*, qui in Inſulis degunt & pecore ac lana carent, ſe amicire arborum corticibus STRABO *r*) notat. Quin petierunt a plantis & bulbis laniferis hunc amictum. Tale genus laniferarum herbarum circa littora deſcribit THEOPHRASTUS, *ſ*) ubi ex lana, quæ ſub primis tunicis eſt medio loco inter internum, quod manditur, & externum, togæ & alia veſtimenta texuntur. Omitto veſtes ex lanugine acanthi, *t*) quod ſpinæ genus eſt. Plura enim de lana illa improprie ſic dicta ſuperius attigimus.

§. X.

n) Quod *Oſirin* lugens depoſuiſſe dicitur in orbe *Phœnicia* hinc βύβλος dicta v. *Stephan. Byz. de urb. & pop. p. m.* 247.

o) *v. Appian. Hiſt. Rom. de bello Mithrid. p. m.* 333. Cum *Pharnacem*, filium *Mithridatis*, regem renunciaturi eſſent milites, unus horum depromptam ex æde ſacra membranam papyraceam capiti diadematis loco impoſuit. Idem *Appianus de bell. Syr. p. m.* 175. tale diadema *Alexandro M.* tribuit, quo ille vulnus in fronte *Lyſimachi* inopia faſciæ obligavit. Poſſis huc referre coronam *Ageſilao* inter alia munera ab *Aegyptiis* oblatam, ut ex *Theopompo* refert *Athenæus deipnoſ.* L. XV. C. 6. p. m. 676 C. & ex *Theophraſto Plutarchus* addit, illum delectatum corona tali a Rege in abitu petiiſſe eam & accepiſſe *in vit. Ageſil. Op.* T. I. p. 617. A. Habebant et jam ſacerdotes *Aegypti* papſos pro calceis, hinc apoſtate *Tertullianus* objecit pedes molli pappo redemtos.

p) *l. c. p. m.* 86. ubi plura de uſu papyri ad veſtiendum.

q) L. III, 98. p. m. 199. illa vero papyrus in chartæ uſum non ſerviit.

r) *Geogr.* L. XI. p. m. 781. B. τοὺς τῶν δένδρων φλοιοὺς ἀμπέχονται.

ſ) *Hiſt. plant.* L. VII. C. 13. p. m. 149.

t) *Plinius H. N.* L. 24. C. 12. p. m. 343 veſtes ait inde in Oriente fieri bombycinis ſimiles. *Iſidorus* L. XVII. C. 9. ejusdem veſtis meminit, ſed male acantho herbæ *Aegypti* tribuit.

§. X.

Tanta, quam in potioribus attigimus, materiæ veſtiariæ ubertas confirmat Naturæ indulgentiam, quæ veſtiens ab ortu animalia, quippe minus, ut ſibi conſulerent, inſtructa, nobis in jucundiſſima varietate delectum permiſit, & in ſcrutando ingenium exercuit. Quodſi deflectere hoc ſcrutinium ſub ipſo ſucceſſu ad luxum cœpit, non ea munificæ Naturæ culpa eſt, nec hæc, quod variatam infinitis modis veſtium formam magis adhuc luxus ille inquinaverit. Hic enim quantus inter ſe hominum diſſenſus eſt, quanta circa ipſius decori leges ſemel ſtabilitas inconſtantia! quam timide perpetuum illum innovandi pruritum cura valetudinis interpellare audet! Poterat cultiorum populorum exemplum aliis minus cultis præbere normam, quam ſequerentur; at nulla gens tam barbara eſt, quæ non ipſa cognoſcere, quæ ſuis uſibus hic congruunt, & diſtincto ab aliis veſtitu ſuum jactare ingenium malit. Omitto ipſa inter ſe civium diſſidia & æmulas ad nova indies excogitanda curas. Amabilis eſt magnarum gentium, ut *Græcarum* & *Romanarum* memoria, quæ certe diu in neceſſariis & vere utilibus, etiam inter incrementa fortunæ, perſtiterunt, haud conſectatæ multum temere ornamenti. Palliata *Græcia* fuit, *u*) togata *Roma*, illa crepidas cum pallio, hæc calceos cum toga conjunxit, utraque ſenſim vel ſub pallio vel toga tunicas admiſit, ſimplices pariter, ut ſola exterior integumenti facies utrasque gentes diſtingueret. Placet in toga illa, quam geſtare nemo niſi civis *Romanus* jus habuit, *x*) re tamen exili & extra invidiam poſita, figere per momentum oculos. Illa rotunda, clauſa, uno injectu corpus obvoluens, & ſuperne, ſi imbres & tempeſtates ſuaderent, revoluta, caput, alioquin nudum, cooperiens in uſu tam communi fuit, ut ab initio, in pace & bello, *y*) die & noctu, domi

&

u) de qua & modo geſtandi *κοσμίως*, vide, ſi placet, *Oct. Ferrar. de re veſtiar.* P. II. L. 4. C. 5. p. 142.

x) *Valer. Maxim.* L. II. C. 2. *c. not. Thyſ. p.* 141. Non alii uſi niſi ex dono populi Romani vel imitatione.

y) in acie & prælio antiquitus togæ erant, quarum militibus diſtributarum paſſim *Livius* meminit. Brevi tamen togæ uſus, ut ſolius pacis eſſet,

& foris, plebi & primoribus, viris & feminis, donec hæ ſuas z) ſibi ſtolas vindicarent, ſerviret. Nec exui hæc toga niſi cum libertate *Romana* ſub ortu *Cæſarum* cœpit: quin & tunc *Auguſtus* cives jam pullatos cernens, nam hujus coloris lacernæ in togarum locum ſucceſſerant, reſtituere togatam *Romam* contendit, & in circo ac foro togatos convenire cives per ædiles edixit, *Hadrianus a*) etiam ſenatoribus & equitibus jus togæ renovavit. Certe ſtetit toga, cum maxima *Romani* nominis reverentia eſſet, & licet tunc quidem ſub ea cito ſatis tunicæ admitterentur, hæ tamen pariter ſimpliciſſimæ erant, ſubſtrictæ, breves, nec ſine probro manicatæ. *b*) Neque redargui luxus potuit, cum ſenſim pro nobilium ordinum aliquo diſcrimine clavi purpurei & aurei accederent. Illi ſegmenta erant panni purpurei, ad formam, quam capita clavorum habent, rotundam, nunc latiora nunc anguſtiora, circa pectus inſuta vel innexa tunicæ, unde nomen veſtis laticlaviæ ſenatorum & anguſticlaviæ equitum natum eſt. *c*) Nec cenſuram meruit nobilioris juventutis prætexta ad limbum togæ pur-

ſago, chlamydibus, paludamentis ceſſit in bello. Erat ſagum a *Gallis*, at hoc manicatum ac fibulatum, *Romanis* apertum nec fibulatum fuit.

z) *Sueton in vit. Auguſt.* C. 40. p. m. 511.

a) *Spartian. in vit. Adrian.* C. 23. Manſit aliquis togarum uſus, in officio ſalutantium, in judiciis & apud eos, qui cauſſas perorabant, ne de ipſis imperatoribus dicam.

b) ſimplex diu tunica, mox duplex fuit, interior ſubucula dicta. Quaternis uſus eſt hieme, quia frigus non tulit, *Auguſtus v. Suet. ib.* C. 82. p. 415. Manicatas ut homini delicato objecit *P. Africanus P. Sulpit. Gallo, v. A. Gell. noct. Att.* L. 7. C. 12. p. m. 403.

c) talis veſtis anguſticlavia erat ipſi *Agrippæ & Mæcenati,* quippe equitibus, licet *Auguſti* familiariſſimis. Hic quoque ob equeſtrem ortum non niſi clavo moderate lato uſus eſt, ut colligere licet, *in vit. l. c.* C. 73. p. 394. Cum juribus ſenatorum in latum clavum venuſte *Martialis* faſtum *Galliæ* notat, *L. V. Epigr.* 47. *p. m.* 168.

nubere velle negat niſi lato Gellia clavo.

purpura, geſtata a puellis, donec nuberent, a pueris donec annum ætatis XV ingreſſi & in forum deducti viris adſcriberentur, & jam puram togam induerent. Ne dicam de patagiis mulierum, quæ clavos aureos vocant, juſtius faſcias, ad ſummam ſtolæ muliebris oram poſitas. Poſt bella demum civilia ſenſum illum pudoris & honeſtatis, ſub fide & attentione cenſorum quaſi inquilinum, excuſſit barbara libertas, & *Roma* ut continentiæ olim exemplum ita profuſiſſimæ jam libidinis fuit, cui inter immenſos ſumtus purpura & aurum, togæ conchyliatæ, pictæ, palmatæ, undulatæ, phryxianæ & novæ mox veſtimentorum formæ, quarum nomina in tanta copia ægre definias, ſervierunt. Unum nobis & præcipuum reſtat, metiri propius ad legem valetudinis, quæ providi veſtitus cura requirit.

§. XI.

Qui decore & ſine ſordibus veſtiuntur, ut præcipuam laudem merentur, ita munditiem veſtimenti inter prima valetudinis præſidia refero. Bene Aretæus, dum mundam veſtem commendat, ſordida, inquit, cuti mordacia ſunt. *d)* Cavendum eſt, ne quod nos tegit, ſqualore obruat potius corpus & novas in ſe offenſæ cauſſas ſuſcipiat, quam fotu ſuo defendat. In vita inprimis exercitata, in qua largius perſpirat corpus, hæret halituoſum & figitur in illo, quod nos ambit, nec facile ſine noxa vel redundat vel propagatur. Convenit igitur crebro mutare veſtem, non quidem ut *Nero*, *e)* qui nullam bis induit: nam talis præter probrum vanitatis partium rigidularum adhuc aſperitudine nondum ſatis niſi ſub diuturniori uſu functionibus corporis ſe accommodat; ſed quod fas ſit, geſtatam aliquot diebus veſtem, perflanti aeri & ſiccanti

d) ὀδαξώδεα τῷ δέρματι vocat *morb. diut. L. II. C.* 13. E. *Ed. Boerh. p.* 135. valet maxime in morbis, ubi vix cutis præ pruritu interiorem tunicam ſuſtinet, ut de morbo craſſo *Hippocrates* habet de *int. affect.* S. II. v. 391. *Op.* T. II. p. 244, XXXIX, 10.

e) Suet. in vit. Ner. C. 30.

ſiccanti exponere, & quidquid impuri hæret, excutere, ut mundiori iterum fruaris. *Lycurgi* præceptum, adoleſcentes non niſi una veſte per totum annum uti debere, ſimplicioris magis & durioris vitæ legibus quam bonæ valetudinis congruit. Poterat vero illas etiam ſub mutata veſte vindicare. Fortaſſis HIPPOCRATIS auctoritas ſuadet, ut illam nonnihil ſententiam limitemus. Is enim mundas hieme veſtes, ſordidas & oleo imbutas *f*) æſtate præfert; an quod hæ levamentum caloris, illæ frigoris promittant? Diſſentiens ab eo GALENUS, *g*) quis, inquit, tam ſpurce veſtiri velit, idque æſtate, cum etiam veſtes oleo infectæ, licet primo attactu frigidiores, ſenſim plus calefaciant? At PROSP. MARTIANUS *h*) in his *Galenum* ratiocinatione magis quam experientia niti arguit, & vim illam, quæ ab oleo mollit, humectat, refrigerat, probans pro tuendo *Hippocrate* ad *Italos* ſuos provocat, qui oleo inunctis ſub æſtivo calore chirothecis contra ſudores manus ſuas muniunt. Poſſunt iſta ſub calidiori cœlo & intenſiori illius ævi exercitio locum habere, unde & tunc crebrior æſtivi balnei uſus fuit, nec olei tantum hic adhibitum ſuſpicor cum *Martiano*, quod nimis perfunderet cutem & poros obſtrueret, nec inunctam facile niſi interiorem tunicam, quam renovare & permutare crebro licuit. Inanis tamen querela eſt, mundam veſtem ſiccare nimis & humidum corporis evocare, cum ſub decenti fotu nihil quam naturalis & ſalutaris perſpirationis beneficium tueatur. Juſtiſſima igitur munditiei cura incumbit, nec multum abſum illas etiam veſtes pro immundis agnoſcere, quæ ſemper odoramenti aliquid tanquam thecæ in pharmacopoliis ſpirant.

f) *ἱμάτια ἐλαιοπινέα* Hipp. *de ſalubr. diæt. Op. T. I. p.* 628. *III.* 8. His nixus *Fr. Baco de Verulamio in hiſt. vit. & mort. Op. p. m.* 537. 17. *ſq.* ſuadet, qui longævi fieri velint, ſingulis auroris oleo cum pauxillo ſalis & croci ex lana aut molli ſpongia inficere cutem. Factum eſt apud antiquos poſt balnea, ſine his ſuadet *Baco.*

g) *Comment. in l. c. Op. T. II. p.* 41. A. etiam mundæ denſi contextus refrigerant.

h) *Comm. in Hipp. p. m.* 22. mundas, quia ſiccant, negat aridis æſtivo calore convenire.

bant. Certum eſt, oleis, balſamis, unguentis odoratis nec gratiam ſuam nec verum ſalubritatis momentum deeſſe, quo ſub tempeſtivo uſu partibus ſiccis, rigidis, torpidis mollitiem, flexilitatem, vigorem conciliant. At veſtes his imbutas circumferre, in quibus poſt diſſipatos fugaces ſpiritus hæret & figitur, quod ſtipat & in corruptionem tendit, non vacat damno. Nec medici interdum impune ſecum circumferunt delibutas unguentis illis corporis & veſtium partes, chirothecas ambratas, lintea florum flagrantium ut roſarum halitu infecta, vel etiam in pera geſtant ſpiritus illos aromaticos concentratos, quibus ſibi videntur, ſi qua ægris, quos adeunt, deliquia imminent, ſtatim opitulari poſſe. Accidit non ſemel, ut in ipſis ſanis ex improviſo nata ſint ſub tali acceſſu deliquia, plus vero mali acciderit aſthmaticis, colicis, hæmorrhagiæ vel cephalææ obnoxiis, maxime quibus mobile & imbecillum eſt nervorum genus, hyſtericis, hypochondriacis & aliis in

i) Odores olim ex oleis, unguentis, balſamis in magno pretio erant, quibus uncti ſacerdotes regesque, perfuſa in conviviis capita, imo veſtes. *Pſalm. XLV.* 9. *Cant. Canticor. IV.* 11. Quid quod *Hippocrates de medico Op. T. I. p.* 44. l. 11. probet gratiam captare apud vulgus decoro ornatu & odoratis unguentis *χρίσμασιν εὐόδμοις*. Id tamen fieri vult *ἀνυπόπτως πρός ἅπαντα*, quo luculenter excludit, quidquid ſuſpecti & fragrantioris odoris eſt, & ſemper hic ſimul ſpectanda ab eo inculcata medicis *καθαριότης* mundities *de orn. decor. Op.* T. I. p. 55. V. 12. Bene eſt, quod ævi mollities paſtillos ore volutans odoratos, pulveres moſchatos cum fragrante unguento capillis adſpergens, & nimis olim conſectata delicias odorum, quippe edocta crebris experimentis, quid noxæ vehat, cavere magis hodie didicerit. Legenda in his *diſſ. ill. Trilleri de morte ſubita ex nimio odore violarum Vitteb.* 1762, cui ſimile a roſis contigiſſe in prægnante, quæ hinc abortiens periit, *Alph. Khon.* recenſet in *Miſc. N. C. O. III. A.* 5. *&* 6. *O.* 80. *p.* 158. ubi & *Card. Carafæ* meminit hos flores adeo metuentis, ut quo tempore per annum florerent, palatio incluſus omnes arcere per vigiles juberet, quibus negotii aliquid cum roſis eſſet. Fuſius illa ill. *Trillerus*, cui quidquid florum & elegantiarum in omni antiquitatis campo eſt, uno velut obtutu occurrit, inter ſelectas omnis ævi obſervationes, & qui quam latentes illi vehementesque odorum fluctus aera inundantes nervos cerebrumque concutiunt, acute explicat, §. 18. p. 24. Non inconcinne *Valſalvæ*

in ſpaſmos procliuioribus, ubi ſæpius mirifice ſopiti morbi recruduit furor. Quin odoramentum non inſuave ex ipſo ſinu morbi maligni & contagioſi ortum eſt. Peſtis, quid vero illa virulentius? odores aliquando ſub initio pomorum vel florum maialium ſparſiſſe legimus. *k*) Attentus valde ad hæc, quæ in peſte nocent, Isbr. Diemerbroeck *l*) notat etiam ſuaves ſuffitus ex ſtyrace, labdano, benzoino, caryophillis ſimilibusque plurimum in ea nocuiſſe. Verum hic non ſola odora moror, ſed omnem contagii fomitem in veſte, quæ inde immunda evadit, frequentem, & venena etiam, quibus ipſe homo non inficitur, ad animalia ei obnoxia transferentem, ut de bubulco I. M. Lancisius *m*) habet, qui cum morboſo armento operam dediſſet, præſepe aliud ingreſſus, ubi optime valentes boves ſtabulabantur, translato cum veſte bovillæ luis contagio omnes corrupit. Probamus impenſe monitum laudati Diemerbroeck, *n*) qui ideo in peſte mundam & nitidam veſtem, ut tenuem ſericeam commendat, craſſas laneas, in quibus plus noxæ figitur, damnat. Sunt, qui ideo lintea laudant, mundanda facilius & renovanda, quæque minimum vitii trahunt. *o*)

Neque

dixit primum aeris interpretem cerebrum eſſe, qui proxime duram matrem attingit.

k) *v. Fr. Baco de verul. Hiſt. nat. Cent.* X. *Op. p. m.* 950. *n.* 912.

l) *de peſte* L. *II. C. V. Op. p. m.* 170.

m) *de bovilla peſte* P. III. §. 12. *p. m.* 144.

n) *de peſte* L. II. C. 6. *p. m.* 181 ex ſerico tenui vel undulato requirit veſtem, vel ſi opus lanea aut bombycina, certe craſſiorem plus ſordium imbibentem cavere jubet. §. 17. p. 191. Repetit verba ex *Marſil. antid. epid. C.* 24. ut oleum ignis ſic lana hujus veneni nutrimentum eſt. Notat *Herm. Follinus amul. Ant. C.* 8. peſtem urbis *Sylvæ ducis* vehementius in platea lanificii ſæviiſſe. Sub pelliceis veſtibus in peſte *Veneta* plurimi medici occubuerunt teſte *Hier. Mercuriali de peſte.* C. 22.

o) *Iac. Keill. in medic. Stat. Brit. p.* 20. notat, attractionem veſtium eſſe in ratione compoſita ponderum & ſuperficierum, nullas plus attrahere

Neque enim attentionem meretur indicium *Heliogabali*, *p*) qui mendicorum eſſe cenſuit, lotis linteis uti, neque nimis movent medicæ obſervationes, quæ in peſte recens mundata lintea exitium infectis attuliſſe teſtantur. Præterea enim, quod parum in peſte ſit, quod certam ſalutem promittit, & hinc, ſi quid in uſu fefellit, non ſtatim culpæ reum haberi debeat, fateri etiam cogimur, in tali morbo, ubi ſalubrius nihil fuit quam perennis per totum diem ſudor, fieri facile poſſe, ut hoc æquabile exhalantis cutis & ſollicite ſuſtentandum beneficium turbet injectum etiam juſti teporis induſium ſub mutato corporis ſitu. Neque negandum eſt, habere aliquando recens lota induſia ex ſaponis lixivio aliquid in his morbis nocentiſſimi recrementi. Notavit *Diemerbroek*, *q*) in ædibus, quas nondum peſtis ingreſſa fuit, cum linteamina ſordida aqua & ſapone lavarentur, eo die vel poſtridie aliquot incolas domus peſte correptos eſſe, ſimulque faſſos, aquæ ſaponatæ fœtorem, cum corriperentur, ſe primum ſenſiſſe: adeo potuit peſtilentiale in aere miaſma vim inde deleteriam protinus ſuſcipere. Nihil excuſo immunditiem lintei, quo inſtrato lectulis infectoque virus venereum ſerpſit, nec impune fuit, novaculam, quæ barbam raſit, eo abſtergere. At lana mundatur longe ægrius & noxam ſuſcipit tenacius, *r*) cumque ipſas oves toties

ſcabies

quam ex corio, plus deinde, quæ ex animalibus quam vegetabilius confectæ ſunt, minime ex veſtibus attrahere linteas.

p) *Lamprid. in vit. Heliogab. C.* 26. *p. m.* 495.

q) *Isbr. Diemerbr. de peſte L. II. C.* 3. §. 6. *p.* 148. ipſum linum, dum præparatur, peſtilentem auram valetudini adverſam ſpirare turba auctorum teſtatur. Hinc multis locis lege cautum eſt, non macerare linum, ubi pecudum greges & armenta aquantur. Conſtitit ſub pleniori examine, certam noxam eſſe tantum in aqua deſide & paluſtri, non iugiter fluente. v. *I. M. Lanciſ. de palud. effluv.* L. I. P. I. C. 8. p. m. 27.

r) cito cutis ſub lana madet & inquinatur. Tali induſio, qui ſe fovent, continuam ſibi ſudationem, morbum diabetæ non abſimilem nec minus gravem, ſibi acceſſere *G. Cheynæus* monet *de infirm. ſanit. tuend. C.* 7. §. 8. *p. m.* 216. Superius *Fr. Baconem de Verul. Op. p. m.* 535. citavi.

ſcabies occupat, mirum non eſt, opifices in lana, & paſſim tota loca, quæ in hoc opere verſantur, epidemica ſcabie, niſi probe ſibi proſpiciant, laborare. Triſtis hæreditas eſt veſtis ab iis relicta, qui morbis chronicis defuncti ſunt. Fuit, cui podagricus lectulum & veſtimenta ſua reliquit, quibus ille lætus lubenterque uſus ante elapſum annum podagra ac chiragra, malis antea prorſus incognitis, adfligi cœpit. Crebra experientia conſtat a phthiſicis & tabidis tranſiiſſe hac via morbum ad alios, a quibus ille metus multum abfuit. Frequentes *Italis* ſunt hæmorrhoides cœcæ contagioſæ, tum aliquando notatæ, cum ephippio per aliquot horas inſideret ſanus, cui inſedit non multum ante infectus. Hinc experti habent ſollicitam ephippii curam. Sed de his paſſim multi.

§. XII.

Curam munditiei præmiſimus curæ arcendi frigoris & æſtus. Munda enim veſtis ex quacunque materia ad quamcunque formam contexta jam partem illius tutelæ complectitur, reliquam ſub parva attentione ad inſigniores aeris ambientis viciſſitudines facile dirigit. E ſuperius dictis eluxit ſatis, non inimico ſed ſalutari fotu, quidquid hujus aeris eſt, nobis circumfundi, cui, inprimis inquilini, etiam ſub parvo tegmine, a teneris inſueſcunt, & hinc, barbari licet, jactata in patriam ſuam probra, tanquam aſperam triſtem inopem terram, inique ferunt. Fas eſt, ut omnes ad alternas illas æſtivi caloris & hiemalis frigoris vices, gradusque intermedios attenti, ubivis divinæ providentiæ manum, inter hæc quoque ſpecie duriora, valetudini ſuæ amicam venerentur. Probe Hippocrates *ſ*) negat, valere & fructus ferre arborem poſſe, quæ

mus, qui lino quidem lanam prætulit ut unctuoſam magis, unde odorata citius virtutem inter lintea quam lanea perderent; ſed ob id ipſum coarguo hic lanam, quæ halitus etiam nocentiſſimos facilius ſuſcipit & arctius tenet, & ægrius dimittit.

ſ) *de diæt.* III. Op. T. I. *p.* 245. V.

quæ frigora ſuo tempore non ſenſit, & ſapienter hinc concludit, tempeſtivum ſubire frigus etiam homini bonum eſſe, χειμάζεσθαι ἐν τῇ ὥρῃ. Fallimur, ſi ſub perpetuo lenocinio auræ, quæ blande adſpirat, melius nobis conſultum fuiſſe credimus. Fons, ex quo multa in valetudinem noſtram commoda redundant, latet in illa viciſſitudine. Sæpe præſtat iis, quæ primum cum aliquo moleſtiæ ſenſu ingruunt, adſuefieri, ſæpe lenire vel evitare licet, & ipſo animalium exemplo, quod imitemur, juvat edoceri. Ovem Natura veſtit, ut lana abundet per hiemen, hæc vere ſub calidiori cadit cœlo, cum jam tanto tegmine opus non ſit: ſuccreſcit deinde nova, & circa autumnum uberior, neceſſarias contra frigus hiemale vindicias reſtituit. Quantillum attentionis requiritur, ut & nobis craſſiora ac denſiora hieme, leniora & tenuiora tegumenta æſtate convenire, & juſtis ab uno ad alterum gradibus transeundum eſſe intelligamus? Quæritur, an non ſufficiat, ſemper veſtiri leviter? G. Cheynæus *t*) morem *Germanorum* ad hiemalis veſtimenti uſum cito redeuntium commemorans, addit eum potatoribus convenire, quibus ſic ſudor commode manat. Ipſe mavult, ſobrios variis cœli injuriis ferendis mature adſueſcere, & leniori veſtitu hiemem æque quam æſtatem transigere: quin tanto firmiores ait ſuæ inſulæ incolas eſſe, quanto tenuius de die veſtiuntur, & quanto levioribus noctu ſtragulis cooperiuntur. Nec male videtur ſubmonuiſſe Jac. Keill, *u*) multa & gravia tegumenta intendere nimis perſpirationem, fibras vaſorum mollire & macerare, viresque labefactare, cum ſatius ſit oſcula excretoriorum in cute vaſorum non inter nimia diſpendia hiare. Id vero quomodo cum doctrina Sanctorii *x*) conciliabimus, qui nulla inquit, ægritudine

t) *de infirmor. ſanit. tuend.* C. 7. p. m. 215-218.

u) *in med. ſtat. Brit.* cui ſimilia habet *F. Baco de Verul. in hiſt. vit. & mort. Op. p. m.* 541, monet ſolvere vires tum in corpore tum lecto veſtes nimias.

x) *Med. ſtat. S. II. aph.* 46. & paulo poſt *aph.* 50. Nec diſſentit *Hippocrates*, qui veſtitu craſſo vitare jubet mutationes frigorum ac teporis,

dine autumno vexaberis, ſi frigus tunc ſuperveniens te veſtibus probe munitum reperit. Præſagit vero febres æſtate, graves defluxiones hieme iis, qui in fine veris ſe præmature veſtibus ſpoliant, & autumno tarde induunt. Ipſe THOM. SYDENHAM *y*) ſuos ſemper familiares cohortatus, ne mutarent veſtes hiemales niſi menſe uno ante ſolſtitium æſtivum, haud veretur ex hujus regulæ neglectu, quo quis præmature veſtes illas abjicit, vel ab exercitio incaleſcens ſe frigori incautius exponit, majorem ſtragem ominari quam a peſte, gladio & fame ſimul. VIT. RIEDLINUS *z*) viri meminit, qui quadragenario major per æſtatem loca umbroſa & vento peruia ſub veſte ex ſerico captans, nec adulto jam autumno loca illa aut veſtes mutans, calores ſine febre quidem, at urentiſſimos, cum diſpnœa ſenſit & acerrima dejectione alvina. Quæ damna cum redundantis intro acris materiæ perſpirabilis eſſe cognoviſſet *Riedlinus*, per ſudores mutatis locis & veſtibus coortos liberavit hominem. Sane haud temere privandi ſumus ſolitæ perſpirationis beneficio. Pauci omnino homines ſunt, qui duræ ac variæ vitæ adſueti hac cautione non egent, licet optabile ſit, plures eſſe. Neque enim frigus intercipit ſtatim beneficium perſpirationis, ſi corpus modice & pro neceſſitate tectum præſidio exercitatæ vitæ fruitur, Multum intereſſe arbitrior, ut in tanta vitæ & caſuum humanorum varietate, non extremis quidem, quos vitare decet, at magnis tamen frigoris & æſtus gradibus conciliemur, eosque facile, vel certe mitius, ferre ipſo uſu edoceamur. Palam eſt, vegetiores plerumque eſſe, quibus fortuna veſtium adparatum negavit, quam quibus copiam earum & delectum indulſit. Hos queri ſtatim audies, ſi ab amabili tepore aura leviter deſciſcit, ut mollioris vitæ matronas, quæ toto

dum per autumnum ad hiemem accedis. *de diæt.* III. *Op.* T. I. p. 247. XI. 3. *Jac. Keilt l.c.* p. 10. *in Tab.* II. ita direxit mutationem veſtis, ut tenuior quidem jam die IV. *Mart.* ſumeretur, at ſub eo induſium panneum cuti proximum, hoc *die* XX. *May* poneretur.

y) *Op.* S. VI. C. 1. p. m. 258.

z) *lin. med.* A. 1698. *Nov.* O. 5. p. 916.

toto capite obvolutæ, ſi aura adflat, parvo tantum diſcrimine ab ea, quæ in deliciis eſt, mox incidunt in dolores capitis, febriculas, ſuſurros aurium, catarrhos, & quidquid ſatellitii eſt, quod inconſultæ conſuetudinis errores comitatur. Et hoc quidem hominum genus, in ætate inprimis provectiori, ubi robur ſolidorum fatiſcit, non impune audet mutare vitæ ſuæ rationes; tutius harum ſibi familiarem legem, ſub qua ſola valet, conſectari pergit, licet inter perpetuos, dum nova ingruunt legi illi diſſona, valetudinis ſcopulos. In ætate minus provecta non plane nullum eſt in cauta correctione præſidium, quæ revocari a priſcis vitæ erroribus, qui adulti medelam reſpuunt, per lentiores gradus poteſt. Cauta requirimus molimina, & ſub favente tempeſtate, non ut ſtatim, quod quis tolerare poſſit, in gelidiſſima hieme vel feruentiſſima æſtate experiri incipiat, ſed parvas intermedii temporis offenſas, quas paulo ante non tulit, ſub tenuiori veſtitu ferre diſcat, ad majores ferendas lento & titubante pede progreſſurus. In tenera ætate, modo non nimis materna ſollicitudo interpellet, promtum eſt ſtabilire leges, quæ liberant a metu ingruentium aeris tempeſtatum, ad quas maxima pars hominum mollius educata trepidat. *Germani* rubentem a matre infantem feruente aqua vel frigida lavabant, ſic etiam exploraturi, fœtus an legitimus eſſet? *a*) Inprimis præſtat parum velare partes, quæ maxime in commercio cum rebus externis occupantur. Tegmen capiti perexiguum ſufficit, & vix aliud quam Natura dedit, in quo diu *Roma* & *Græcia* adquievit. CELSUS *b*) etiam infirmum caput vetat veſte velare, & nihil ei magis cenſet prodeſſe quam aquam frigidam, hinc largo canali quotidie per æſtatem ſuadet caput aliquamdiu ſubjicere, ſique totum corpus refrigerari non ſuſtinet, illud tamen frigida perfundere. Plus velamenti extremi pedes

a) *Naſcentes explorat gurgite Rhenus*, inquit *Claudianus L. II. in Ruſin. V. v.* 112. *p. m.* 50.

b) *de medic. L. I. C.* 4. *p. m.* 34. 35. Helmontius caput ſuum, quod ſcaturientis ante ædes ſuas fontis canali quotidie ſubjecit, in ſenio adhuc validum ſenſit.

pedes requirunt, ad quos ob languentem in iis humorum circuitum calor a fonte cordis ægrius diffunditur. At & nudi pedes exercitatorum pedum miniſteria vindicant. Sequitur, a puero firmatis duratisque leviorem veſtitum ſecundum *G. Cheynæum*, at mollioribus & valetudinariis craſſiorem a primo autumni tempore ad ultimum veris, ſecundum *Sydenhamum*, magis convenire. Tutius hoc conſilium eſt, alterum, ſi mature auſcultamus, ſalubrius. Facile hinc patet, cur plurimæ corporis partes nudatæ in aliis multum ſtatim incommodi, in aliis nihil pariant? cur per æſtatem multi in aprico commode verſentur, alii non ſine galero ſtramineo vel ſimili, quin cephalgia laborant? cur in quiete nihil fere, in motu plurimum craſſa & multiplex veſtis pariat moleſtiæ? cur veſtitus nigri vel albi coloris plus vel minus excalefaciat? & alia. Ceterum nec hæc quidem conſtans eſt regula, cum fotu majori opus ſit hieme, ne corpus frigoris noxas admittat, & minori æſtate, ne diffluat ſudore, ibi veſtes pelliceas, laneas, goſſypinas convenire, hic ſericas potius lineasque. Ne enim repetam, quæ de diſcrimine corporum dixi diſſimili fotu egentium, hodie ars ex ſingulorum varia vel præparatione vel miſcela nihil fere non ſingulis temporibus accommodat. Ita in uſum hiemis ſericum villutum eſt ex filis ſerici ſeu liciis ſciſſis tuſis & villoſis redditis, dictum recentioribus Græcis ἑξάμιτος, unde latinum exametum, ſametum, vulgo Sammet. c) Nec tenuior tela lanea vel goſſypina, & ſubtilior pannorum textura minus æſtivis uſibus ſeruit.

§. XIII.

c) *Kilianus* nomen a *Samnitibus* petit, a quibus ſericum ita præparatum fit. Certe in *Itatia*, ut apud *Genuenſes* antiqua illa fabrica fuit. Major tamen eſt cum dicta græca voce affinitas, quæ licet ſex fila numeret, diſcrimen tamen numeri non mutat rem nec hodie nomen. Notabilius illud eſt, ex filis ſeu liciis variis telam naſci nunc pro uſu hiemis nunc æſtatis congruentiorem, quamvis ex re una petitam. Habemus a paucioribus filis ſerici ſub temine lineo ſciſſis, tuſis & rudius villoſis, quod hiemi pariter ſeruit ſub nomine *Plüſch*, gall. *Pelouche*. *Belgis* nota vox ſimilis *ſæmiſch* a corio pilis ademtis mollito Conf. *I. G. Wachteri gloſſar. Germ. p.* 1354.

§. XIII.

Tertium in probo veſtitu momentum eſt, ut ille liberas faciles que corporis functiones nulla culpa ſua impediat: impedit vero vel laxior vel adſtrictior. Laxior parum coërcet & in officio continet partes, quas fuſe ambit, nec actionem ſolidorum in contenta, quæ externo præſidio multum egent, decenter ſuſtentat. Nixus in actione muſculorum cum ſine tumore partium non ſit, opus eſt, ut vim internam, ſæpe diſtendentem nimis, vis externa cohibeat & moderetur, unde omni ævo faſciæ & cingula corpori injecta ſunt. Certe in debilibus, laxis, hernioſis, œdematoſis leucophlegmaticis, ne valetudo in deterius ruat, externo illo fulcimento crebrius opus eſt. In reliquis diſſoluti animi indicium habetur, ſolutam, fluxam, pendulam veſtem geſtare, quæ corpori dubia quaſi fide adhæret. Ita *Romani* indecens & probroſum judicarunt, cinctos non eſſe, & diſcincti ſunt pro imbellibus & effeminatis habiti, quod inter alia vitia *Neroni* Dio tribuit. *d)* At vereor, ne major longe eorum numerus ſit, quibus arctior veſtis, licet ſpecie elegantior, plus noxæ adfert. Hanc crebro experiuntur feminas ſub tali veſte rubentes facie ac capite dolentes, ea exuta ad tempus liberæ, quæ tamen toties monitæ cauſſam, quam amant, arguere & cavere nimis ſero diſcunt. At neceſſe eſt compreſſis exterius venis ſanguinem intro per arterias urgeri, harumque orificiis, diſtendendo vel dilatatis vel etiam ruptis, ſputum non raro aut mictum cruentum, imo graviora mala naſci. Fuit puella ſuccinctius, id eſt, elegantius veſtita, quæ ab epulis nocturnis ſaltans impenſius cecidit apoplectica. Non tantum fas eſt metuere hic ſibi feminas hyſtericas, vel viros hypochondriacos & aſthmaticos, ſed homines etiam externa ſpecie ſaniſſimos, agiles & ſub juvenili plethora nihil anguſtioris integumenti inter majora exercitia feren-

d) vocat ἀζώςυς χιτῶνας *in hiſt. Rom. L.* 63. *p. m.* 1096. Ipſe *Jul. Cæſar* cum fluxiorem cinctum haberet, juſſit *Sylla* ab illo tam male præcincto cavere. *Sueton in vit. Cæſ. C.*45. *p. m.* 107.

ferentes. Notatum a pluribus eſt, ſanatam hæmoptoen recrudiuiſſe ab induta iterum arctiori veſte, quam cavere omnes ſollicite debent, qui ſanguinem ſpuunt vel mingunt. Vincula tibialibus ſupra genu ſtrictius injecta pedes non modo oedematoſos a repreſſo ſanguinis venoſi reditu, ſed & aliquando in ebriis, quos nullus indigentiæ ſenſus admonuit, cum haud laxarentur per frigidam noctem, qua in pavimento decubuerunt, gangrænoſos reddidiſſe nobis conſtat. Quod duriuſculi corii ocreæ circa pedum digitos attritu ſuo inflamment & exulcerent; quod anguſtiora calceamenta ſub ſua compreſſione moleſtos callos pariant, elegantiæ ſtudioſis etiam magis familiares; quod ipſi pilei durius & conſtantius fronti impreſſi excreſcentias quaſi cornutas, quas reſecare vel delere oportuit, produxerint, crebræ obſervationis fide non vacat. Refero huc collaria, quæ quia non decore ſatis hærent laxius, quorundam collum & venas iugulares ſic ſtringunt, ut ob compreſſas ſanguinis a cerebro reflui vias facies tumeat, caput laboret, & docente Rich. Lowero *e*) mirabiles ſecretionum turbæ oriantur. Nolim alia proſequi, cum, quæ ad hæc & antecedentia ſpectant, poſſint adhuc leviter in æſtimando idoneo veſtitu per ætatum gradus conſiderari.

§. XIV.

Primam ætatem ſolis faſciis tuemur, ne vis externa quæcunque irruens tam tenellum corpus, quod parum injuriarum ferre poteſt, graviori contactu ſuo lædat. Sed abſit, tam arcte ſtringant hæ faſciæ, ut primis functionum tentaminibus, licet aliquatenus moderandis, vim inferant, & hac illata ſenſim varia partium miniſteria, ut muſculorum externæ auris, aboleant, ipſi etiam incremento corporis, quod in tam celeri progreſſu liberam nutritii

e) *de corde* C. II. p. m. 123 ubi ligatura preſſis in cane iugularibus, ſaliva ex ore tanquam a mercurio & copioſæ lacrymæ fluxerunt, omniaque usque ad ſuffocationem ſupra ligaturam intumuerunt.

tii humoris, per patentiores vias ad omnia corporis puncta diſtribuendi, tranſitum exigit, officiant. Tutius eſt infantem, quamvis etiam citius ferat aliqua externi aeris incommoda, primis menſibus domi contineri, & ſub leni tegumentorum calore in illa virium penuria refoveri, quam incaute ſtatim aeri extra domum, niſi luculenter blando, ſereno, æſtivo exponi. Pueri confirmatis nonnihil viribus in motum proniores, nec ſimili jam quiete nec fotu egentes, ad experimenta virium ſuarum cito at per gradus admittantur, ne partium movendarum flexilitas, nutui voluntatis morigera, in torporem aliquem per moram degeneret. Fas eſt, ut illi cœlo, illis aeris viciſſitudinibus, quarum inevitabile in vita commercium intercedit, cerea & ad quælibet fingi apta ætas ſub impulſu Naturæ, quæ nihil ſiniſtri docet, caute at nec lente nimis adſueſcat. Videas agricolarum filios male veſtitos ad robur quoddam, quod primis ſæpe annis modicas tempeſtatum injurias commode ſuſtinet, ſub conſtantioris valetudinis fide eniti, langueſcere e contrario molliter educatos, & nihil ferre inſoliti. Hæc ratio priſcæ conſuetudinis fuit, qua pueri in gymnaſiis nudi exercebantur, ut ferre aeris inclementiam toto corpore diſcerent. Hujus enim non quasdam tantum partes leviter durari ſufficit, reliquis in mollitie ſua & debilitate faciliorem morbi fomitem & ſedem quaſi pro decubitu morboſi præbentibus. Ad quam normam parvuli avorum noſtrorum labores & duritiem vitæ conſectabantur. Neque vero in hac ætate minor cura requiritur, ut laxiores ſint veſtes, & ob luculenta eo tempore corporis incrementa nihil in facili functionum exercitio pariant impedimenti. Peccant, qui pectora tenellorum neſcio ex quo metu gibboſæ deformitatis ſtatim thoracibus ſtringunt. Vix enim

f) Juſta querela eſt, ex metu frigoris a capite ad calcem inſtar mumiæ obvolui infantem, ligari & inæqualiter ſtringi, quem ſub preſſu tam æquabili aquæ tepidæ in utero ambientis ſuſpenderat Natura. Mirum non eſt, deformari tenellas partes, multas in functione ſua oblitterari, & ab ipſo capite in alienam a naturali figuram, ut anguloſam, quæ fatuorum dicitur, compreſſo peſſimam ſtatim imprimi cerebro diatheſin.

enim gibboſos inter illas gentes reperiri conſtat, quibus integumentorum nihil vel parum eſt. Majoris momenti hoc monitum merito dixeris in ipſa adoleſcentia, quam crebræ hæmorrhagiæ ſub termino creſcentis corporis ſequuntur. Nam eadem quam ante, quippe ſub ſimili vigore coctionum, naſcitur chyli & ſanguinis copia, quæ olim diviſis non nutriendi ſolum ſed & augendi corporis impendiis dicata nunc ſolis prioribus ſervit, ut mirum videri non poſſit, quod jam abundat colligiturque, & ſub ſtrictiori veſtitu introrſum urgetur, per loca ſæpe inconcinna ruptis vaſis emergere, & hinc ſtragem in flore ætatis fieri per hæmoptyſes, phtiſes & varii generis cachexias, a vaſis oppletis ruptis, exeſis, cum conſumtione corporis conjunctas. Pars maxima hujus moniti puberes & ſedentariæ vitæ vinctoque pectore graciles puellas tangit, quæ inanem arctioris veſtimenti & arundinei corporis elegantiam, majori certe formæ quam valetudinis ſtudio, ambiunt. Thorax per ligulas contractus vim infert coſtis, ſterno, ſepto, ſtomacho & vicinis partibus, unde pallor, anhelitus, palpitatio cordis, vitia coctionum, deliquia animi & alia, quæ ceſſant laxatis vinculis, & licet ab iis iterato injectis ſenſim remittere videantur, id tamen bona fide non fit. Crebræ inde oriuntur in primo menſium fluxu difficultates imo & ſuſtentantur: in gravidis majora incommoda & ipſi abortus ex hoc fonte errorum reſultant. Neque vero contra hæc præſidium majus eſt, quam in leviori laxiorique amictu, ſimulque in vita, quæ humorum abundantiam cohibet, ſobria & exercitata. Ad virilem & ſenilem ætatem quod attinet, ultro patet, huic, cum a frigore plus damni metuendum ſit, pleniorem a veſtitu caloris fotum deberi, illi, cui interni caloris ſatis eſt, inter majora corporis exercitia, cavendos ſub calidiori veſtitu ſudores eſſe, qui corpus exhauriunt & debilitant, & repulſi multiplicem acutorum morborum ſcenam inſtruunt. Inter hæc quidem vigilantium maxime ſtatus oculis hic noſtris obverſatur, facilis tamen conjectura eſt, majorem quoque in dormientibus ſub iuſto tegmine fotum requiri, in quibus laxiora ſunt vaſa, lentior humorum cir-

cuitus,

6. *Duo ſunt Naturæ & artis præſidia, tutela virium coctionis, ea quotidie reparans, a quibus functionum vigor pendet, et tempeſtiva inſalubrium excretio.*

7. *Qui de hac poſtrema unice cogitant inter perpetuas venæſectiones, emetica, cathartica ſimiliaque, turbant nimis præſidia coctionum, quibus everſis exhauſtum corpus præmature ſuccumbit.*

---

§. I.

Rudis & bellicoſa *Roma* ſero vacauit litteris, fortia pati & facere ſolita, ad curioſa autem, ut *Olai Borrichii a)* verbis utar, ingenio & manibus *Græcorum* uſa. Horum certe cultior indoles etiam victores ſuos vicit & domuit, agreſtique *Latio* artes primum intulit, Flacco docente, qui tamen ruris adhuc manere veſtigia etiam politiori ævo ſuo queritur. *b)* Nec Tullius diffitetur, ſuperiorem doctrina & omni ſcientiarum genere *Græciam* fuiſſe; at ne quid ſuorum ingeniis deroget, facile erat, inquit, vincere non repugnantes. *c)* Unde vero torpor ille repugnandi, cum ad rectam vivendi rationem ſtudia ſapientiæ pertinere, his vero cultum animorum & virtutum niti, ipſe vir ſummus agnoſcat? Latere contemtum haud obſcure prodit alio haud multum diſſimili judicio, *Romanos* per ſe omnia vel ſapientius inveniſſe, vel accepta a *Græcis*, modo digna ſtatuiſſent,

h) *De ortu & progreſſu chemiæ p. m.* 35.

i) *Ep. L. II. E.* 1. *v.* 156. 157.

> *Græcia capta ferum victorem cepit & artes*
> *Intulit agreſti Latio.* - - - -
> - - - *in longum tamen ævum*
> *Manſerunt hodieque manent veſtigia ruris.*

k) *L. I. Tuſcul. Quæſt. L. I. c.* 1. *Op. Ed. Erneſt. Vol. IV. p.* 271.

ſent, in quibus elaborarent, feciſſe meliora. *d*) Fuiſſent ejus ſententia etiam *Romæ Parrhaſii*, ſi honorem, qui artes alit, eundem *Romani* quam *Græci* pictoribus habuiſſent. Fuiſſent citius muſici, philoſophi, geometræ, niſi ad famam inter cives hoſtesque potiundam proclivior via viſa eſſet per victricia foris arma victricemque domi & in foro linguam. Neque vero hanc alteram gloriam, quæ eloquentiæ eſt, niſi ſero conſecuti ſunt. Celeriter, idem quidem TULLIUS ait, oratorem complexi ſumus, ſed rudem ab initio, aptum tamen ad dicendum, poſt etiam eruditum. *e*) Verum primus orator, de quo memoriæ proditum eſt, fuit *M. Cornel. Cethegus*, *f*) quem *Ennius* audivit & Suadæ medullam dixit, primus rhetor *L. Plotius*, *g*) qui puero adhuc *Cicerone* latine docere primum *Romæ* adgreſſus eſt. Igitur cum hæc ſtudia, amata deinceps & tantopere culta, ut in his ſuam ætatem *Cicero h*) glorietur non multum aut nihil omnino *Græcis* cedere, tot demum ſeculis ab ortu civitatis efflorefcere cœperint, mirum non eſt, ceteras artes & diſciplinas etiam magis neglectas & in viliori pretio habitas eſſe, nec occurrere facile, ſi belli gerendi artem excipis, quid ſit illud, quod per ſe *Romani* vel ſapientius ipſi invenerint, vel traditum a *Græcis* ad majus faſtigium adduxerint? Stetit *Roma* trecentis annis ſub paucis legibus, quæ magiſtratuum arbitria erant, nec deinde ſub multis, quas a *Græcis* petierant. Stetit ultra quadringentos annos & neſcivit poetas, vel canere in epulis eo tempore ſolitos contemſit. Grammatices ſtudium primus in urbem invexit *Crates Mallotes* teſte *Sue-*

tonio

d) *Ib. c.* 1. *p.* 270.

e) *Ib. c.* 3. *p.* 272.

f) Ipſo teſte *Tullio* in *Bruto c.* 15. *Op. Vol. I. p.* 581. 582.

g) conf. *Euſeb. Chronic. L. poſter. ad Olymp.* 173, 1. *Ed. Scalig. p.* 150. *Plotium Gallum* latine rhetoricen primum *Romæ* docuiſſe ex verbis *Ciceronis* refert: *memoria teneo, pueris nobis primum latine docere cœpiſſe Plotium quendam.* Atque is eſt, quem *Marius* magnopere dilexit, quod quæ geſſerat, ejus ingenio putaret celebrari poſſe. *Cic. pro Archia c.* 9. *Op. Vol. II. p.* 880.

h) *Tuſcul. Quæſt. L.* 1. *c.* 3.

i) Canebant in epulis convivæ ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. *Cato* ut probrum objecit *M. Nobiliori*, quod is in provinciam

cuitus, & major imminet a frigore noxa. g) Cognitas ubivis habere oportet, quantum licet, aeris tum ſolitas per varia anni tempora viciſſitudines, tum quæ extra ordinem ingruunt, ex virulento ſæpe, quod ſuſcipit & propagat, miaſmate. In homine ſimul conſiderandum eſt, quo fotu, qua tutela contra variam noxam egeat pro diverſa corporis ſui temperie & conſuetudinibus.

DIS-

g) *Sanctorius med. Stat.* S. *IV. aph.* 12. totam illi libram perſpirabilium ſupprimi ait, qui pedibus & coxis detectis dormit. Pedes enim & coxæ, inquit ad hæc *Liſterus*, quintam circiter totius cutis exhalantis partem conſtituunt. Idem *Sanctorius l. c. aph.* 52. dormientem & vigilantem, male tectos, comparans docet utriusque perſpirationem lædi, ſed alterius ob quietem magis. Provocat *Jo. de Gorter. p.* 471. *de perſpir. inſenſ.* ad incolas calidarum regionum, ut in *India Orientali*, ubi dum crebro dormiunt corpore nudo, etiam ſub dio, incidunt in morbos paralyticis & hydropicis affines. Pori corporis non tecti denſantur in calidiſſimo aere. *Sanctor. S. V. aph.* 59.

DISSERTATIO
DE
PRISCA ROMA IN MEDICOS SUOS HAUD INIQUA.

PUBLICE PROPOSITA
GOTTINGÆ, D. 12. SEPT. 1764.

RESP.

AUG. GOTTL. RICHTER.
ZORBIGA-MISNICO.

THESES MEDICÆ.

1. *Potiora ſunt in ſanandis morbis Naturæ quam artis præſidia.*

2. *Id probant morbi, qui exſpectatione ſanantur.*

3. *Plus etiam probant morbi, qui ab agyrtis, hoc eſt, inter crebros certosque errores, ſanantur.*

4. *Nec diſſimulari illa Naturæ præſidia in morbis poſſunt, ex quibus ægri inter audacia multorum medentum experimenta, hypotheſi ſervientia, eluctantur.*

5. *His et illis nimium frequens eſt, meritis artis ſuæ tribuere opus victricis Naturæ, ſub ſiniſtra medicatione redardatum potius.*

6. *Duo*

Archagathum illum idem refert *Plinius o*) primum e medicis *Romam* veniſſe, anno urbis conditæ quingenteſimo trigeſimo quinto. Veroſimilius dixiſſet, nec id tamen tuto ſatis, primum e *Græcis* medicis *Romam* veniſſe, de aliis enim dudum prægreſſis paulo poſt diſpiciemus. Interim ex ipſo calculo illo, quo tempus *Archagathi* venientis *Plinius* definit, promtum eſt concludere, non per ſexcentos annos, nedum ultra, *Romam* ſine medicis vixiſſe. *p*) Pergit ille, datum *Archagatho* jus Quiritium & tabernam publico ſumtu in compito *Acilio* emtam, & ab initio mire gratum acceſſum ejus fuiſſe, at ſenſim a ſævitia ſecandi urendique tranſiiſſe nomen in carnificem, *q*) tædiumque in artem omnesque medicos. Hæc autem poſtrema, quæ a nullo alio auctore confirmata legimus, putat ille ut veriſſima intelligi ex *Marco Catone*, cujus verba ad filium citat, quæ tamen de communi in medicos odio nihil, ſed ſolo *Catonis* malevolo in Græcos animo teſtantur. Gens illa, inquit, *r*) quandocunque litteras ſuas dabit, corrumpet omnia, tum etiam magis, ſi medicos ſuos

eunte factum eſt, ut nemo eſſet in Scotia illuſtriori loco natus, qui rem medicam, imprimis curandorum vulnerum rationem neſciret. v. *G. Buchanan. Scot. Hiſt. L. IV. Ed. Burman. p.* 106. Nullo unquam tempore, judice *Franc. Valleſio* caruit medicina & medicis, aut carere potuit, hominum genus *de ſacr. philoſ. p. m.* 382. 383.

o) *Hiſt. Nat. l. c. p.* 495 *VI. Caſſius Hemina* ex antiquiſſimis auctor eſt; primum e medicis *Peloponneſo Romam* veniſſe *Archagathum*, *Lyſaniæ* filium, *L. Aemilio* & *Luc. Julio* conſulibus A. R. DXXXV.

p) *Il devoit ſe contenter dire plus de* 500; inquit *Sponius* dans les recherches cur. d'antiquité diſſ. 27. p. m. 442.

q) Carnifices dicti, qui e vivo corpore cadaver faciant, nam mortuorum proprie caro eſt, quaſi carens anima, ut *Donatus* vocem derivat. Sic dicti olim ſectores, quibus medici uſi, v. *C. Barthii adv. L. II. c.* 14. *p.* 80.

r) *Plinii Hiſt. Nat. l. c. p.* 495. *VII.* Nec omittenda eſt inter cauſſas odii æmulatio, qua laudibus *Scipionis*, qui ingeniorum & litterarum amantiſſimus fovit *Græcos*, obtrectavit *Cato*.

ſuos huc mittet: jurarunt inter ſe, barbaros omnes necare medicina, & hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit & facile diſperdant. Cum his conveniunt, quæ Plutarchus habet, s) metuiſſe *Catonem*, ne infecti Græcis diſciplinis Romani rerum imperio exciderent, ideo non infeſtum modo Græcis philoſophis fuiſſe, ſed &, qui medicinam Romæ exercebant, ſuſpectos habuiſſe, & audito *Hippocratis* reſponſo, quem rex Perſarum mercede multorum talentorum ad ſe acciverat, nunquam daturum ſe operam barbaris, Græcorum hoſtibus, commune hoc dixiſſe medicorum jusjurandum omnium, & monuiſſe filium, ut ab omnibus caveret. Ita igitur moroſus ille cenſor & male ſuſpicax non medicinam damnavit, ſed Græcos medicos, ob patriam, cui hoſtilem in Romanos animum tribuit, ſibi inviſos. At velut vaniſſimum ejus augurium fuit, Græcos omnia litteris ſuis corrupturos eſſe, cum verius lucem agreſti Latio intulerint, ita atrociſſima ſuſpicio, auſuros medicos in tam luculento propriæ ſalutis diſcrimine necare medicina ſub ſpecie officii, hos, inter quos vivendum erat. Adeo tamen, licet diffiſus medicis, medicinam non damnavit *Cato*, ut coluerit ipſam tradideritque, qua medicina & ſe & conjugem usque ad longam ſenectutem perduxerit, profeſſus commentarium ſibi eſſe, quo medeatur filio, ſervis, familiaribus. t) Erant medicamina illa, ut fas eſt ſuſpicari, ex veteris ſcholæ *Pythagoreæ* u) præceptis, quæ per Italiam diu ante invaluerant, perita, partim ſuperſtitioſa, uti ſunt incantationes jam

s) *In vita Catonis, Op. T. I. p. m.* 350. *B. C.*

t) *Plin. l. c. p.* 496. *VIII.* Meminit etiam commentarii hujus, ex quo ægrotantem familiam curavit *Cato* & victus rationem præſcripſit, *Plutarchus l. c. Op. T.* 1. *p.* 340. *D.*

u) *Pythagoræos* ſummo ſtudio medicinæ operam navaſſe ſcribit *Aelianus var. hiſt. L. IX. c.* 22. *p. m.* 611. Colebant maxime diætetica teſte *Jamblichio in vit. Pythag. c.* 29. Ipſe *Pythagoras*, qui medicinam rem diviniſſimam dixit, circumiſſe urbes legitur, non docendi ſed medendi cauſſa apud *Aelianum l. c. L. IV. c.* 17. *p.* 369. *Italicam* vero ſcholam *Crotone* erexit, unde& medici *Crotonienſes*, quos ſub *Darii* im-

tonio k) ſub obitum *Ennii.* Philoſophiam jacuiſſe usque ad ſuam ætatem ſcribit *Cicero*, qui ipſe, quid in eo genere poſſet, ſenili exercitatione tentare auſus eſt. *l)*

§. II.

Igitur in barbaro illo priſcorum *Romanorum* ævo, inter perpetuos armorum ſtrepitus, omne artium & litterarum decus faſtidiente, ſi parum læta medicarum rerum ſeges ſe offert, haud majus inde probrum in illas redundare cenſeo, quam reliquas artes & diſciplinas ſub iſta caligine temporum, nulla ſua culpa, ſed ſolo eorum, qui juſto eas pretio æſtimare nondum didicerant, dedecore neglectas. *Roma*, quo gradu ad frugem & mores, eo demum ad ſapientiæ & ingenii cultum ſe contulit. Neque mirum videri debet, in prima vitæ & victus ſimplicitate & majori ſanitatis extra luxum & deſidiam conſtantia, vacuam diu urbem a morbis & medicis fuiſſe, hos certe ad pauperem & frugalem gentem vix multum allici ſpe tam tenuis lucri potuiſſe. Quemadmodum vero ex fonte non uno morborum cauſſæ, quibus exponimur, pullulant, inter quas vel barbari ad ſcopulos valetudinis ſuæ attendere coguntur; ita ab omni ævo cara fuiſſe exiſtimo, quæ infirmitatibus corporis conſulerent, remedia, ſive privatis rudiorum temporum experimentis tumultuarie collecta, ſive medica manu curatius inveſtigata & pedetentim in diſciplinæ formam redacta. Millia gentium ſine medicis degere non tamen ſine medicina, ſcribit Plinius, *m)* ſicut ipſum ultra ſexcentos annos populum *Romanum*, haud alioqui lentum in accipiendis artibus, medicinæ etiam avidum, donec expertam damnavit. Non uno,

poetas duxiſſet: duxerat autem conſul ille in *Aetoliam Ennium. Cic. Tuſc. Qu. L.* 1. *c.* 1. *p.* 271.

k) De illuſtr. Grammatic. c. 2.

l) Tuſc. Qu. l. c.

m) Hiſtor. Natur. L. XXIX. c. 1. *Ed. Harduin. T. II. p.* 495.

uno, niſi fallor, hæc boni viri verba vitio laborant. Mille gentes ſine medicis fuiſſe, quorum tamen antiquiſſima monumenta mentionem paſſim injiciunt, *n*) aliorum in iſtis ætatum tenebris ſilentia haud protinus contrarium evincunt, quis facile in corporis noſtri tam fragilis & tot externis a vi irruente, tot internis læſionum injuriis obnoxii, hinc ne ruat, inter perpetuas ſuppetias refovendi indigentia perſuadebit? nec credet potius, de avertendis, in quæ tam facile incidimus, valetudinis incommodis nunquam non ſerio cogitaſſe homines, & ut notitia rerum tum ſalubrium tum noxiarum plenius potirentur, in ambigua vulgaris & vagæ nimis experientiæ fide haud diu adquieviſſe? Illos autem Martis pullos, quos ad accipiendas artes haud lentos fuiſſe *Plinius* iactat, vidimus omnino tot ab origine ſua ſeculis nullam bonarum artium, quæ pacis alumnæ ſunt & moratioris vitæ cuſtodes, certe perexiguam rationem habuiſſe. Quod addit, artem medicam avidius quidem admiſſam at mox damnatam eſſe, uno nititur *Archagati*, Græci medici, exemplo, & aſpero *Catonis*, quippe ut *Græcis* ita eorum medicis infenſi, judicio. Nempe *Archa-*

u) Facile eſt, circa ignota & remota, quidquid finiſtra ſuſpicio ſuggerit, fingere. Gravis *Plinio* labor futurus erat, millenas illas gentes, quæ medicis caruerunt, enumerare. De his enim ſumma paſſim antiquitas & plus ipſa rerum natura loquitur, coævum ſemper morbis fuiſſe ſtudium aos arcendi, in parvo primum & ſimplici rerum adparatu, ſed indies, cum ipſa neceſſitas hortaretur, creſcente. *Aegyptiorum* ſub *Hermete* nata medicina, quæ quaquaverſum ſe diffudit, quid poteſt antiquius fingi? *Gryllus* apud *Plutarchum* ex communi rumore omnes *Aegyptios* dixit medicos eſſe. *Indos Strabo* ſcribit nullam artem tam exquiſite coluiſſe quam medicinam, in aliis, ut bellicis ſimilibusque, nimis exerceri, probroſum cenſuiſſe. *Geogr. L. XV. Edit. Almel. p.* 1027. *B. Sinenſes* priſcis etiam regibus ſuis inventam medicinam tribuerunt. *Perſarum* civitatibus dari medicos jam *Cyrus* curavit, & ipſe præſtantiſſimos ad ſe accivit. v. *Xenoph. de inſtit. Cyr. L. I. p. m.* 29. Veteres *Gallorum* & *Germanorum Druidae* ut ſacrificuli & judices, ſic & medici erant. Hos nec priſcorum *Scotorum* ante natum Chriſtum ſecula ignorarunt. Rex *Joſina*, qui nonus fuit a *Ferguſio I.* plus quam trecentis annis ante aeram chriſtianam regnante in ſummo honore medicos habuiſſe legitur, & reliqua nobilitate in regis mores

jam *Pythagoreis* æque ac deinde *Catoni x)* laudatæ, partim ſimpliciſſimæ & culinares herbæ, ut braſſica, quam ante omnes *Pythagoras* celebravit, neque vero parcius *Cato*, qui eam ad res cunctas ſalubrem ratus infinitis laudibus onerat. *y)* Par eſt diligentius hæc proſequi, inquit PLINIUS, ut noſcatur, qua medicina uſus ſit ſexcentis annis, quibus medicis caruit, populus Romanus. *z)* At arctiores illi Catonianæ medicinæ cancelli ſunt, quam ut omnem retro artis ambitum iis metiaris. Certe *Plutarchus* illa ex parte commemorans, quibus *Cato*, qui nativo robori plurimum debuit, valetudinem ſuam & ſuorum viſus ſibi eſt tueri, haud iis, inquit, videtur Deorum iram devitaſſe: nam uxorem & filium amiſit. *a)* Qui ex fontibus *Plinii* non ubivis limpidis ſua hauſit alter *Plinius*, dictus *Valerianus*, *b)* etiam arctius ad braſſicam veteris Romæ medicinam reſtringens ex ipſo quaſi *Catonis* ore refert, populum Romanum ſex-

perio pro primis habitos eſſe *Herodotus* notat Hiſt. L. III. 131. Ed. Gron. p. 210. vicinis mature locis, & ipſi *Romæ*, pedem intulerunt.

x) *De re ruſtic. c. 16. Ed. Geſner. p.* 121. 122. ubi in luxatis arundinem findere, manu tenere coxendices, & donec coëant, barbara ac incondita verba, in quibus nihil ſani ſenſus, cantare jubet.

y) *Ib. c.* 156. 157. *p.* 114. *ad* 120. triplex ei ſpecies eſt, prima levis, grandis, caule magno, altera criſpa priori validior, tertia tenera, acerrima. Recenſet easdem mutato nonnihil ordine *Plinius l. c. L. XX. c.* 9. *p.* 200. ubi prima caulodes nullius in medicina momenti dicitur, ultima, quæ proprie crambe adpellatur, amarior ſed efficaciſſima, media criſpa *Catoni* maxime probata. Subjicitur utrinque cumulus laudum, quem rudioris ævi admiſit credulitas, poſt *Chryſippum*, qui totum de braſſica volumen ſcripſit, *Dieuchen* aliosque, qui extulerunt virtutem, in adſenſum pronior.

z) *Hiſt. Nat. L. XX. c.* 9. *p. m.* 199. *XXX.*

a) *In vita Catonis Op. T. I. p.* 350. *D.*

b) Obſcurus ille auctor prope ævum Theodoſii M. male *Mercuriali* audiens, a *Reineſio* tamen defenſus, nomen, quod gerit, noviſſimis temporibus debet poſt repertum a *Paulio Jovio* epitaphium, cui C. Plinii Valeriani, medici, nomen inſcriptum eſt, adeoque illi ſine alia ra-

ſexcentis fere annis medicina braſſicæ uſum. *c*) In reliquis propius veſtigia ſenioris *Plinii* ſecutus, nondum, inquit, in urbem commeaverant medici, qui in artem redigerent, quemadmodum magno ſanitas conſtet, & peregrina ſecum pigmenta attulerant, ut illis imponerent pretia, quæ vellent. *d*)

§. III.

Tota omnino fabula cadit de ſexcentis annis, quorum decurſu *Roma* non vidiſſe medicos creditur. Rerum earum, quæ ex ultima antiquitate eruuntur, nimis exilis nec ſine lolio fabularum meſſis eſt. Neque auctores, quibus tenuis ex illa ævi caligine lux adfulſit, alia, quam inſigniora tantum novæ-reipublicæ fata & potiores rerum converſiones ſtrictim attigerunt. Vix in tam amplo campo & inter tot ſpinas excurrere ſatis licuit ad privatas res operasque civium ac prima ſurgentium artium rudimenta. Quoties tamen aliqua de gravi morborum publice ſævientium ſtrage dicendi occaſio emerſit, præteriri penitus ſilentio non potuit, quid pro tuenda in tanto periculo incolarum valetudine tentatum ſit, & quo ſucceſſu? Juvat in hoc obtutu oculos paulatim figere, & quæ hic paſſim occurrunt, in compendio complecti. Quod ſenſus religionis etiam hodie in publici hujus generis calamitate injungit, ad pia prius Numina quam medicos confugere, id curæ etiam priſcis *Romanis* fuit, per ſacras religionis ceremonias placare Deos, tanquam inflictis morborum, qui ſub lue epidemica omnibus minarentur, pœnis juſtos comiſſorum crimi-

tione tributum. v. Dan. le Clerc Hiſt. de la medic. P. III. c. 2. p. m. 648. ſq. qui mallet titulum libri: *C. Plinius Secundus de re medica*, mutare in ignoti hominis excerpta ex C. Plinii Secundi libris de re medica. Nam nihil ſunt niſi horum excerpta, ſi librum V. excipis.

c) In iſto libro *de re medica L. IV. c.* 39. *Edit. Baſil. Torini p.* 68.

d) Verba hæc de laude braſſicæ ſubjicit: *ceterum militares viri glorioſas cicatrices gratuito olere curabant, eodem horto curâ uſi ad ſalutem, dum illos paſcit et ſanat.*

criminum vindices. Variam ſuperſtitionem temporum hos ritus contaminaſſe, *e*) nemo negat, at in gratiam mulcendæ plebis & ad ſpem lætam erigendæ facta non pauca eſſe, quæ prudentiæ leges ſuggeſſerunt, facile convincimur. Hos enim, in quos oculatiores potior curarum illarum pars incubuit, ſollicitos fuiſſe intelligimus, ut inter illa ſpecie ſuperſtitioſa fontem ſimul, ex quo tantum malorum redundaret, cognoſcerent propius obſtruerentque, & inprimis ſalubritati urbis abſterſa ſpurcitie, & nunc exſiccatis paludibus, nunc ductis magno cum ſumtu, quæ tetram colluviem eveherent, cloacis, irent conſultum. In more poſitum erat, nunc per pontificem maximum cœleſtis iræ piacula conquirere, nunc per decemviros oracula *Sibyllina* conſulere, nunc per conſules *Apollini*, *Aeſculapio*, *Saluti* dona vovere, nunc etiam per dictatores clavum figere ædi *Jovis*. *f*) Supplicationes ad pulvinaria & aras valetudinis cauſſa, lectiſternia in templis, luſtrationes publicæ & privatæ, ludi ſcenici aliaque non obſcuro vinculo con-

e) Non ſolum Deos, ſed & morbos tanquam divinæ iræ miniſtros placandos eſſe putabant. Ita febri varia in urbe ſana dedicata ſunt. v. *Valer. Maxim. L. II. c.* 5 §. 16. *p, m.* 173. confer. *Plinium in Hiſt. Nat. L. II. c.* 7. *p. m.* 72. ubi numina reperiri ait in morbis & ipſis peſtibus, quas placatas eſſe trepido metu cupimus. Circa morbos etiam privatos Diis ſibi adverſis alios ſibi propitios oppoſuerunt. Contra *Sylvanum* Deum, quem puerperis inſidiari & jacentes noctu vexare credebant, tres vigilarunt in limine cuſtodes, quorum erat primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio ſcopis deverrere, dicti hinc Dii averrunci, *Intercidonia. Pilumnus* & *Deverra*, ut ex *Varrone* habet *Auguſtinus de civ. Dei L.* 6. *c.* 9. Latuit fortaſſis ſub his provida cura, arcendi alios, quorum juſtius metuenda laſcivia fuit, ab adeundis puerperis.

f) De hoc officio pontificum, decemvirorum, conſulum inter alios vide *Livii Hiſt. L. XL. c.* 37. *Ed. Drakenb. p.* 307. de peſte quondam clavo a dictatore ſedata *ib. L. VII. c.* 3. *p.* 479. Figebatur clavus dextro lateri ædis *Jovis O. M.* ex qua parte *Minervæ* templum eſt. Hoc ſolenne munus clavum figendi *p.* 482. a conſulibus ad dictatores translatum dicit, quorum majus imperium erat, & intermiſſo diu more rem per ſe dignam viſam, propter quam dictator crearetur. Adeo interfuit faſcinare plebem ipſo hoc digniſſimorum in republica virorum miniſterio.

conjunxerunt, quæ & reverentia Deorum & fucus prudentiæ humanæ in faſcinum plebis, tum etiam vera medici auxilii ratio poſtularent. Hujus ut inſtituti veſtigia quædam relegam, placet in *Apollinis* & *Salutis* cultu, unde exterorum & maxime *Græcorum* medendi rationem cito ſatis ad *Romanos* defluxiſſe conſtat, per momentum ſubſiſtere. Erat *Apollini g)* ſtructa jam ædes A. V. CCCXXI. & ſub nomine *Apollinis medici* A. V. DLXXIV. *Saluti* ædem, quam conſul in bello *Samnitium* voverat, dedicavit *C. Julius Bubulus* cenſor A. V. CCCCL. *h)* Convenit *Salus* cum *Hygeia Græcorum*, & *Iſide Aegyptiorum*, hanc vero a toto orbe coli ob præſens in medicando numen *i)* gloriatos eſſe *Aegyptios* DIODORUS SICULUS commemorat. Atque hanc *Iſidem* recepit quoque ſenatus *Romanus* ab *Aegypto*.

Nos in templa tuam Romana recepimus Iſin. k)

Et quam ſolemnis in peſte legatio fuit, quæ *Aeſculapium* ab *Epidauro l)* *Romam* A. V. CCCLXII evocavit! Cum anguem, ſub quo tanquam ſigno latuiſſe Numen e ſedibus ſuis elapſum & per medi-

g) Religioſe ſemper a *Romanis* cultus *Apollo* eſt & multa conſecutus templa aras ac cognomina, v. *antiq. Rom. Roſini & Dempſteri L. II. c.* 7. *p.* 955. Cum primum in urbe lectiſternia fierent in peſte, per octo dies *Apollinem* aliosque Deos ſtratis lectis placavere. v. *Liv. L. V. c.* 13. *p. m.* 60. De ſimili lectiſternio per triduum, v. *L. XX. c.* 10. *p.* 550. De æde *Apollinis* pro valetudine populi vide *L. IV. c.* 25. *p.* 955. de æde *Apollinis medici ad Tiberim L. XI. c.* 51. *p.* 536. Multis ſeculis hæc ædes ſtetit, ſæpe reparata. conf. *Gruteri inſcript. XXXVIII.* 6.

h) *Liv. L. IX. c.* 43. *p.* 1018. quod *Romanis* ſalus, maxime Græcis erant Θεὸι σωτῆρες.

i) *διὰ τὴν ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπιφάνειαν. Diod. Sic. L. I. Ed. Weſſeling. T. I. p.* 29. ubi & *φάρμακον ἀθανασίας* Iſis reperiſſe dicitur.

k) *Lucan. pharſal. L. VIII. v.* 831. *p. m.* 667.

l) Ex *Epidauro*, ubi genitus *Aeſculapius*, tranſiit ejus cultus ad alias plures gentes. v. *Pauſan. Corinth. p. m.* 60. maxime ad *Cyraneos* & *Pergamenos*, ab his ad *Smyrnæos*, *Pergamenum* templum ſenſim caput

medios decem legatos in triremem *Romanorum* et primi legati *Ogulnii* cubiculum tranſiiſſe, egreſſum tandem in Inſula *Tiberina*, quaſi fixam hic ſedem poſtularet, populo perſuaſiſſent, dicata hoc loco ædes eſt; et peſtis deſiit. *m*) *Plinius* circa res medicas ſemper in ſiniſtram conjecturam pronior, in æde extra urbem poſita aliquam faſtidii notam, quæ propius commercium fugeret, ſibi deprehendere videtur. *n*) At legatio tam ſplendida, cum peſtis, ut *Livius o*) ait, urbem & agros clade portento ſimili ureret ipſis Diis conſultis decreta, ſuſpicionem hoſpitii parum honorifici ut frivolam damnat. Si fabuloſa adparet ratio, locum, in quem egreſſus ex navi Deus fuit, datum templo ejus fuiſſe, illa tamen, in quam pronior *Plutarchus p*) eſt, magna probabilitate non caret, digniorem ſalutari Numine ſedem extra urbem viſam eſſe, quod omnino ſalubrius ſit, extra urbem vivere. Hinc & *Græci* locis puris & ſublimioribus, quibus ſacri luci adiacebant, ſacrarium *Aeſculapii* poſuerant, illud etiam *Epidauri*, unde *Roma* petiit, quinquies mille ab urbe paſſibus abfuit. Verum, quod ſcopo noſtro longe propius eſt, id maxime attendi velim, *Apollinem Romanum* & *Aeſculapium* cum ſuis ſacerdotibus, quorum in re medica verſatiſſimorum ore illa Deorum oracula medica pro-

extulit præ *Epidaurio ſeculo III*, ubi *Caracalla Pergamenum* ivit, & curationibus *Aeſculapii* uſus ſomnia captavit, quamdiu voluit. v. *Herodian L. IV. c.* 8. *p. m.* 195.

m) v. *S. Aurel. Victor. Hiſt. Rom. breviar. Edit. Pitiſc. c.* 22. *p.* 107. Subjicit: *peſtis mira celeritate ſedata eſt.*

n) *Hiſt. Nat. L. IX. c.* 1. *p.* 496. *VIII.* Antiquos ſcribit non rem damnaſſe, ſed artem, & immanem quæſtum, ideo templum *Aeſculapii*, etiam cum reciperetur Deus, extra urbem fuiſſe, iterumque in inſula.

o) *Hiſt. L. X. c.* 47. *p.* 187.

p) *Quæſt. Rom. Op. T. II. p.* 286. ubi varias cauſſas hujus ædis extra urbem poſitæ attingit, inter quas non eſt illa *Plinii*. *Sext. Pomp. Feſtus* ideo putat *Aeſculapii* ædem in inſula poſitam, quod ægroti a medicis maxime aquis ſuſtententur. *De verb. ſignif. L. IX. Ed. Dacier. p.* 188.

profluxerunt, exemplum *Græci* inſtituti eſſe, quod in medicinæ ortu nihil humile nihil non divinum agnovit. Docent *Gruteri* tabulæ votivæ, & quas ex *Maffei* marboribus *Mercurialis* collegit, *Aeſculapium* in inſula *Tiberina* ſimilem quam in *Epidauro* cultum habuiſſe; nam ibi etiam ſuſpenſis in templo tabulis inſcriptum fuit, quidquid auxilii medici conſultus *Aeſculapius* ore ſacerdotum ſuorum impertiit. Optabile eſſet, ex omnibus templis deſcriptiones tabularum ſupereſſe, ita enim de antiquorum medendi methodo plenius conſtaret. Erant ſacerdotibus *Aeſculapius* commodæ in templis habitationes, & eximii e ſacrificiis & ægrotorum muneribus reditus, præparabant in templis medicamina & diſtribuebant, inter ſuos artis præcepta propagabant, et ne in dedecus Numinis ſui reſponſa cederent, caute verſuteque omnem ſcenam inſtruebant. *q*) In votis *Galeno* erat, ut ad ſe ægri tam pleni fiducia & obſequio accederent. A primis temporibus ad *Antoniorum* ætatem non modo in *Græcia* ſed & *Italia* hunc morem perduraſſe, liberatos a morbis ægris illis templorum tabellis inſcribendi, docet *Hier. Mercurialis r*) & tabulam citat marmoream *Romæ* in *Aeſculapii* templo *Tiberino* inventam inque hunc diem a *Maphæis* conſervatam. Quod & in *Iſidis* templo factum eſſe, de quo ſuperius dixi, non male ex his *Tibulli s*) verſiculis colligit:

Nunc

q) Cujus rei exemplum eſſe poteſt, quod *Philoſtratus* habet in vita *Apollonii Tyan. L. I. c.* 9. *Ed. Olear. p.* 10. 11. Conſuluerat iuvenis luxu & crapula hydropicus, ſed reſponſum non tulerat niſi hoc demum, ut rationem, cur negaretur, ex *Apollonio* audiret. Hic Deum iis, qui vellent ſanari, dare ſanitatem dixit, non qui morbum alerent. Opus certe fuit, ne anguſtos artis limites proderent, præſtigiis interdum uti & impoſturis, quibus paſſim oculati viri illuſerunt. Et hoc erat ſignum prudentiæ, quod vetitum eſſet intra templi ſepta quemquam mori. *Pauſan. Corinth. p. m.* 60.

r) *De arte gymnaſtic. L. I. c.* 1. *p.* 2. 3. 4. ubi varios morborum caſus enumerat.

s) *L. I. Eleg. III. v.* 27. 28. *p. m.* 60. Lapidum quoque inſcriptorum fidem hic fulcit *Gruterus in theſ. p. LXXXII.* 6. *& p. LXXXIV.*

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Hæc omnia facile confirmant, conſulta medica, quamvis ſine dubio hominum eſſent, quorum intererat ſub tutela imo in ipſo quaſi inſpirantium Deorum contubernio rebus medicis vacare, reverenter tanquam divinæ originis habita eſſe. Verum etiam extra illa fuerunt *Romæ* medici, a quibus ſine Deorum adflatu favor civium ſimilia valetudinis præſidia exſpectavit, idque ante *Archagathi* ævum. In peſte, quæ A. V. CCLXXXII *Romam* graviter adflixit, virulentum mali genium adverſus adhibita medicamina & morborum præſidia coarguit *Dionyſius Halicarnaſſeus. t)* Ergo medica manus, quæ illa miniſtravit, haud defuit. De alia etiam atrociori peſte A. V. CCCI, quæ mediam abſumſit incolarum partem, diſerte teſtatur, in tanta ægrotorum multitudine non ſuffeciſſe medicos nec domeſticorum & amicorum miniſteria. *u)* Sed de his plura paſſim alii.

§. IV.

Totum hoc probrum, ſero *Romæ* medicos fuiſſe, in quo diluendo poſt aliorum impenſas operas juſto diutius ſubſtitimus, parvi in ſe momenti eſt, nec fortaſſis multo majoris, urbe aliquando

8. conf. *Jac. Sponium l. c. p.* 365. it. *Th. Reineſii ſyntagm. Cl. I.* 132. Sane mos ille, ut antiquiſſimorum jam fuit *Aegyptiorum*, ita nec noſtri ævi exempla deſunt. Hodie in inſula Occidentali apud *Floridanos* ſacerdotes ſimili funguntur medicorum officio. v. *Melton Zee en Landreiſe p.* 179.

t) Antiq. Rom. L. IX. p. 599. peſtem ſcribit *Italiam* peruagatam ſed nusquamquam *Romæ* infeſtiorem fuiſſe, nihil hic humanam opem profeciſſe, ſed æque periiſſe, quibus nulla & quibus magna cura impenſa.

u) Ib. L. X. p. m. 677. οὔτε τῶν ἰατρῶν ἀρκούντων ἔτι βοηθεῖν τοῖς καμάτοις, οὔτε οἰκείων, ἢ φίλων τἀναγκαῖα ὑπηρετούντων. Ita, addit, πολλὰς οἰκίας ἐξερημωθῆναι δι' ἀπορίαν τῶν ἐπιμελησομένων.

quando pulſos eſſe, & diu in ſervili conditione vixiſſe. Alterum ex his, nempe exſilii commentum, dudum exploſum eſt, nec, ſi explodi non poſſet, plus veri probri contineret. Ridiculum eum Plutarchus *x*) vocat, qui exſilium cum ignominia conjunctum eſſe ſibi perſuadet. Plinius autem etiam hujus fabulæ auctor videri poteſt, rem enim geſtam verbis dubii ſenſus ita exponit, *Romam*, cum *Græcos Italia* pelleret, medicos excepiſſe. *y*) Excepiſſe enim hic forte non eſt ab exulum numero exemiſſe, ſed nominatim medicos, ut cum *Græcis* pellerentur, deſignaſſe. *z*) Quamvis enim pronior alter vocis ſenſus & frequentior ſit, in quo Car. Drelincurtium *a*) exſultare video, nec male ad verba eodem ſenſu allata Suetonii provocare liceat, qui ſub *Auguſto* in gravi ſterilitate agrorum & difficili remedio multos urbe ejectos eſſet et peregrinos omnes exceptis medicis & præceptoribus, teſtatur; *b*) in illo tamen *Plinii* loco nimis a cauſſa medicorum favor abeſt, quam ut valde dubitem, medicos tanquam communis odii reos ſub decreti exſilii ſententia comprehendi. Salva tamen res eſt, nec alio præter *Plinium* teſte ſubnixa, repugnante potius omni ætatis illius teſtimonio, quo *Romæ* poſt *Catonem* nunquam abſuiſſe

x) γελαῖός ἐστιν νομίζων ἀδοξίαν τῇ φυγῇ προσεῖναι. De exſil. *Op. T. II. p.* 605. D. multos ibidem ait fuiſſe exules, magnæ poſt mortem famæ, cum nulla eorum ſuperſit, qui in exſilium egerunt. Quis non mallet *Themiſtocles* eſſe, patrium ſolum vertere coactus, quam *Leobatus*, qui de eo ejiciendo retulit? quis non *Tullius* potius quam *Clodius*?

y) *Hiſt. Natur. L. XXIX. c.* I. *p. m.* 496. *VIII.* II.

z) v. *Harduini notam ad illum locum Plinii p.* 496. *n.* 5.

a) *In apolog. med. contra calumniam, medicos* 600 *annis Romæ exulaſſe. Op. P. II. p. m.* 408. ubi hæc *Plinii* verba tanquam aurea, & quæ omnem litem dirimunt, uncialibus litteris cedro conſignanda conſiderat. Quo etiam ſenſu quaſi medici exemti fuerint a ſententia exilii, *Jac. Sponius* verba illa *Plinii* ſumſit *dans les recherches d'antiquité p.* 441. Ita multi alii, ut *H. Lampe in diſſ. de honor. privil. & juribus ſingul. medicorum p.* 83. ad finem.

b) *In vita Auguſti c.* 42. *p. m.* 253. it. *Dion. Caſſii Hiſt. L. IV. Reimar. p.* 566.

abfuiſſe medicos, res vero & fortunas eorum indies effloruiſſe edocemur. Vulgarium ſcriptorum turba veſtigiis Henr. Cornelii Agrippæ, *c*) qui fabulam illam primus diſſeminavit, inſiſtens, haud recenſitis verbis *Plinii*, quæ aliquem etiam inde colorem mutuantur, quod cognitum ſit, urgente annona ſæpius pulſos peregrinos eſſe, quorum omnino numero medici, quippe maximam partem peregrini, contineri poterant, ſed potius illis nititur, quæ ſuperius recenſuimus, *Romanos* nempe in accipiendis artibus haud lentos, medicinæ etiam avidos fuiſſe, donec compertam damnarent. Damnaſſe hic idem temerariis illis interpretibus eſt, quam ipſo ſenatus conſulto, cujus nuſquam veſtigium exſtat, ejeciſſe medicos, cum ſine dubio hoc unum notet, artem, quam veniente *Archagatho* benignam & ſibi valde optabilem exſpectaverant, mox urendo ecandoque cognitam, ut inhumanam & crudelem, abhorruiſſe. Nempe cœperat medicina chirurgica ſub manu *Archagathi* generoſiora & efficaciora remedia tentare, cum leniora antehac & ob lenitatem inertiora in uſu fuiſſent. Mirum non erat, illa cultioris apud *Græcos* artis ſpecimina, antequam de virtute & ſalubritate eorum plenius conſtaret, terroris aliquid ſub primo adparentis ſævitiæ conſpectu peperiſſe, hosque, qui blandis olim fotibus unguentisque, ſcilicet imbelli adverſus graviores læſiones armatura, molliter tractari conſueverant, manum jam ſecantem urentemque formidaſſe, ut paulo poſt ipſe *Marius*, dura licet facere & pati ſolitus, cum varicoſis cruribus laboraret, alterum crus ſecantis medici arbitrio permiſit, alterum jam perſpecta experimenti ſævitia poſtulanti negavit, remedium ratus deterius, quam malum, quo laboraret. *d*) Neque vero *Archagathum*

c) Pulſis ſæpe peregrinis illo & magis ſubſequenti ævo male *Romani* audiverunt. *Libanius Orat. XI. ſ. Antiochen. panegyr. Op. T. II. p. m.* 366. *Nullo*, inquit, *tempore coacti ſumus ius hoſpitale violare per ſævitiam erga peregrinos, quos Romæ expulit, quoties raritas neceſſariorum ad victum eſſet.* Ita *Themiſtius Or* 6. gaudet ſuis non continua peregrinorum expulſione opus eſſe, ut in metropoli *Roma*. Jure vocat φάρμακον τῆς ἐνδείας χαλεπώτερον.

d) *Plutarch. in vita Marii. Op. T. I. p m.* 408. Extollit tolerantiam *Marii*, quod in crure uno tantos dolores vultu immoto & ſine gemitu

gathum neque alios, ſimilem fortaſſis medendi rationem ingreſſos, licet ad tempus opinio crudelitatis, quam in opere medico damnabant, premeret, ideo unquam urbe pulſos fuiſſe legimus. At non dubitavit AGRIPPA *e)* temere pronuntiare, *Romanos* ſub *Catone Cenſorio* medicos omnes ex urbe *Roma* & tota *Italia* pepuliſſe. Audax ſane aſſertum, quod voce primi auctoris tam ambigua nititur, iteratum tamen ab aliis multis, qui ex fonte tam turbido hauſerunt, quin & novas conjecturarum ſordes adſperſerunt. Miror, THEODOR. JANSS. *ab* ALMELOVEEN in ſcrutinio alioqui doctæ antiquitatis probe verſatum *Catoni* latam legem tribuere, qua cavit, ne medicus *Græcus* aut *Arabs* aut *Aegyptius* urbem intraret, ſeveriſſime obſervatam ad *Archagathi* acceſſum *f)* Quam ineptus eſt temporum calculus, illud exilium, quod ad *Archagathum* usque duraſſe creditur, *Catoni* tribuens, qui ſub illius adventu puer quindecim annorum fuit, ipſe quidem ſemper in *Græcos* eorumque medicos ex dicta ratione iniquior, ſed aſperis etiam verbis, quibus ſecundum *Plinium* filio interdixit de medicis, ſimul docens, etiam tunc in urbe fuiſſe medicos: nam contra abſentes et exules qua opus erat cautione? qua, ne eos conſuleret, dehortatione? Cum vero error errorem generet, factum eſt, ut fabula exilii cum illa fabula ſexcentorum annorum in unum coaleſceret. Scilicet opportunum erat, annos ſexcentos, quibus *Plinius*, nec ſine errore dixerat, *Romam* medicis caruiſſe, pro ipſo exilii intervallo interpretari. Mirabile exemplum, modo fingere fas ſit, exilii ſub ipſis *Romæ* incunabulis nati & ſingulari procerum conſenſu per tot ſecula contra artis tam ſalutaris cultores propagati! Ad hæc reſpondere velle, quid eſt, niſi otio abuti & cum umbris colluctari? *g)*

§. V.

ſuſtinuit. Plus miror mollitiem tanti viri, quod idem in altero ſuſtinere extimuit.

e) *De incertitud. & vanit. ſcient. c.* 83. *p. m.* 196.

f) *Invent. nov. antiq.* §. 4, *p.* 12.

g) Bona fide alii alios ſecuti ſunt, & ipſi quidem medici, ut *Beſold. in theſ. pract. p.* 49. Ipſe vero auctor libelli *medicus Romanus ſervus* 60 *ſolidis æſtimatus p.* 6 & 7. dubitat de fabula exilii, an quis ſerio illam

§. V.

Nondum hucuſque priſca *Roma* in medicos iniquior adparuit, at natam a ſervili conditione maculam quomodo delebit? Hanc nec delere totam vel diffiteri, nec agnoſcere totam fas eſt, neque illud largiri, plus ſemper veræ maculæ in ſervitute eſſe quam dominatu. Natura & virtus nunquam, ſed quæ utriusque jura toties violat & merita conculcat, ſiniſtra fortuna ſervos parit. Quæ vero unquam res & diſciplina tam ſancta et inviolabilis exſtitit, ut cum adverſo fato non luctata aliquando ſit, & communem viciſſitudinis ſortem experta? Erant ſervi, qui id fati non meruerant, apud alios paſſim populos, & ipſos cultioris alioquin ingenii *Græcos*. *Athenienſes* quidem cavebant ſedulo, ne urbs ſervis repleretur, & merito judicabant, rerum artiumque utilium ſtudia liberos homines decere, & ſigillatim, ne rem medicam ſervus attingeret, lege prohibeant. *h*) At *Lacedæmones* contra nihil rei militari dignius rati, quidquid ad vitæ neceſſitatem & commoditatem faceret, per ſervos agebant. Ita *Romani*, qui vagorum ab initio hominum, ne latronum dicam, colluvies erant, cum quibus honeſtiores gentes connubiorum miſcere jura renuerent, unicam in vi & armis gloriam collocabant. *Romulus* duplex tantum indigenarum ſtudium eſſe voluit, rei militaris & ruſticæ, *i*) artes ſellularias ſimilesque ſervis & peregrinis reliquit. *k*) *Numa* quidem religionis & iuſtitiæ ſanctiora vincula injecit, & collegia artium

adſerverit, niſi forte exilii voce contra communem loquendi rationem valde abuſus, aut rerum *Romanorum* parum gnarus fuerit.

h) *Hygin. fabul.* 74. *p. m.* 201. Caverant Athenienſes, ne quis, ſervus aut femina medicinam diſceret. Emendata deinde lex eſt, ut ex ingenuis feminis diſcere eam præeunte *Agnodice* liceret.

i) *v. Dionyſ. Halicarn. Antiq. Rom. L. II. p.* 98, 27. *τὰ κατὰ γεωργίαν καὶ τὰ κατὰ πολέμους.*

k) *ib. ἐπιδιφρίους καὶ βαναύσους τέχνας δούλοις καὶ ξένοις ἐπέδωκε.* Addit, longo tempore *Romanis* talia tractare pudori fuiſſe.

artium inſtituit, τὴν κατὰ τέχνας διανομὴν; *l*) ſub *Tullio* autem *Hoſtilio*, qui militare decus inſtauravit, aliarum extra illud rerum faſtidium recruduit. *Tarquinius* collegia etiam ſuſtulit, donec ſucceſſu temporum plebs in patricios inſurgens ſibi tribunos, & per eos honorum, ſacerdotiorum & ſuffragiorum iura, reſtitutis ſimul collegiis, extorqueret. Neque vero veteres *Romani*, quibus in more poſitum erat, exteros quosvis ſine natalium & conditionis diſcrimine inter cives ſuos recipere, *m*) & quotquot vellent, rerum domeſticarum tædio in aliis locis adfectos ſibi ſociare, poterant abundare ſervis, præſertim cum captis in bello urbibus nec necarentur puberes nec venundarentur, ſed in partem agrorum forte dividendorum, tanquam coloni *Romani*, venirent. *n*) Erat quidem triplex ſervorum genus, cum alii ex publica belli prœda venderentur ſub haſta, alii ab ipſis dominis ſuis in bello capti, unde mancipiorum nomen, alii ab iis, qui cepiſſent, emti ſervire cogerentur, ita tamen, ut & tunc non ægre ſua potiri libertate poſſent, plurimi gratis ob meritum probitatis & honeſtatis, pauci pretio. *o*) Atque illos manu miſſos ſuaſit *Servius Tullius* et perſuaſit patriciis, dato civitatis jure in quatuor tribus urbanas diſtribuere. *p*) Igitur primis a condita *Roma* ſeculis medicos, quibus in bellorum periculo verſari & capi tam proclive non fuit, in ſervili conditione vixiſſe haud facile ſuſpicamur, inter peregrinos vero, quibus lubenter incolatus cum exercitio artium ſuarum conceſſus fuit, locum reperiſſe, dubio eo magis caret,

l) Præ reliquis *Numæ* inſtitutis commendatur illa populi per artificia diviſio apud *Plutarch. in Num. Op. T. I. p.* 71. *C. D.*

m) *Dionyſ. Halicarn. Ant. Rom. L. IV. p.* 225, 49.

n) *Ib. L. II. p.* 88. 89. Hæc *Romuli* inſtituta a ſucceſſionibus ſervata effecerunt, ut *Romanorum* civitas nulli genti, vel populoſiſſimæ, numero hominum cederet.

o) *Ib. L. IV p* 227. Fatetur autem ad ſordes & ignonimiam poſtea degeneraſſe *Romanorum* circa hæc probitatem.

p) *Ib. L. II p.* 89. Ita cum *Lacedæmones* poſt pugnam *Leuctricam*, *Athenienſes* poſt cladem ad *Chæroneam*, attritis jam viribus, ſuccumbe-

ret, quod *Roma* ab initio omnibus aſylum eſſet, blandeque & humaniter advenas ſuſciperet & jura civium conferret, imo hæc nec iis negaret, qui capti in bello vellent cum ſua gente conjungi, unde tam ſubita virium augmenta nata. Laudat *Romanos* veteres DIONYSIUS HALICARN. tanquam æquiores in peregrinos, hinc rebus ſuis egregie proſpicientes, cum *Lacedæmones* & alii *Græcorum* ad retinendam generis nobilitatem nullos vel certe raro ad jura civitatis ſuæ admitterent, quin ex parte hoſpites pellerent, unde ait fructus non modo nullos ſed & maxima detrimenta ad eos redundaſſe. Quare juſta non eſt *Conyeri Middelton* conjectura, artem medicam, quæ florente republica ſervilis fuit, talem quoque fuiſſe ea inope, nec hic ſilentium auctorum refragari poſſe, cum ibi luculenta teſtimonia loquantur. *q*) De his teſtimoniis quos gravent & quouſque, paulo poſt videbimus, hic tantum ad præcipitem illam doctiſſimi viri concluſionem id reſpondeo, rudem quidem & innocentiorem inque re ſua ſtabilienda æquiorem primam Romanorum ætatem fuiſſe, favente etiam rerum ſucceſſu creviſſe luxum & morum corruptelam. Ad *Archagathum* usque, qui & ipſe peregrinus ac liber fuit, imo civis & inter publica beneficia exceptus, nullum omnino luculentum inter medicos ſervitutis veſtigium eſt. Nec vero deſunt in progreſſu veſtigia ingenuorum medicorum ante Cæſarum ortum, quamvis nec deſit turba medicorum ſervorum, quos propius juvat in ſua origine ſcrutari.

§. VI.

Hæc ſervilis *Romani* medici imago qualis primum fuerit, ex *Græcorum* illuſtrari inſtituto poteſt. Poſt *Aeſculapium* tactum *Jovis*

rent, *Romanis* e contrario poſt *Cannenſem* aliasque clades, imo cum *Italia* pene tota ad hoſtem deficeret, ſemper numerus militum ad excipiendos omnium impetus ſuffecit. Sed diu non duravit illa æquitas. v. p. 17. Not. *f*.)

q) *In diſſ. de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione contra Jac. Sponium & Rich. Mead. p. m.* 10.

Jovis fulmine, *r*) ars viſa eſt cum auctore ſuo dificere, ſi *Iſidoro s*) credimus, latuitque per annos fere quingentos, donec eam *Hippocrates* in lucem revocavit. Latuit omnino, ſed defecit nunquam, latuit in familia *Aſclepiadarum*, qui ab *Aſclepio* ſeu *Aeſculapio* orti in templis Numini huic per plurimas civitates excitatis, *t*) quibus ſui fundi proventusque & uberes ſatis ex ſacrificiis & donariis convaleſcentium reditus erant, ſacerdotio velut hæreditario, in ipſam longa ſucceſſione progeniem cum novis paſſim cultæ artis præſidiis propagato, fruebantur, ægrotisque ex ore quaſi Numinis ſui conſulebant, neque hinc pro ſuſtentanda magis eorum fiducia extra templa ſua medebantur. Illo igitur ævo adeo res medica nihil ſervile habuit, ut quodam potius cum ipſis Diis commercio niti videretur. Hæc gentilitia artis exercendæ jura ex primo quidem *Aſclepiadarum* inſtituto non niſi ad natos cognatosque tranſierunt, admiſſis tamen *u*) ſenſim etiam aliis in doctrinæ hujus & collegii ſocietatem, erectisque non

r) Et hic artem medicam *Plinius H. N. L.* 29. *c.* 1. arguit auxiſſe famam crimine. Nam fabula refert, in pœnam ad querelas *Platonis* fulmen a *Jove* miſſum in *Aeſculapium* ob mortuos quosdam in vitam revocatos. At revocaſſe ad vitam non crimen eſt, quid enim divinius poterat ab arte exſpectari? ſed fabula. Ceterum *Suidas* verius tradit illum peripneumonia exſtinctum eſſe, his vero, quibus id contigit, latera livere tanquam fulmine tactis.

s) *Orig. L. IV. c.* 3. prope accedunt verba *Plinii* l. c. ſequentia latuiſſe denſiſſima nocte usque ad *Peloponneſiacum* bellum, tunc revocaſſe in lucem *Hippocratem*. Ceterum plus eſt intervalli quam 500 pene annorum, quos *Iſidorus* ait ab *Aeſculapio* ad *Hippocratem* effluxiſſe. Nam *Argonautica* expeditio, cui ille interfuit, refertur ad A. M. 2721, mors *Hippocratis* ad A. M. 3627. Multi periere teſtes, qui de hoc intervallo egerunt, *Eratoſthenes, Pherecydes &c.*

t) Hæc templa in *Græcia* & extra eam LXII. *I. H. Schultzius* numerat, nec dubitat, longe plura fuiſſe, in *Hiſt. medic. Per I. S. II. c.* 3. §. 6. *p.* 117. *ſq.* Seorſim ſubjicit ibidem templa *Aeſculapio Aegyptio*, *Iſidi & Serapidi* dicata.

u) Geminum *Aſclepiadum* genus in *Aſia* ſcholam *Coam* & *Cnidiam*, inter ſe æmulas, condidit, *Rhodia* quidem primum orta, at & primum

non uno loco pro uberiori inſtitutione ſcholis medicis. Imo ſub illis *Aſclepiadarum* in medicinam meritis, nec potuit aliis, quibus cum iis commercium non fuit, inprimis philoſophis, *x*) via præcludi, ne manum huic ſegeti immitterent, & inter æmula ſtudia eo facilius prævalerent, cum ſibi rem ſuam *Aſclepiadæ* intra templorum ſepta haberent, *y*) at illi clinicam extra templa medicinam cum majori ægrotantium, quos adibant, opportunitate ſtabilirent. Verum hic ad illud ſine ambagibus propero, ex quo prima ſervilis medicinæ forma nata videtur. Cum antiquiſſima medicina longe ſimplicior non niſi ſuccinctas quasdam medendi leges, obſervationibus diæteticis & chirurgicis nixas, comprehenderet, inter collectas ſenſim ex pharmacia aliisque fontibus opes laborare mole ſua cœpit, ut medicus oneri ſuo jam ægre ſufficiens lævaretur quidem ad tempus diſcipulorum inter tyrocinia artis miniſtrantium fide & auxilio, oporteret autem in exiguo ſæpe vel prolis vel diſcipulorum numero ſervulos etiam, per quos viliora & moleſtiora agerentur, inſtruere. Huc multum contu-

lerunt,

collapſa & ante *Hippocratem*. *Italica* ſchola philoſophis potius *Pythagoreis* quam *Aſclepiadis* debetur. conf. *Galen. meth. med.* *L. I. c.* 1. *Op. Cl. VII. p. m.* 2. *F.*

x) Certe diu extra templa haud medebantur, niſi in caſtris, vel etiam noviſſimis temporibus, ubi *Aſclepiadæ* æque, quam alii publice annuis civitatum ſtipendiis conducti in majori luce vivebant, & περιοδευταὶ lectos ægrotorum adibant. Ipſe *Hippocrates* ex *Aſclepiadarum* familia ortus relicta patria *Coo*, *Aeſculapio* dicata, dives etiam, ut ex *Varrone Plinius* habet, ſpolio tabularum in templo illo, antequam deflagravit, deſcriptarum, *Theſſaliam* & *Thraciam* medendi ſcopo peragravit.

y) Secundum *Celſum* L. I. *præf.* primum pars ſapientiæ medicina fuit & iisdem auctoribus nata morborum curatio & rerum naturæ contemplatio. Ipſe huc refert *Pythagoram*, qui rem certe medicam minime neglexit, & *Empedoclem*, qui medicos cum poetis et vatibus reliquos longe a tergo relinquere credidit, ac *Democritum*, qui in experimentis ætatem trivit. Neque philoſophi ſolum præter ſacrificulos illos *Aſclepiadas*, ſed & antiqui poetæ cultæ medicinæ ſpecimina dederunt, ut *Linus*, *Orpheus*, *Muſæus*, *Melampus*, *Homerus*, *Heſiodus* & alii.

lerunt, quæ cito invaluerant, athletica & gymnaſtica inſtituta, quibus ab initio nobiliſſimi viri exercebantur. Quæ ut ſalubriora eſſent exercitia pro bono & vegeto corporis habitu adquirendo, requiſita eſt medici, quem ὑγιαινὸν adpellabant, victus & vitæ ordinem dirigentis, opera. Illius conſilio mox in uſum venerunt crebræ & fere quotidianæ frictiones, inunctiones, clyſteres, balnea & ſimilia, quæ ad præſcriptum medici manu ſervili adminiſtrabantur. Hos quoque ſervulos neceſſe erat chirurgiæ non prorſus rudes eſſe, cum in lucta, pugillatu alioque exercitiorum genere contuſiones, luxationes, fracturæ, vulnera paſſim acciderent, præſentemque & exercitatam manum expoſcerent. In majori pretio hæc miniſteria erant, ex quo *Herodicus* gymnaſticæ medicinæ auctor docuerat, per exercitia non modo bonum vegetumque corporis habitum obtineri, ſed &, quod in ſe ipſo expertus erat, a morbis vindicari. Ita liberale vectigal partum eſt ſervulis, qui medicæ diſciplinæ in potioribus momentis expertes, opere autem illo, in quo verſari ipſi medici dedignabantur, diu & inter multas encheireſes perfuncti, habitumque pro ſuo ſcopo neceſſarium conſecuti, id, quod prius ex juſſu & inſtitutione medici egerant, jam ſuis auſpiciis tentare auſi, non in ſolo hoc ſpolio adquieverunt, ſed &, cum aliptæ ſeu unctores prius vocarentur, mox ob quamcunque cum re medica affinitatem, iatroliptarum imo ipſorum medicorum nomen ſibi arrogarunt. Conſiderari poſſunt ut locuſtæ in agro fertili. Id quod docte proſecutus eſt, ut reliqua hujus argumenti momenta, Jo. Henr. Schultzius, z) ipſo *Platonis* teſtimonio fultus, qui medicorum miniſtros ὑπηρέτας alios liberos alios ſervos adpellitans ſubjicit, utriſque nomen tribui medicorum. Toto vero ſeculo anteceſſit *Platonis* ætas illum *Archagathi* ad urbem acceſſum, in quam tunc quidem

z) *Hiſt. med. P. I. S. II. c. 6.* §. 37. *p.* 327. Locus *Platonis* eſt *de leg. IV. p. m.* 536. *b.* & 537. *a.* Addit, cum ſervi plerumque ſervos curent, neglecta morborum ratione, illa quæ uſu proſunt, quaſi exacte ſcientes tyrannorum inter ſuperbe & pertinaciter imperant, cum liber medicus liberorum morbos probe & a principio expendat, comiter cum ægro & ejus amicis verſetur, quibus ſit opus, quantum fieri poſſit, doceat, nec ante imperet, quam perſuaſerit.

quidem ex rebus *Græcorum* parum adhuc venerat. At finito bello *Syriaco* contra *Antiochum* & *Macedonico* contra *Philippum Romani* viam ad commercium cum *Græcis* magis ſibi aperuerunt, inprimis cum vindices libertatis eorum videri vellent. Allicere cœperunt tam fœcundi ſcientiarum campi, & ut fruerentur tam varii generis ſtudiis, quibus tamen ipſi impendere operam non ſatis dignum ſua gravitate putabant, magna fecerunt impendia in ſervulos bene inſtitutos, grammaticos, librarios, architectos, muſicos, pictores & præ ceteris medicos: nam etiam a *Græcis Romam* translata erat diæta athletica. Quis enim neſcit, quæ huc pertinent, *Romanis* brevi quotidiana fuiſſe? cœnare multum, ſomnum protrahere, mane vomitu ventriculum levare, clyſmate alvum eluere, a meridie ungi, exerceri, fricari, lavari, idque in proſpera non ſolum ſed & titubante valetudine. Vix domus erat, niſi valde inopum, ubi locus non eſſet aptus ad exercitationes, inunctiones & balnea, ipſis etiam in villis, velut eleganter ſuo in *Laurentino* PLINIUS *b*) omnes gymnaſii partes exponit. Hic igitur operam præſtabat ſervus, improprie medicus dictus, dominum ſuum ab exercitio fricans, ungens, lavans. Imo in illo luxu diviſa erant munera, cum alii balnea inſtruerent, alii fornaces curarent, alii veſtium curam in apodyterio haberent, alii frictiones ex arte peragerent, alii pilos evellerent, tonderent, raderent, alii articulos motitarent, isque in publicis privatisque locis mos eſſet. In his quis veri doctique medici faciem & officia agnoſcit? Quis non degeneraſſe prorſus hoc nomen intelligit? Promiſcue apud veteres communi medicorum nomine occurrunt, qui ſecant venas, *c*) cucurbitulas ponunt, collyria, clyſmata, unguenta parant,

a) Quos *Juſtinianus* ſupra omnia ſervorum artificia æſtimavit. v. *Laur. Pignor. de ſerv. p, m.* 40.

b) *L. II. Epiſt.* 17. *p. m.* 129. ubi omnia fuſe exponuntur, balinei cella frigidaria, cujus in contrariis parietibus duo baptiſteria, adiacens unctuarium, hypocauſtum, nec procul ſphæriſterium &c. Ita *Columella* balnearia in villis poſt meridiem & uſque in veſperam illuſtria aptari jubet, *de re ruſtic. L. I. c.* 5. *p. m.* 403.

c) Neque id ſalutis ſemper cauſſa. *Nero*, quos mori juſſit, cunctantes ultra horam, medicis curavit, (ita vocabat) qui venam mortis gratia in-

parant, circumcidunt, caſtrant, & ſi quid his ſordidius. *d*) Ita Galenus *e*) ait herniæ diſſectores, calculi detractores, auricularios, ocularios, dentarios, herbarios, communi nomine medicorum adpellari. Igitur ſervitutem, inprimis in certa medicorum claſſe non inuiti admittimus, uno omnes modulo metiri temeritas eſt. Ut tamen ingenue dicam, non hæc impediunt, quin medicos ſubinde per omnem artis ambitum bene inſtitutos & in gravioribus morbis tuendæ dominorum valetudini pares, inter ſervos *Romanos* fuiſſe agnoſcam. Poterat *Cæſar f*) movere equites & Senatores, ut ipſi ſervos in re gladiatoria inſtruerent, quidni ex *Græcis* medicis fuerint, qui principum reipublicæ *Romanæ* gratiam merituri, vel pretio adducti, ſervis eorum traderent, quidquid eximii in arte eſſet? ſæpe fortaſſis in compendio, ut *Theſſalus*, qui totam medicinam intra ſex menſes ſe traditurum promiſit, at & aliquando plenius, ſi capacia boni cultus ingenia obtigiſſent.

§. VII.

ciderent. *Sueton. in Ner. c.* 37. *p. m.* 807. *Commodus* Lampridio teſte imitatus medicos ſanguinem hominibus emiſit ſcalpris feralibus in *vit. Comm. p. m.* 282. Legimus quoque pœnæ irrogandæ & ignominiæ cauſſa medicos militibus venam incidiſſe.

d) Hæc tamen etiam poſtrema *Seneca* ad laudem medici refert, & normam inde ſapientis ſui dijudicat. *Non medicus*, inquit, *phrenetico iraſcitur, non maledicta in malam partem accipit, nec obſcœna, ſi remediis egent, contrectare, nec reliquias & effuſa intueri dedignatur. de conſtant. ſap. c.* 13. *Vol. I. p. m.* 410.

e) *Ad Thraſybul. c.* 24. *Op. t. II. p.* 105. *B.*

f) *Sueton. in vit. Cæſ. c.* 26. *p. m.* 52. ubi non tyrones artem gladiatoriam per laniſtas ſed in domibus per equites *Romanos* ac etiam ſenatores armorum peritos erudiri voluit. confer. *c.* 39. *p* 53. ubi in foro depugnavit *Furius Leptinus* ſtirpe prætoria & *Q. Calpenus* ſenator quondam, & *Dec. Laberius* eques *Romanus* mimum ſuum egit. Adeo primum *Cæſar* honeſtis & ſpectatæ vitæ hominibus ad ſcenicas & gladiatorias operas tanquam ſervis abuti cœpit.

§. VII.

Ille incredibilis in cumulandis ſervis luxus etſi aliquando *Romam*, ut in bello ſervili, propemodum evertit, *g*) ex altera tamen parte palam fecit, artes, quæ *Græcis* in magno honore erant, *Romanis* ſerviles quidem fuiſſe, at etiamſi ipſi iis vacare infra gradum dignitatis ſuæ cenſerent, minime contemtas, ſed pro maximis ſuis divitiis habitas, utpote in quibus ingens roboris ſui ac gloriæ omniumque in vita opportunitatum momentum poſuerunt. Latuit omnino in his animatis domeſticæ fortunæ inſtrumentis maximus rerum gerendarum nervus, ut quamvis ad easdem operas liberorum hominum manu & miniſterio uti poſſent, nihilominus per ſervos mallent res ſuas, quin & ingenti cum fructu alienas, adminiſtrare, qnod impendii minus, obſequii plus eſſet. *M. Craſſum h*) legimus architectorum tantum & fabrorum circiter quingentos habuiſſe, quibus magnam partem urbis vaſtatam flammis, vel deſertam & vili pretio emtam refecit, areæ ſpatia vendidit, & ædificantibus locavit. Sic alios nullius non generis ſervos habuit, ratus, regenda omnia per ſervos eſſe, hos per patremfamilias, cui glorioſum ſit, inſtructis varia arte ingeniis imperare. In quo numero proceres nobilesque reipublicæ etiam ſervos medicos habuiſſe, eosque haud infimi ſemper ordinis, idque ad ultimos usque *Romani* imperii terminos, refragari non auſim. Nam *Juſtinianus* æſtimato per legem ſervorum pretio,

g) Ne dicam de primo ſervili bello ſub *Herdonio Sabino*, quod magis tumultus fuit, notum eſt alterum ſub *Euro Syro* cruentius *Siciliam* vaſtans, quam in bello *Punico* factum eſt, mox etiam renovatum ſub *Athenione*. Ibi *Perpenna* hic *Aquilius* rem reſtituit. In illo denique, quod a *Spartaco* excitatum eſt, totis viribus imperii opus fuit, donec *Licin. Craſſus* pudorem Romanum adſereret. v. *Flor. L. III. c.* 19. *&* 20.

h) *Plutarch. in vit. M. Craſſi Op. T. I. p.* 543. *E.* Ita habuit ἀναγνώςας, ὑπογραφεῖς, ἀργυρογνώμονας, διοικητὰς, τραπεζοκόμυς &c. *p.* 544. *A.*

pretio, medicos ſexaginta ſolidis cenſeri voluit. *i*) Cui ſervitio non repugnat, *Jul. Cæſarem* omnes medicinam *Romæ* profeſſos, & liberalium artium doctores, quo lubentius & ipſi urbem incolerent, & ceteri adpeterent, civitate donaſſe, *k*) *Auguſtum* quoque & ſucceſſores ejus paſſim novas medicis immunitates & inſigniora privilegia contuliſſe. Intellectu enim facile eſt, ſub his medicos comprehendi non poſſe, qui jam ſervi erant, nec ſine læſo dominorum ſuorum jure in libertatem vindicari poterant. Stultum eſt, inquit *Caſaubonus*, *l*) ſuſpicari, aliis quam jam ante liberis hæc jura civitatis collata eſſe. Inde vero ſequitur, ſervos medicos non modo ſub poteſtate dominorum ſuorum manſiſſe, ſed & eo difficilius, quo majora artis ſpecimina ediderint, ſuis ſe vinculis expedire potuiſſe, & licet verum fortaſſis ſit, quod Cicero perſuadet, *m*) ſervos frugi haud quinquennio diutius ſervari, ſed in libertatem emitti, ſortem tamen ſervilem medicorum, ſi non in natis ſemper, certe in aliis, quos ad eandem artem inſtruere oportuit, propagatam eſſe liquet. Hoc tamen ipſum, *Romam* ſervos medicos habuiſſe, non illud excludit, habuiſſe eodem tempore liberos & ingenuos, nec dici medicinam ſtudium ſervile & ars illiberalis meruit. Cui enim diſciplinæ non ſimile aliquando jugum incubuit. *n*) Accidit hic, quod hominibus liberis, alias utiles vitæ artes profeſſis,

i) Sanxit *L. III. Cod. Com. de legat.* ſervos & ancillas artium expertes XX, cum arte aliqua XXX, notarios L, medicos utriusque ſexus, id eſt, obſtetrices etiam, LX ſolidis æſtimari. Solidus & aureus in legibus *Romanis* non differt, libra vero auri ſub *Juſtiniano* LXXII aureos comprehendit, de quo plus egit poſt *Budæum* & *Hottomannum*, *Gronovius*. Exile ſane pretium, ferreo ſeculo *Juſtiniani* non aureo *Auguſti* dignum, ceterum evincens, etiam tunc inter medicos adhuc ſervos fuiſſe.

k) *Sueton. in vit. Cæſ. c.* 42. *p. m.* 81.

l) *Ib. c.* 4.

m) *Orat. Phil. VIII.* 11. *Op. Vol. II. p.* 1455.

n) Fuerunt ſervi rhetores, grammatici, poetæ, pædagogi, philoſophi, ut

feſſis, & in certa collegia deſcriptis, quibus prohibere integrum non fuit, ne quis nobiliorum domi aleret ſervos eadem præſtantes. Mixta fuit hæc ſervorum & liberorum conditio, ut utrinque eadem agerentur, neque in urbe ſolum, ſed & rure. Quid *Romanis* magis familiare erat, quam agros ſervis colendos tradere? At ſuadet VARRO liberos hic habere mercenarios, cum in alio opere ſub idem tempus ſervi occupari utilius poſſint. In villis, ait, præſtare vicarios habere medicos, fullones, fabros, quam ſervos alere, a quibus idem exſpectes. *o*) Patet ſimul, nec per agros defuiſſe medicos, nec id mirum videri poſſe, in illo temporum luxu cum morbis creviſſe medicos. Vidimus ad *Archagathi* ævum juſtam ſuſpicionem non eſſe de ſervis medicis, qui ſero a *Græcis* ad *Romanos* pervenerunt, quamvis valere illud *Senecæ* de ſtatu illo priſcæ medicinæ poſſit, paucarum herbarum ſcientiam fuiſſe, quibus ſiſteretur fluens ſanguis & vulnera coirent paulatim. *p*) Nec multo juſtior ſuſpicio eſt de intervallo, quod *Archagatum* inter & Cæſares ſiſtit medicos, *q*) quod tamen non minus quam antecedens & ſubſequens ævum perpetuæ ſervitutis poſt *N. Robortellum* aliosque *C. Midleton* *r*) arguit, qui contra

Terentius, Epictetus. Tempore Perſii ex libertinis judices eligebantur docente *Iſ. Caſaubono ad Satyr. V. v.* 79.

o) *De re ruſtic. L. I. c.* 16. *p. m.* 172, *& c.* 17. conf. *I. H. Schultzii comp. H. M. L. II. c. XI.* § 516. *p.* 260.

p) *Ep.* 95. *Op. T. II. p.* 448. 449. Paulo poſt. p. 461. neſciebant, inquit, multa antiqui medici, non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cum eſſent periculorum pauciſſima. Nunc vero quam longe proceſſerunt valetudinis mala.

q) In illo intervallo plus medicorum mentio in auctoribus occurrit. Cum *Archagatho* jam *Plautus* vixit & paulo poſt *Terentius*, qui paſſim medicorum meminerunt, in quibus certe ſervitutis nota non eſt. Quæſtus cauſſa indies plures ex *Græcia* veniebant, infinitis autem eo tempore *Græcis* jus civitatis datum eſſe ſub acceſſu, *Cicero* pro *Archia* notat. Probat lex *Aquilia* Cæſaribus antiquior nec niſi civibus ſcripta actionem in medicos licuiſſe imprudentiæ & errorum in medendo reos *inſtit. IV. tit.* 3. quod certe notat, ſervos non fuiſſe.

r) *In diſſ. de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione con-*

contra *Iſ. Caſaubonum*, quem primum ait de ſervili conditione Romanorum medicorum dubitaſſe, & *Jac. Sponium*, qui ſervitutem illam vanum *Robortelli* commentum vocat, & *Rich. Mead*, qui nihil medicis ſervile & humile adſcribi permittit, *s*) diſputans ſopitos crabrones novo auſu irritavit. Is paſſim ambigua auctorum verba in ſiniſtrum ſenſum ſæpe detorſit. *Senecam* putat ad humillimos mortalium medicos retuliſſe, *t*) cum hoc unum dixerit, divitias humillimis aliquando medicorum obtigiſſe. An medicorum honori derogat, viliſſimis etiam fortunam faviſſe in colligendis opibus? Cur non potius alia, quibus ille medicinam & medicos ornat, elogia vir bonus attendit? Medicinæ, inquit *Senecæ*, apud ægros uſus apud ſanos etiam honos eſt. *u*) Si honos artis in artifices redundat, quis hos mortalium humillimos adpellabit? Luculentius *Seneca* omnium, inquit, apud nos medicorum & præceptorum magna caritas, magna reverentia eſt, & ut pluris quædam ſunt quam emuntur, rem ait a medico emi inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam a præceptoribus ſtudia liberalia & animi cultum. *x*) Paulo poſt ſic pergit: plus debeo medico & præceptori, nec adverſus eos mercede defungor, quia ex medico & præceptore in amicos tranſeunt, & nos non arte ſed benigna & familiari voluntate obligant. *y*) Quis hæc verba hono-

tra Jac. Sponium & Rich. Mead. Cantabr. 1726. it. *defenſione ejus contra anonymos.*

s) *In orat. anniu. Harvei.* ubi *p.* 14. ſimul cum ingenuis multis & doctis viris non paucos ſcientia & fortunæ bonis inferiores illis temporibus Romam veniſſe putat, qui etſi non medicamentis, ſed manu curarent, medici tamen adpellabantur; hos in divitum et magnatum clientelam ſe contuliſſe & ſervos egiſſe, donec civitatem conſequerentur, inde libertos nomen familiæ alicujus *Romanæ* adſumſiſſe, nec raro ſi ingenium litteris excoluiſſent, internis morbis mederi auſos in cenſum clinicorum veniſſe.

t) *l. c. p.* 27.

u) *De clement. L. I. c.* 2. *Vol. I. p. m.* 429.

x) *De benefic. L. VI. c.* 15. *Vol. I. p.* 796.

y) *ib. p.* 799. ubi pulchre imaginem officioſi medici depingit, qui inter

honoris plena cum illis contumeliæ plenis in uno ore conciliet? nec hæc poſtrema in ore potius interpretis corrupta exiſtimet? Nec multum movet cenſorem nomen amicorum, quod cum ſummis ævi viris medicos ſæpe conjunxit, & merito ab iis ſervilem maculam abſtergit. *Julii Cæſaris* a prædonibus capti comitem *Plutarchus* amicum, *Suetonius* medicum adpellat, *Robortellus* ex ſola opinione, amicum dici non poſſe, qui medicus fuerit, contra omnem codicum fidem in *Suetonio* etiam vocem amici ſubſtituit, merito vapulans ab *Iſ. Caſaubono*, qui falſum eſſe ait omnes Romæ medicinam profitentes ſervos fuiſſe, illud vero falſiſſimum, medicos non magnatum *Romæ* amicos ſæpe habitos dictosque eſſe, quod quo jure omnino fiat, pulchre vidimus *Senecam* expoſuiſſe. Non ſecus ſe res habet cum *Artorio Auguſti* medico, quem *Velleius*, *Florus*, *Valerius Maximus* et alii medicum ejus, *Plutarchus* & *Appianus* amicum vocant, & ejus ſomnio monitum *Auguſtum* in prælio *Philippenſi* ex tabernaculo exceſſiſſe memorant, oppreſſum alioqui, quæ imminebat, hoſtili irruptione & captis a *Bruto* caſtris. *a*) Ille vero *Artorius b*) eſt, cujus magnificum monumentum *Romæ* repertum Abbas *Garofalus* poſt *Car. Patinum* illuſtravit, iconem *Dan. Clericus* dedit. Et quis non *Charicli* habitus honos eſt, quem *Tacitus* medicum arte inſignem et

ſollicitos adſidet, ad ſuſpecta tempora occurrit, & cui nullum miniſterium oneri, nullum faſtidio eſt.

z) *Sueton in Cæſ. c.* 4. *p. m.* 14. *Cæſarem* apud prædones cum uno medico & cubiculariis duobus manſiſſe ſcribit. Primus *Robortellus* pro medico amicum hic ſubſtituit, ita enim comitem illum Cæſaris *Plutarchus* vocat in *vita Cæſ. Op. T. I. p.* 708. *A.* At *Iſ. Caſaubonus* ad l. c. auctori illi mutatæ temere lectionis ineptias objicit & vanitatem.

a) *Plutarchus in Brut. Op. Vol. I. p.* 1003. ſcribit *Cæſarem* ipſum in commentariis ſuis prodidiſſe, amicum ejus *M. Artorium* ſomnium, quo juſſus ille caſtris excedere, habuiſſe. *Valer. Maxim. L. I. c.* 7. *p. m.* 74. *Artorium* medicum vocat.

b) v. *Car. Patini comment. in Cenotaphium huic Artorio a Smyrnenſibus poſitum p.* 440. & *Abbatem Garofalum in P. I. diſſ. miſcell.* denique iconem in *Dan. Clerici H. M. P. II. L. III. c.* 4.

et *Tiberii* familiarem vocat? Is a cœna imperatoris velut ad propria negotia digrediens et per ſpeciem officii manum *Tiberii* amplexus pulſumque venarum, quo labi ſpiritum didicit nec ultra biduum duraturum, attingens non quidem fefellit callidum ſenem, hic vero, incertum an offenſus tantoque magis iram premens inſtaurari epulas juſſit, & ultra ſolitum diſcubuit, quaſi honori abeuntis amici tribueret. *c*) Quis in ſervum, etiam dum ira animi æſtuat, tantum prodigat lenocinii? Neque id facile ignoſcendum eſt *C. Middletono*, quod artem, immunitatibus licet & opibus auctam ac privilegiis munitam, inter liberales locum habuiſſe neget. *d*) Dum in ſervorum manu fuit, ſub exili cultu tam deformis, poterat nonnihil dubitare, de repurgata illa & dignioribus manibus cum favore & beneficiis principum vindicata inique dubitat. Si priſcis, ut ipſe agnoſcit, ars proprie liberalis dicta eſt, quæ non victus & lucri tantum cauſſa, ſed & animi erudiendi & oblectandi ſcopo maxime colitur, hoc ſane fructu, qui nos in omni laborum tædio conſolatur, adeo non caret medicina, ut Plutarcho judice nulli liberalium nitore copia & jucunditate cedat. *e*) Nec aliter ſentit Seneca, ubi artes pleraſque, imo ex omnibus liberaliſſimas, ut medicinam, decreta ſua non ſolum præcepta habere judicat. *f*) Cicero de artificiis liberalibus & ſordidis diſquirens, ad hæc opificia refert & artes voluptatum miniſtras, ad honeſtas vero, quibus prudentia major ineſt & non mediocris utilitas, ut medicinam & architecturam. *g*) Arctior eſt artium, quæ liberales vulgo & propedeuticæ vocantur, numerus, quam ut artes ſtatim illiberales dicas, quæ eo non comprehen-

c) *Tacit. Annal. L. VI. c.* 50. *p.m.* 385. confer. *Sueton in Tiber. c.* 72. *p.m.* 507. *Chariclem* e convivio egredientem remanere & recumbere hortatus eſt, cœnamque protraxit.

d) *l. c. p.* 9.

e) *De tuend. ſanit. Op. T. II. p.* 122. *D.* τῶν ἐλευθεριῶν τεχνῶν ἰατρικὴ τὸ μὲν γλαφυρὸν καὶ περιττὸν καὶ ἐπιτερπὲς ὐδεμιᾶς ἐνδεέςερον ἔχει.

f) *Ep.* 95. *Op. T. II. p.* 122. *E.*

prehenduntur. Bene Isidorus mota quæſtione; cur in vulgari numero artium liberalium medicina non ſit, quia, inquit, omnes ſub ſe comprehendit. *h)* Quid ad hæc C. Middleton? provocat ad juriſconſultos, qui a ſtudiis liberalibus medicinam diſtinguunt. Nam decuriones ſalaria decreviſſe leguntur vel ob liberalem artem vel medicinam. Sic ab oneribus variis excipiuntur liberalium ſtudiorum antiſtites, & qui medendi cura funguntur. *i)* Diſcrimen video nominis non meriti. Quis credat gradu dignitatis differre, qui gradu beneficiorum conjunguntur? Agnoſcit, neceſſariam medicinam eſſe, & cum liberalibus ideo artibus eadem privilegia & immunitates conſecutam. Sed quid non in ipſa illa neceſſitate veri honoris ac decoris? Sit philoſophia, inquit Quintilianus, *k)* res ſumma, ad paucos pertinet, ſit eloquentia res admirabilis, non pluribus prodeſt quam nocet, ſola medicina eſt, qua opus omnibus, nulla tam neceſſaria omni generi humano, quam medicina. Julianus *l)* dixit artem hominibus ſalutiferam, quam merito Philoſophi prædicaverint cœlo delapſam. Adiiciam inter hæc teſtimonia, quæ ſub primis Cæſarum ſeculis medicis eximie favent, verba Luciani: medendi ars quanto eſt honoratior vitæque conducibilia, tanto convenit eſſe liberiores, qui eam

g) *De offic. L. I. c.* 42. *Vol. V. p.* 854. Opponit *C. Middleton*, humiles etiam artes, quibus propter vitæ ſordem conveniunt, adferre laudem & probroſis tanquam honeſtas opponi *in defenſ. contr. anonym. p.* 32. Id, quidquid fuci eſt, non cadit in *Ciceronem*, qui nullas res propius accedere ad Deum dixit, quam ſalutem dando hominibus.

h) *Origin. L. V. c.* 13. artes liberales ait ſingulares continere cauſſas, medicinam univerſas, congnitas illas medico eſſe debere.

i) Alterum *L. IV. de decret. ab ord. faciend.* Alterum *L. I. de cod. & decret. decur.* Ipſe vero ICtus cauſſas communium privilegiorum notat, ut facilius nempe illis ſtudiis inſtruant alios. *L. III. cod. Theodoſ. de med. & prof.*

k) *Declamat.* 268. *Ed. Burm. p.* 506. Contendunt orator, medicus, philoſophus, quis magis proſit civitati?

l) *v. Gothofr. ad L. IV. cod. Theod. de. med. & prof. p.* 30.

eam exercent, & juſtum eſt, ut ars in exercendi facultate aliquod privilegium habeat, nec cogatur, nec imperio ſubjiciatur res ſacra, Deorum doctrina, ſapientum hominum ſtudium. *m*) Neque vero inficior illam laudem ad medicos *Græcos Romæ* degentes maxime pertinuiſſe, idque jam eo tempore, quo totam medicinam *Romæ* ſervilem eſſe credebatur. Ab obitu *Catonis*, qui medicis non favit, ad ortum *Cæſaris*, qui iis jus civitatis adſeruit, quadraginta circiter annorum intervallum eſt, quo *Græcis* facilis in urbem acceſſus fuit, nec lucri & honoris parum. Unum hic nominabo ASCLEPIADEM *Bythinium*, virum ingenuum & ex rhetore medicum, qui gratiam, qua medicina per *Archagathi* duriorem methodum excidit, ſua mitiori, quæ cito tuto & jucunde mederi docuit, facile recuperavit, ut in tanta fama non eſſet, cur Regi *Mithridati* per legatos & inter ſplendida munera ad ſe invitanti aures præberet. *n*) *Scribonius Largus o*) maximum medicinæ auctorem, *Apuleius p*) inter ceteros medicos, ſi *Hippocratem* excipis, principem dixit, ipſe *Cicero* eo amico & medico uſum ſe eſſe ſcribit. *q*)

§. VIII.

m) *In abdic. Op. T. I. p. m.* 724.

n) Vinum indulſit etiam meracius, grata balnea, ambulationes, frictiones, geſtationes & jactatum in ſuſpenſis lectulis pro ſomno alliciendo. damnans contra emetica & purgantia, tanquam ſtomacho inimica. *Plinius* ait faventibus cunctis univerſum prope genus humanum in ſe circumegiſſe, non alio modo, quam ſi cœlo emiſſus adveniſſet. *H. N. L.* 26. *c.* 3. *p. m.* 542.

o) *In epiſt. ad C. Jul. Calliſtum.*

p) *Florid. L. IV. p.* 362.

q) *L. I. orat. c.* 14. *Op. Vol. I. p.* 359. Idem de *Aſclapone* medico, quem *Servio* commendat, *utor eo*, inquit *medico valde familiariter, ejusque cum conſuetudo mihi jucunda fuit, cum ars etiam, quam ſum expertus in valetudine meorum, in qua mihi tum ipſa ſcientia tum etiam fidelitate benevolentiaque ſatisfecit. Epiſt. famil. XX. L. XIII. Vol. III. p.* 382. Fuit quoque *Craterus* Ciceronis ævo tam celebris medicus, ut nomen ejus pro magno medico ſumeretur, velut apud *Horat. L. IV. ſect.* 3. *Perſ. Sat. III.* 65.

§. VIII.

Romanos omnino ſero in illa *Græcorum*, qui hunc campum occuparunt, affluentia res medicas attigiſſe, & vix ante Cæſarum ortum, facile largior. Nam qui ipſum huc referunt *Virgilium*, r) quem *Tib. Cl. Donatus* ſcribit præter litteras græcas & latinas omni cura omnique ſtudio indulſiſſe medicinæ & mathematicæ, imo *Ciceronem*, quem *C. Barthius* s) haud dubitat inter medicos numerare, vix attendunt, de viris nos loqui in exercitio artis verſatis, non aliquo, ut variæ eruditionis, ita medicæ, colore tinctis. Solam hanc artium Græcarum, teſtatur de medicina *Plinius*, nondum exercere *Romanam* gravitatem. t) Addit in tanto fructu: ut hanc gravitatem intelligas meram eſſe nec ſine probro cunctationem, quæ veluti cultu ſuo reliquas artes diu ſatis, ita hanc in tanto fructu etiam diutius deſtituit. Subjicit tamen, ne id ſine omni limite dixiſſe videatur, pauciſſimos *Quiritium* eam attigiſſe, quin & hos ſtatim ad *Græcos* transfugas fuiſſe. Pauciſſimi ſine dubio erant cum *Græcis* comparati, his vero ex veteri cultu & ipſa lingua, in qua res maximi in medicina momenti ſcriptæ erant, major ſine dubio doctrinæ auctoritas fuit, ut *Latinos* homines non modo præcepta artis a *Græcis* petere oporteret, ſed et linguam *Græcorum* magis ſibi familiarem reddere, quin & in ea ſcribere, quod transfugarum nomen peperit. Recenſet autem ipſe

r) *In vita P. Virgilii Maronis p. 2.* Medica quædam ex eo excerpſit *Tiraquellus de nobil. c. 31. §. 214. Thom. Batholin. de poetis med.*

s) *Adverſ. L. 38. c. 3.* Notitiam aliquam anatomes colligunt ex *L. II. c. 15. de Nat. Deor.* medendi rationem ex *Ep. IV. ad famil. L. XVI. I. S. Bergerus binas diſſ. de Cicerone medico ſcripſit.*

t) *Hiſt. Nat. L. 29. c. 1. p. m. 496.* Hæc verba *C. Middleton. l. c. p. 8.* pro more exaggerat: adeo *Romæ* ars cum dedecore iacuit, ut ſolam eam *Græcarum* artium gravitate ſua indignam judicaret. Rurſus *p. 22.* exclamat: infimus quisque gravitate ſua indignam judicavit. Quam indignum docto viro eſt, etiam quod ſanum ſenſum habet, temere exulcerare!

ipſe *Plinius* celeberrimos medicos, *Caſſios*, *Calpetanos*, *Arruntios*, *Albutios*, *Rubrios*, *u*) ex inſignibus familiis, ut *Marſ. Cagnatus* probare cum aliis nititur, *x*) ortos & Principum valetudini, quod ibidem *Plinius* docet, inter magnos reditus præfectos; ducena enim & quinquagena ſeſtertia annuam eorum mercedem fuiſſe, *y*) *Stertinium* vero imputaſſe principibus, hoc eſt, haberi beneficii loco voluiſſe, quod quingenis annuis contentus eſſet, cui in urbe fuiſſent numeratis domibus ſexcena. *z*) Merces profecto non ſervilis ſed artis medica liberali pretio æſtimans! Fuerunt alii magnæ famæ medici, ſtatim ſub ortu Cæſarum, ut *Aemilius Macer*, quem ad *Aemiliam* gentem *Heinſius a*) refert, magnus *Virgilii* & *Naſonis* amicus, *b*) poeta & medicus. Fuerunt

u) De quibus paſſim varia. *Caſſium*, quem vidit ipſe, ſeculi ſui ingeniosiſſimum medicum *Celſus* adpellat *L. I. præf.* De *Arruntio* medico *Domitiani*, forte illius, quem *Plinius* habet, filio vel nepote ſcribit *Reineſius in Ep.* 46 *ad Rupertum p.* 396. lapidem ejus ſiſtit *Cl. XI. Inſcr.* 3. In *Rubriorum* nummis anguem conſpicuum, Deæ ſalutis ſignum, pro monumento familiæ, laudem medicinæ ſibi vindicantis, adſumit *Rich. Mead in Or. anniu. Harv. p.* 16. & miratur, *Patinum* ac *Vaillant* inter cauſſas longe petitas, quas pro explicandis nummis illis attulerunt, illam omiſiſſe arti ſuæ tam honorificam. Rodit & hæc *Middleton* et mavult *l. c. p.* 72. viros illos ſervos familiarum fuiſſe, a quibus nomen geſſerunt.

x) *L. II. var. obſ. c.* 15.

y) *Guil. Budæus de aſſe p.* 35. illa ducena & quinquagena ſeſtertia, ſeu quod idem eſt, 250000 ſeſtertiûm ad 6250 aureos reducit. *Harduino* ſunt 25000 libræ monetæ gallicæ ad l. c. *Plinii.*

z) Illa quingena *Harduino* ſunt 50000 illa ſexcena 60000 libræ. *Rich. Mead. l. c. p.* 15. priorem ſummam ſuperare ait ter mille et ſexcentas libras monetæ Anglicæ. Par fratri *Sterlinii* merces a *Claudio* Cæſare fuit. Cenſus quanquam exhauſti *Neapoli* operibus exornata hæredi reliquere trecenties centena millia ſeſtertiûm, id eſt, ex *Harduini* calculo 3000000 libræ. v. *Plin. l. c.*

a) Ad *Ovid. L. IV. ex Pont. Ep.* 16. *v.* 6.

b) Amicitiam cum *Virgilio Servius* probat ex *Eclog. V. t.* ubi *Menalcas Virgilium*, *Mopſus Aemil. Macrum* notat. Amicitia cum *Naſon*

runt *Julius Baſſus*, qui ſub *Auguſto* vixit, & amicus ejus *Sextus Niger*, ex cujus ſcriptis multa hauſit *Dioſcorides. c*) Et quomodo illum Romanorum *Hippocratem* medicorum *Ciceronem*, *Aur. Cornel. Celſum* omittam, quem *Columella*, *d*) inter celeberrimos ætatis ſuæ auctores refert, natum, ut *Clericus e*) ſuſpicatur, ſub *Auguſto*, ſcribentem ſub *Tiberio*. Addo *Scribonium Largum*, qui ſub *Claudio* floruit, & *Meſſalinæ* ut viventis adhuc meminit, *f*) diſcipulum *Vectii Valentis* medici, ipſo *Meſſalinæ* adulterio nobilitati. Occurrunt, ſi longius progredimur, *Qu. Serenus Sammonicus*, quem ſub *Severo* florentem *Macrobius* doctum ſeculo ſuo virum vocat, *g*) & *Jul. Auſonius Valentiniani* archiater, cujus quoque filius *Decius Auſonius* poeta a *Langio* & *Tiraquello* inter medicos refertur. *h*) Nec copia ſolum medicorum Romanorum eſt, quod ab aliis plenius recenſitos dubitare vix poſſis ingenuos fuiſſe, ſed & artem principes *Romanorum* amplexi ſunt.

Ne

patet ex hujus *L. IV. triſt. El.* X. *v.* 44. ubi eum vocat ævo grandiorem; floruit enim ineunte principatu *Auguſti*. Ceterum alius eſt, qui ejus nomine hodie extat, liber, illatis tamen priſci Macri fragmentis.

c) Id notat *Salmaſius in prolegom. homon. Hyl. iatric. p.* 9.

d) v. *de re ruſtic. L. I. c.* 1. *& L. III. c.* 17.

e) *Hiſt. med. P. II. L.* 4. *S.* 2. *c.* 4.

f) Patet ex *Comp.* 60. de *Valente* præceptore ex *Comp.* 94. Hujus vero cum *Meſſalina* adulterium ex *Tacit. annal. L. XI. c.* 31. *Plin. H. N. L.* 29. *c.* 1. *p. m.* 494.

g) *Saturn. L. II. C.* 12. *p. m.* 364. Fuit hoc nomine pater & filius. Dubites, utrius poema ſit, quod hodie exſtat ſub titulo, *de medicina præcepta ſaluberrima.* Fere omnes tribuunt auctores patri, *Morgagni* filio in *epiſt. in Ser. Sammonic. ad Vulp. p.* 109.

h) Pater dicitur præfectus *Illyrici* & *Valentiniani* ſenioris archiater apud *Gerh. Jo. Voſſium de philoſ. c.* 12. §. 31. Multum ſe profuiſſe ex illius libris fatetur *Marcellus in præf. L. de medic.* Filius etiam, cujus carmina exſtant, ob artem *Paeonius* dictus eſt, de quo vide *Jo. Langii L. I. med. ep.* 70. & *Tiraquell. de Nobil. c.* 31. §. 248.

Ne de *Claudio* dicam, qui argumentum publico edicto dignum cenſuit, docere omnes, ad viperæ morſum nihil æque facere quam taxi arboris ſuccum, *i*) alii non defuerunt, qui acutius quid commodi culta ars promitteret, inſpexerunt. *Adrianum* legimus *Græculum* dictum eſſe, quod diſciplinam *Athenienſium*, ut illam medendi, coluerit, & ſæpe bis vel ter de die ad ægros acceſſerit. *k*) Certe ſub primo Imperatorum ortu aſſeri magis & in tutum collocari dignitas medicorum cœpit. Poſt *Jul. Cæſarem*, quem omnibus medicis jus civitatis tribuiſſe vidimus, *Auguſtus Antonio Muſæ*, cujus opera ex ancipiti morbo convaluit, pecuniæ multum, jus aurei annuli & immunitatem dedit, hanc quoque omnibus eam artem in poſterum exercentibus. *l*) Confirmata hæc immunitas eſt, quæ a tutela liberavit, a recipiendis hoſpitibus, a militia, a vectigalibus tributisque pendendis, & extenſa ad filios conjugesque edictis eſt *Veſpaſiani*, *Adriani*, *Antonini* aliorumque. *Alexander Severus* annonas & ſalaria ex publico medicis conceſſit, *m*) locupletius omnia *Conſtantinus*, *Julianus*, *Honorius*, *Theodoſius* confirmarunt. *n*) Inter tot beneficia non poterant non oblitterari magis notæ ſervitutis. Docent inſcriptiones, prima civitatis munera

i) *Sueton. in vit. Claud. ad finem c.* 16. Res fere ridicula, cum taxus ſucci tam inops ſit. *Plinius, H. N. L. XVI. c.* 10. taxum deſcribit virentem minus gracilem triſtem diram ac nullo ſucco, baccis vero lethalem, in Hiſpania præcipue.

k) v. *Aurel. Victoris Epitom. c.* 14. *p. m.* 82. confer. *Spartian. in vit. Adrian. c.* 9. *p. m.* 41.

l) *Dion. Caſſ. H. R. L.* 53. *Ed. Reimar. p.* 725. His addit *Suetonius* ſtatuam collato aere juxta ſignum *Aeſculapii* a populo poſitam, *in vit. Aug. c.* 59. De jure annuli aurei medicis dato, v. *B. Briſſon. L. II. antiq. iur. c.* 3.

m) *Ael. Lamprid. in Alex. Sever. c.* 42. Medicus ſub eo unus Palatinus ſalarium accepit, ceteri omnes annonas binas aut ternas.

n) Sic *Conſtantinus in L. III. Cod. Theod. de med. et prof. Valentinianus in L. X.* 16. conf. *L. VI. cod. Juſt. de prof. & med.* Fuſiſſime de his agunt, *Dan. Vinck in amœnit. philol. med, c.* 6. *p.* 272. *ſq.* & in

nera multos medicos geſſiſſe, *o)* docet nomen ſtipendiorum, cum ſervorum peculium eſſet, nomen conjugum, cum ſervorum contubernales dicerentur, jus patronatus, & quod ipſi medici ſervos et libertos haberent, hæc non niſi ingenuorum eſſe. Diſpenſari a tutela, res non eſt, de qua quæſtio in ſervum cadit. Et quantum archiatrorum dignitas eminuit! At præiuerunt multi, hunc campum longe plenius emenſi, ut parvum nobis ſpicilegium ſufficiat, ex quo conſtare poſſit, non iniquam in medicos *Romam* fuiſſe, imo nec in ipſos ſervos, quos fere ceteris omnibus cariores habuit.

D I S-

primis *Henr. Lampe in diſſ. de honore, privil. & juribus ſingul. medic. C.* 11. §. 27. *ad* 35. *p.* 99. *ſqq.* it. Ill. *Schlägerus de medicorum apud veteres conditione. Helmſt.* 1740.

o) *v. Sert. Urſat. monum. Patau. p.* 126. de *Sextumviro Auguſtali.* conf. *Gruter Inſcr. p.* 480. *n.* 11. Senatorem medicum tempore *Ciceronis* v. apud *Cleric. in H. M. P. II. L. III. c.* 12. *Romæ* collegium 60 virorum *Aeſculapii* & *Hygeæ* publicis legibus ſancitum ex antiquo marmore *Sponius* illuſtrat. *Miſcell. erudit. ant. p.* 144.

DISSERTATIO
DE
PLEURITIDE VERA SINGULARI CASU ILLUSTRATA.

PUBLICE PROPOSITA

GOTTINGÆ, D. I. MART. 1768.

RESP.

ADRIANO TATTARINOFF,

MOSCUENSI.

§. I.

Die quinto menſis Februarii A. R. S. CIƆIƆCCLXVI vehementer laborare cœpit valetudo Principis *Sergii Joannis filii Kolzowii Maſſalsky*, qui ſiccioris corporis habitus, temperamenti cholerici, animi ad iram proclivis, annum agens vigeſimum, poſtquam ex nimio corporis in ſaltando exercitio excalefactus multum frigidiuſculæ cereviſiæ urgente ſiti biberat, ſubitam pectoris ſenſit oppreſſionem, protinus ubi domum redux in lectum ſe receperat, horrore & frigore correptus, cui febris acuta inflammatoria ſucceſſit cum dolore capitis, ſumma anxietate, intenſa ſiti, ſicca tuſſi & gravi dolore punctorio in latere ſiniſtro pectoris.

pectoris. Ad illum igitur tota nocte miſere excruciatum mane accitus reperi rubentem facie ſcintillantibus oculis, cum calore ad tactum ſummo, pulſu duro frequenti & ſubinde inæquali, reſpiratione difficili & cum clamore laborioſa, lingua ſicca, dolore acute punctorio ſiniſtri lateris, ſub inſpiratione auctiori, ſub exſpiratione mitiori, tuſſi denique ſputum jam ſubcruentum rejiciente.

§. II.

Ex dictis non obſcure colligi poteſt, illuſtriſſimum Principem vera pleuritide correptum eſſe, quem morbum latini morborum laterum vocant, *a*) cum pleura veteribus latus ſignificet. Nec poterant veteres alium tutius locum deſignare, quam hunc, in quo acris ille dolor tam luculenter ſæviret, quamvis in parva adhuc anatomes luce nondum conſtaret, quis proprie in latere locus laboraret? Tranſiit nomen pleuræ etiam ad coſtas in latere ſitas, hinc *Pollux* πλευρὰς vocat coſtas, *b*) denique etiam, at longe ſerius, ad membranam tranſiit ſuccingentem coſtas, quæ olim ὑπεζωκὼς appellata fuit. Hanc enim, quæ omnem ambitum thoracis inveſtit, pericardium tegit, ipſumque ſuperne diaphragma, quin & ſua duplicatura mediaſtinum conſtituit, *Galenus c*) agnovit pro ſede pleuritidis, & cum eo tantum non omnes, qui per tot ſecula doctrinam ejus ſecuti ſunt. Nec tamen excluſit ille muſculos pleu-

a) ita *Celſus* pleuritidem dolorem lateris vocat *de. Medic. L, IV. c. 6.* & *Cæl. Aurelianus* diſerte ait, pleuritidem a parte affecta nomen habere, a *latere* nimirum, Græcis enim πλευρὰν latus appellari *ac. morb. L. II. c.* 13. Adde *Priſcianum,* qui hic dolorem circa interiora lateris arguit *L. II. ſ. Logic. c.* 3. Ita diſcimus ex *Erotiano* & *Ruſo,* antiquiſſimo & Hippocratico ævo πλευρὰν ſ. πλευρὸν latus notaſſe.

b) *Onomaſtic. L. II. C.* 4. *p. m.* 234. ubi coſtas octo numerans vocat πλευρὰς ὠκτὸ.

c) *de loc. affect. C.* 3. Quam quoque ſententiam *Diocli, Eraſiſtrato, Aſclepiadi Cæl. Aurelianus* tribuit *de morb. ac. L. II. C. XVI. p. m.* 115.

pleuræ coſtisque continuos, nec alii pulmonem excludunt, quem luculentum illud levamen per ſputa, quæ exire niſi ex pulmone non poſſunt, arguere & in ſocietatem culpæ trahere videtur. *d*) Adeo certe congeneres morbi ſunt pleuritis & peripneumonia, ut cum *Vinc. Baronio Jo. Riolanus*, *e*) imo & celebris de hoc morbo ſcriptor, *D. W. Trillerus f*) ſub communi pleuropneumoniæ nomine complecti utrumque morbum malint. Certe negat *Jo. Freind* ſputa in pleuriticis ſine acceſſu peripneumoniæ, *g*) imo in defunctis pleuriticis gravius plerumque vitium in pulmone quam pleura apparuit, ut etiam *Petrus Servius* in trecentis pleuriticis Romæ diſſectis intacta vel leviter vitiata pleura ſemper corruptum pulmonem viderit. *h*) Quid quod jam olim *Praxagoras*, *Philotomus*, *Herophilus* et alii ſedem pleuritidis in pulmone ſtabiliverint. *i*) Videtur hic *Henrici Regii k*) judicium mereri attentionem, qui ſemper ait in pleuritide externam pulmonis tunicam ſimul laborare, idque ex omnium pleuriticorum ſectionibus

d) nam locum inflammatum pleuræ exſudare in cavum thoracis, & a pulmone tanquam ſpongia imbibi & tuſſi eliminari, tam promtum intellectu non eſt, licet cum *Walæo Th. Bartholinus* externam pulmonis membranam poroſam valde & ad reſorbendum idoneam deſcribat.

e) *enchirid. anat. L.* 3. *C.* 4. imo ante *Baronium* ſibi inventum hoc nomen tribuit.

f) *de pleuritide C. I.* §. 8. *p.* 12. accuratius ait peripneumopleuritidem vel peripneumoniam ſuo arbitratu nominari morbum.

g) *de febr. Comm. V.*

h) *v. Hier. Welſch. Dec. I. Cur. II.* Simile in multis cadaveribus pleuriticorum vidit *Jo. Zechius conſ. med. C.* 26. *app.* Neque cum eo dubitant *Fel. Platerus* & *Jo. Jac. Wepferus* id ſtatuere, alterutrum pulmonis latus ſemper in pleuritide laborare. Quin quod *G. Baglivius* per ipſam pulmonis inflammationem definiat pleuritidem, *prax. med. L. I. C.* 10.

i) contra quos, inprimis *Herophilum*, pugnat *Cæl. Aurelianus L. II. C.* 16. ipſi enim membrana ὑπεζωκώς, quippe nervoſa & lateribus infixa tanti doloris capax eſt, & profecto, inquit, inſenſibilis omnis pulmo.

k) *L. II. inſtit. C.* 11.

bus patere. In quo tamen judicio non acquieſcit *Isbr. Diemerbroek, l)* vir in anatome & crebra inprimis pleuriticorum ſectione verſatiſſimus & *Henr. Regio* in his longe ſuperior, qui in pleuriticis pleuram teſtatur, ſi libera a nexu cum pulmone fuit, ſolam affectam ſe reperiſſe, at pleuram ſimul eum pulmone laboraſſe, ſi nexus invicem interceſſit. Concludit inde cum aliis, ſine ſputis pleuriticos eſſe, quorum pulmoni pleura non adhæret. Ipſe vero non minus quam *Jac. Riverius m) Jo. Veslingius n) I. B. Verna o)* et alii exempla habent pleuriticorum, in quibus corrupta pleura integro pulmone reperta eſt. In ea itaque ſententia merito verſor, velut in alia inflammatione, quæ non unam ſemper & ſimplicem partem ſed & vicinas ſub vario ſitu nexuque, licet haud mutato nomine, ſimul corripit, ſic pleuritidem ſub uno eodemque affectarum partium limite non ſemper concipi debere, *p)* adeoque pleuram, ut appellari hodie ſolet, nunc in hoc nunc illo latere, nunc in mediaſtino & ipſo ſepto protenſam non modo inflammari poſſe, ſed & muſculos intercoſtales & pinguedinem, imo eandem vim ad membranas humeri & juguli interdum extendi, maxime vero judice *Andr. Spigelio q)* vaſa intercoſtalia occupare, & in progreſſu plerumque ſedem in pulmone figere, cum vel ſolus ad dolorem mitigandum repreſſus ſpiritus ſanguinem in pulmone figat & perineumoniam pariat.

§. III.

Minus implicat litibus, pede tamen liberiori ad cognitionem hujus morbi dicit grave ſymptomatum ſatellitium, quod omnium conſenſu

l) *anat. L. IV. C.* 13.

m) *Pract. L. VII. C.* 2.

n) *Obſ.* 36.

o) *de pleurit. P. I. C.* 3.

p) hinc reliquis omnino præferendam pleuritidis definitionem, quam *Soranus* apud *Aurelianum* dedit, vehementem nempe dolorem eſſe interiorum lateris (haud præciſe determinato loco cum febre acuta & tuſſi cenſet *Trillerus l. c. p.* 151. *n. q.*

q) *Anat. L. IX. C.* 3.

ſenſu pleuritidem comitatur. Dolor acris & punctorius laterum, cui febris peracuta & continua a diſtractis in illo loco partibus inflammatis comes eſt, cum pulſu duro & moleſta tuſſi dolorem exaſperante, ſub inſpiratu præſertim, ſiſtit facile illa ſymptomata, in quibus, modo ex uno fonte emanent, quod *Aretæus r)* merito requirit, vel primo obtutu pleuritidem agnoſcas. Neque vero ſufficit, obtutum illum in ſolo dolore laterum figere: quod ne fiat, vel ipſa auctoritas *Hippocratis* repugnat, qui inter hiemales morbos ſeorſim pleuritidem, ſeorſim dolores pectoris & laterum recenſet. *s*) Poſſunt enim interdum ſub quocunque validiori nixu diſtractorum illic muſculorum, velut in curſu lucta vel geſtatis magnis oneribus, dolores laterum naſci: poſſunt iidem inter inſultus hyſtericos, rheumaticos, arthriticos, qui tamen cito plerumque tranſeunt, & ex variis ſpaſmorum cauſis oriri; at neque tam acerbi illi dolores fixique ſunt, neque tam acuta febre & tam difficili reſpiratione ſtipati. In illuſtriſſimo igitur Principe noſtro verum dictorum ſymptomatum in pleuritide connubium luculenter animadverſum eſt. Admiſſo enim, de quo tanquam frequenti cauſa hujus mali paulo poſt dicturi ſumus, magno & ſubito frigore in corpus æſtuans nata eſt ſub ſenſu oppreſſi pectoris cum horrore & frigore acuta febris ſtipata gravi & punctorio dolore lateris ſiniſtri ac tuſſi. *t*) Apparuit vehementia febris ex pulſu duro frequenti & ſubinde inæquali, æſtu magno, ſiti ingenti, lingua ſicca, capitis dolore & ſcintillantibus oculis; vehementia vero inflammatarum ſub latere ſiniſtro par-

tium

r) *de cauſ. & ſign. morb. ac. L. I. C.* 10. *p.* 8. vult inter ſe conſpirare illa & ab una cauſa pendere, alioqui pleuritidem non eſſe, etſi omnia ſimul ingruant. Ita e. c. tuſſis poteſt etiam cum febre eſſe, velut in catarrhis, at ſignum pleuritidis non eſt niſi in reliquorum ſignorum concurſu.

s) *aph.* 23. S. *III.* fuſius notat, non omnem dolorem lateris nomen pleuritidis mereri *Trallianus L. VI. C.* 1. *Ægineta L. III. C.* 33. *Cæl. Aurelian. l. c. C. IV.* p. m. 117.

t) accedit dolori lateris febris ac tuſſis, inquit *Celſus*, quibus tribus ſuccincte omnia comprehendit, *de medic. L. IV. C.* 6. *p. m.* 209.

tium ex acutiſſimo dolore punctorio cum anxietate perdifficili & inter clamores laborioſa reſpiratione, ſub inſpiratu, quo plus diſtrahuntur affectæ partes, creſcente, denique tuſſi ſicca primum, deinde ſputum ſubcruentum rejiciente.

§. IV.

Concurrerunt in ægro & extra illum, quæ morbo dederunt anſam, & fomentum præbuerunt. Habita ratione ſexus ætatis & temperiei conſtare arbitror, obnoxios huic morbo præ feminis viris eſſe, et ex his inprimis, qui adultiores nec in tenera admodum ætate nec ſenili verſantur, *u*) denique qui ſtrictioris corporis habitus ſunt, quippe proniores in ſtaſes, qualis pleuritica, inflammatorias, præſertim, ſi ex cholerica temperie plus in febrilem motum ſtimuli accedit. Quæ velut ſingula in ægro noſtro convenerunt, ita & illud ſimul, eum jam ante annum pariter pleuritide correptum fuiſſe. Docuit autem frequens experientia, crebrius corripi pleuritide, qui ſemel eadem decubuerunt. *x*) Relinquit enim facile morbus prægreſſus aliquid in loco affecto, quod recidivæ favet, ut callum tranſeunti humori jam magis obſiſtentem, vel accretam ſub inflammatione pulmoni pleuram, quod remanens dyſpnæa & ſubinde dolor, ſæpe in vivis, & plus ana-

u) certe in feminis & pueris laxitas vaſorum & meabilium humorum copia minus inflammationi favet, minus etiam in ſenibus torpor motus, qui inſurgere in febre & inflammatione debet; nec his tamen nec illis urgente graviori cauſa pleuritis parcit. *Aretæus*, qui *l. c. C.* 10. *p.* 9. minus ab eo morbo corripi pueros, minus etiam ab eo periclitari ſcribit, idem tamen de ſenibus negat, aeque ac *Cæl. Aurelianus*, dum vehementiori pleuritide ſenes infeſtari aiunt. Ab altero diſſentire videtur *Hippocrates*, qui *aph.* 14. *S.* 7. ſenes minus febribus acutis corripi docet, contra alterum diſputat *Trillerus* de *pleurit. p.* 151. *N. r.* At facilis in eo conſenſus erit, laborare rarius ſenes, ſi vero laborant, gravius.

x) verba ſunt laudati *Trilleri l. c. p.* 6. §. 31. Ita *P. Foreſtus* fabri lignarii meminit ter intra quatuor menſes pleuritici *Obſ.* 32. *L.* 16. *p.* 50. Si fidus eſt *P. Borello*, fuit, qui 75 vicibus pleuriticus periit tandem hydrope. *Cent. IV. obſ.* 83. *p.* 341. citat & feminam crebra pleuritide conflictatam & illa tandem exſtinctam.

anatome in defunctis docuit. *y*) Ad tempus anni ſi reſpicimus & vitæ errores huic malo faventes, occurrit ex altera parte tempus hiemale, ex altera potus gelidus corpore excalefacto ubertim ingeſtus. Hiemem enim inter anni tempora maxime hujus morbi feracem *Aretæus z*) adpellat, ſecundo auctumnum, ver minus niſi interdum frigidum, æſtatem vero minime. Ad alterum quod pertinet, non vidi, inquit *Ger. L. B. van Swieten a*) ſæviores & citius lethales pleuritides quam ex potu gelido ab æſtuantibus affatim hauſto. Idem magis illuſtrat affinis caſus *Iſbr. Diemerbroeck, b*) quo hominem æſtate in fœno colligendo occupatum ſudantemque largo hauſtu frigidæ cereviſiæ in pleuritidem intra paucos dies lethalem incidiſſe refert. Habuit certe *I. M. Lanciſius, c*) cur inter ſubitæ mortis cauſſas uſum frigidi potus vel balnei in corpore excalefacto numeraret. Obſcurum enim eſſe nequit, corpora, quæ ſub labore & exercitio ſuo multum incaluerunt, in vaſa minora, iſto calore plus expanſa, ipſum ſanguinem admittere, qui ſub acceſſu magni frigoris in conſtrictis inde vaſis hæret magis & figitur. Sic craſſiori in anguſtias com-

pulſu

y) *Iſbr. Diemerbroeck Anat. L. II. C.* 13. frequentius & facilius pleuriticos fieri cenſet, in quibus ſigna ſunt pleuræ pulmoni adhæreſcentis. *Braſſavolus Alphonſum* Ducem *Ferrariæ*, quem ter pleuriticum ſanavit, ſemper deinde, quouſque vixit, in affecto loco ex minima occaſione dolorem ſenſiſſe ſcribit in *comm. ad Hipp. aph.* 33. *S.* 6.

z) *l. c. L. I. C.* 10. *p.* 9. De Sic ipſe *Hippocrates* non-modo pleuritidem inter hiemales morbos numerat *aph.* 23. *S.* 3. ſed & ex æſtate prægreſſa pluvioſa flante Auſtro morboſam hiemem præſagiens, his, qui bile abundant, maxime pleuritides inſtare & peripneumonias judicat *L. de aer. aqu. & loc. Op. Lind. Ed. V. I. p.* 344. *XXVIII.* conf. *III. de affection.* ubi cavendas eſſe in hieme febres monet, tranſituras facile in morbos acutos, ut pleuritidem ib. *V. II. p.* 168.

a) comment. in aphor. H. Bœrhavii T. III. p. 17. ad §. 881.

b) anat. L. II. C. 13. Juvenem quoque poſt exercitia corporis ex potu aquæ frigidæ pleuriticum habet *P. Foreſtus Obſ.* 28. *L.* 26. *p.* 42.

c) *de ſubit. mortib. Op. L. I. C.* 7. *p.* 18.

pulſo naſcuntur inflammationes, iis etiam plus metuendæ, quibus firmior alioqui valetudo fuit. Ex hac ratione conſtat, agricolas & meſſores, quibus dura ſunt illa, & nullus facile in tanto robore corporis a morbis chronicis metus, in ſummo diſcrimine verſari, dum ſub duro opere æſtuantes objecta fere omni veſte frigidam auram captant, imo & blandientem ſiti ſuæ frigidum potum avide copioſeque ingurgitant, gravi ſæpe pleuritide pereuntes. Intellectu difficile non eſt, partim frigidum aerem latera leviter tecta ſubire facile & vi ſua ſtringere, partim frigidum potum in tranſitu nunc œſophago, truncis arteriarum intercoſtalium vicino, nunc ventriculo, qui ſupra & infra ſe habet partes reſpirationi ſervientes, proximam illis locis, quæ in pleuritide inflamantur, ſtrictis vaſis denſatisque fluidis parere injuriam.

§. V.

Ex dictis pronum fuit in hoc caſu *pleuritidem veram* agnoſcere, quæ membranam interne coſtas ſuccingentem aut partem illam muſculorum vaſorumque intercoſtalium internorum occupans *d*) ſub acutiori febre ac dolore majorique reſpirationis impedimento hæſit profundius, cum in *ſpuria pleuritide* externi magis intercoſtales muſculi vel his ſuperiora, externis etiam integumentis vicina laborent, ſine febre tam acuta, dolore tam ſævo, reſpiratione tam difficili, & ſine tuſſi fere ac ſputo, ut quoque, ſi ſuppuratio forte ſequatur hanc in ſe mitiorem inflammationem, facilior puris ſit ad exteriora, velut ibi ad interiora, aditus. Non minus hic agnovi facile *pleuritidem idiopathicam*, quæ in primo ſtatim ortu dicta loca infeſtat, cum *ſymptomatica* ſit, quæ oriens ex alio morbo mutata ſede illuc ſerius decumbit. Bene enim veteres diviſerunt morbos in proprio ſinu partium vel alieno natos. Denique in hoc ægro, quod *humida* non *ſicca pleuritis* ſit, in ſenſum facile cadit. Sputa enim hic fere in ipſo morbi initio rejecta ſunt ſubcruenta, cum in ſicca pleuritide inanis

d) *v. H. Boerhav. aph.* 838.

nis tuſſis affligat, pejori omine & ſub majori cruditatis indicio. Quæ ſputa etſi ex pulmone veniunt, eum tamen ſimul ſemper & primario affectum eſſe plena fide non evincunt, agitata hic paſſim lite de occultioribus ſputorum viis, quas quippe rationi non ſenſui patentes λογοθεωρήτες *Cæl. Aurelianus e)* vocat. Ceterum hic magnitudo morbi ſatis eluxit ex vehementiori, qui in gangrænam magis quam reſolutionem benignam tendit, motu febrili, conjuncto cum calore ad tactum ſummo, pulſu duro frequenti & ſubinde inæquali, gravi denique laborantis reſpirationis periculo & acuto in latere dolore, per totam ſtatim noctem intenſius excruciante: dum ſcilicet ad primam coſtam muſculo ſubclavio fixatam decem coſtæ ſequentes ſurſum adductæ & extrorſum verſæ acrem ſenſum, qualis a diſcindente cultro, in mediis ſuis arcubus ſuſtinent. Sæviit hic dolor in latere ſiniſtro, qui præſens magis diſcrimen in actione vitali cordis & pulmonis minatur. Mitius enim ille dolor licet frequentius latus dextrum obſidet. *f)*

§. VI.

In medendo occupatus comparatis inter ſe naturæ & morbi viribus id mihi agendum eſſe in hac pleuritidis ſpecie cenſui, ut reſolvendæ inflammationis ſcopo potirer. Ipſius Naturæ molimen ſub moderata febre, modo nimis inſurgere prohibeatur, ſalutarem impacti ſolutionem promittit. Illa febris ſine atrociorum ſymptomatum comitatu in corpore laxioris compagis & bonis adhuc humoribus irriguo vel diſſoluit ſub moderato attritu, quæ vaſorum anguſtiis impacta hærent, ut ſine contracta ex ſtaſi labe ruere jam in venas & ſanis readmixta humoribus ad eadem cum illis officia reverti poſſint, in quo perfecta conſiſtit ſtaſis inflammatoriæ

e) *de morb. chronic. L. V. C.* 10. *p.* 587. in has vias nova opera & vario probabilitatis gradu inquiſiverunt *Lanciſius in ep. de vena ſine pari, Verna in L. de pleuritide, Güntzius* aliique. Confer. *G. G. Richteri progr. de viis ſputi pleuriticorum.*

f) *D. W. Trilleri de pleurit. p.* 4. §. 21. 22.

matoriæ reſolutio, vel non omni exuto vitio ad internorum viſcerum focum rapta et circumacta ſub novis coctionis viribus ad excretiones diſponit, quas criticas vocant, nunc per hæmorrhagias, nunc alvum, ſudores, urinas & inprimis ſputa, nunc etiam ſalutari metaſtaſi ad tutiora corporis & externa loca deponit, ut crura, inguina, aures. In quo omni molimine Naturæ medicus ad ejus veſtigia attentus conſervare in primo caſu moderamen febrilis motus nititur, viresque vitæ tuetur tenui blandoque victu ac potu, aere temperate humido & calido, quiete animi & corporis mollique ſimul fotu diſtractas in latere & dolentes partes reficiente, ubi, quæ *H. Bœrhavii g)* verba ſunt, nec venæ ſectio nec evacuatio nec alia mutatio inſtituenda. In altero caſu ſigna expendit, quibus edocetur, per quas vias Natura coctum morboſum excernat, vel ad quæ loca externa minus metuenda deponat, ut in eo jam ſit, mobile illud magis pro tranſitu reddere, & vias liberare ab omni obſtaculo poſſe. Igitur ſi Natura criticam excretionem ſanguinis molitur, ſive per nares ſive hæmorrhoides ſive alias aliquando vias contingat, ſalutares fore ominatur, vigil ad ea removenda, quæ huic inſtituto obſiſtunt. Protinus hunc morbum ſolvi, ſi e naribus larga ſanguinis profuſio & cum impetu fit, ſpondet *Aretæus. h)* Nec tamen adeo frequens eſt in pleuriticis ille per nares ſanguinis fluxus, *i)* nec multo frequentior per hæmorrhoides. At velut *Galenus k)* natam

g) *aphor.* 889.

h) *de cauſ. & ſign. ac. morb. L. I. C.* 10. *p.* 9. Ita ſervari etiam ægros, licet neglecta fuerit in tempore miſſio ſanguinis, judicium eſt *D. W. Trilleri de pleurit. p.* 7. §. 35. Caute tamen §. 36. ſubjicit, nigrum & piceum ſanguinem, etſi poſt quintum diem copioſe de naribus deſtillat, levamen non afferre, potius tunc meningibus cerebri gangrænam inſtare, eandemque in toto tractu inteſtinorum ſub ſimili fluxu per alvum.

i) ex *Galeni* ſententia pleuritis minus quam febris ardens & phrenitis, magis tamen quam peripneumonia & lethargus profluvio ſanguinis ſolvitur *de Criſib. L. III. C.* 3. *Op. Juntin. Ed. Cl. IV. p.* 139. E.

k) *Comm. III. in. L. Hipp. de alim.*

tam vidit ex ſuppreſſis hœmorrhoidibus pleuritidem, ita has fluentes jam olim *Hippocrates l)* docuit a pleuritide & multis aliis morbis præſervare, nec probæ fidei exemplis hodie deſtituimur, ceſſiſſe pleuritidem ſub tali fluxu, quem promovere ars molli fotu admoto & in ipſo hæmorrhoidum negotio ſuctu interdum hirudinum provide contendit. Quæ per mictum cruentum, imo et fluxum menſium hic ſalutarem obſervata reperimus, nimis rara ſunt & ambiguæ fidei. *m)* Excretionis criticæ per ſudores exemplum in pleuritico ſuggerit *Jo. Rhodius. n)* Rariſſima hæc eſt, frequentior alvina, ſed hæc etiam cautius limitanda ob diarrhœam ſymptomaticam et noxiam, quæ ſub ortu ſtatim pleuritidis nata partem liquidiorem ſanguinis in coctione morboſi tam neceſſariam & in illa ſpiſſitudine inflammatoria minime abundantem præmature ſurripit. Talem igitur ab initio morbi ſupervenientem *D. W. Trillerus o)* periculoſam admodum & plerumque lethalem declarat, in qua jam *Cæl. Aurelianus p)* paſſionis magnitudinem agnovit, quin & *G. Baglivius q)* alvi fluxum ut in morbis

l) qui hæmorrhoides habent, inquit *Hippocrates*, illi nec pleuritide nec peripneumonia nec phagedæna nec furunculis corripiuntur, *in L. de humor. Op. Edit. Lind. V. I. p.* 326. XI.

m) ipſum quoque fluxum menſium vel mictum cruentum pleuriticis ſalutem attuliſſe legimus. De menſium fluxu id teſtatur *P. Foreſtus Obſ.* 35. *L.* 16. *p.* 54. de mictu cruento *v. Marcell. Donati hiſt. med. mirab. L. III. C.* 9. *p.* 266. ubi olitorem quendam ſanguis multus ſeroſus per vias lotii effluens a ſæva pleuritide, quæ jam miſerum in orci fauces traxerat, liberavit. De mercatore pleuritico ſanato ſanie per urinam excreta *v. A. Luſit. C. III. cur.* 8.

n) Obſ. medicinal. Cent. II. Obſ. 14. *p.* 74. conf. *Stahlii O. M. pr. Cl. I.*

o) l. c. p. 7. §. 33. hinc purgantia etiam mitiſſima & alias innocua, valde tamen plerumque in pleuritide nocere turbasque ciere deprehenſum eſſe ſcribit. Non idem ſentit de enemate. §. 34.

p) acut, morb, L. II. C. 13. *p.* 111. Damnat hic ipſe *Hipp.* alvi fluxum aph. 15. §. 6.

q) prax. med. C. 9. *p.* 35. *Metus illi fuit, ne ſputa ſupprimerentur,*

bis capitis ſalutarem ſic perincioſum in morbis pectoris inprimis acutis judicat, & cavere in pleuritide purgantium & clyſmatum uſum jubet. Salutem vero promittit excretio alvina tanquam critica, quæ ante diem quintum præcedente in hypochondriis tumore ac dolore quopiam per arteriarum meſeraicarum fines coctum jam morboſum craſſum ſubflavum cum ſtriis ſanguineis, idque copioſe & cum levamine, ad inteſtina derivat inſtruitque medicum, ut pro faciliori decubitu, ſi opus, abdomen leni fotu involvat, blando clyſmate alvum laxet, victum etiam ſuadeat huic ſcopo reſpondentem ex tamarindis, uvis paſſis, pomis coctis ſimilibusque. Habet ſeptuagenarium pleuriticum *Dominic. Panarolus r)* & alium *Franc. Valleriola s)* graviſſime laborantem, qui præter ſpem ſub hoc fluxu alvino evaſerunt. At propria maxime pleuritidis criſis per ſputa fit, *t)* ut, qui ſine iis ſint, in gravi periculo verſentur, qui vero iis bene cito & mature expurgari incipiunt, ſperare merito poſſint in criſi celeritatem in ſanitate ſecuritatem, quod cum *Hippocrate u) Galenus* promittit. *x)* Sputa illa humida lævia æqualia ſubflava *y)* cum pauco admixto ſanguine, mox cocta & alba ſimulque continua, vel ubi ſupprimuntur aliquando, cito redeuntia, ſi facile & copioſe ſub ſenſu miteſcentium dolorum & levatæ reſpirationis ejiciuntur, habent

r) *pent. I. O. 26. p. 22.*

s) *L. I. Obſ.* 4. *p.* 22. Ipſe *Obſ.* 5. p. 25. filium refert a gravi pleuritide ſine ſputis fere ſuffocato, delirante ac convulſo, fere ad miraculum copioſo profluvio alvi evaſiſſe.

t) ita propriam pleuritidis criſin ex *Hippocrate* vocat *L. Duretus in Coac. Hipp. p.* 248. 2.

u) is *in aph. XII. S. I. in pleuriticis*, inquit, *ſputum ſtatim apparens abbreviat morbum, ſi poſterius, producit.*

x) *de criſib. L. I. C.* 5. *Op. Cl. IV. p.* 126. *H.* brevis, inquit, morbus eſt, ſi ſtatim ſputa illa apparent.

y) a colore *bilioſa* dicta, quod bilem hic veteres arguerent. Potius in deliquio ſanguinis a ſero color eſt. Mala ſputa v. in *Hipp. prænot. op. V. p.* 458. *XIII.* it *in Coac. p.* 558. 144. *ſq.*

habent in ſe vim maxime ſalutarem, nec magno artis auxilio egent, ne phlebotomiæ quidem, a qua ſputa illa impediri ſæpe retrahi ac ſiſti notat *Lud. Duretus, z)* ſeque cum mœrore vidiſſe ait, quantum nocuerint hic, qui omnem pleuritidis curationem in ſanguinis crebra detractione ponunt. O homines, inquit, reipublicæ calamitoſos ac funeſtos, qui pleuritidem, quæ ſua ſponte ſub tali ſputo quieſceret, reddunt mortiferam! In tenaciori vel minus continuo ſputo probe ſuccurrit ars, pulticulas hordeaceas vel avenaceas cum melle & nitro, linctus ex vitello ovorum, oleo amygdalarum, ſyrupum violarum, decoctum liquiritiæ & fœniculi & inprimis potum ex oxymelite *a)* præbens, halitus quoque aquoſos per fauces admittendos commendans. Sed ut primo in pleuritide loco ſputamina ita ſecundo urinas conſiderare *Galenus b)* jubet, quæ ſubrubræ craſſæ ſtrangurioſæ cum multo & albo ſedimento ſubactum morboſum per vaſa renalia largiter ante quartum diem, ſeu tempus ſuppurationis, transmittunt evehuntque. Nec vero negandum eſt, plus urinas illas bonam coctionem morboſi quam criſin perfectam ei excernendo ſufficientem indicare. Habet quidem *Jo. Rhodius c)* exemplum pleuritidis urinis terminatæ, & ad *Jo. Prevotium* provocat, qui ſiniſtri lateris pleuritidem plerumque urinis deponi cenſuit, hinc mitiora tunc diuretica & ſibi familiaris diacumini uſum commendavit; at præſtat certe

z) *in Coac. prœnot. Hipp. p.* 252. *l.* 14. *ad* 19. Confer ibidem *p.* 387. *ſq.* corollarium de cautione phlebotomiæ. Cauſam quoque attingit *p.* 254. *l.* 30. nempe ſubſiſtere ſputum ob infirmitatem laterum a ſanguine nimis detracto. Salus enim pleuriticorum eſt robur virium, inquit *Galenus X. meth. med. Op. Cl. VII. p.* 63, *H.*

a) oxymel purgandæ pleuritidi accommodatiſſimum vocat *Duretus l. c. p.* 271. 17. Confer. *Galenum in Hipp. de victus rat. in morb. ac. Com. III.* 24. *Op. Cl. VII. p.* 129. *D.* ubi *Hippocrates* oxymel ſcribit ſputa educere & facilem reſpirationem reddere, *Galenus* hic notat, non conſtare oxymel ex miſcela mellis & aceti, ſed ex mulſa paulum aceti accipiente.

b) *de criſib. L. I. C.* 7. *Op. Cl. IV. p.* 128. *D.*

c) *obſ. med. Cent. II. O.* 13. *p.* 74. Etiam pleuritidem pure copioſo per lotium ſolutam habet *D. Panarolus pent. V. O.* 8. *p.* 145.

certe in gravioris morbi gradu quoddam excretionum illarum vinculum, quo nomine *L. Duretus d)* inter tales urinas liberam maxime & liberalem ſputi excretionem requirit. Ceterum in omni difficultate renalis hujus expurgationis attentus medicus probe conſulit per fotus mollientes, ad renes perinæum & hypogaſtrium poſitos, inter lenia clyſmata & ipſum internorum diureticorum providum uſum ſub aere externo non nimis calido & ad ſudores potius diſponente. Breviter adhuc attingo quasdam alias in hoc morbo auxiliatricis Naturæ vias. Ita fit interdum opportune, ut dolores laterum, quos ſemper optabile eſt in illa atrocia mali & metu ſuffocationis diu haud ſubſiſtere, in vicina loca, ubi minus periculi eſt, cum ſenſu ſtuporis & gravitatis tranſeant, velut in humeros, ſcapulas, dorſum, quod ſexto circiter die fit, & bene tunc occupatur medicus in promovendo decubitu illo ſalutari per fotum frictumque & attrahens emplaſtrum. Mali ominis eſt, ſi ſurſum dolores vergunt judice *Hippocrate*, nec ſi inferne fit, res ſemper in vado eſt, cum, quod ſeceſſit, brevi ſæpe intervallo priſca loca repetat. Sola obſervationum fides cognoſcit tutiorem ſeceſſum et artis fulcit ſubſidiis. Sic metaſtaſes præſertim ad aures axillas & crura morboſum illud puri analogum per abſceſſus quaſi fiſtuloſos, qui ſollicite aperti conſervandi ſunt & perpetim manantes, iis, quæ illa loca pro facili decubitu effluxuque fovent laxant irritantque, adhibitis proſpero ſæpe exitu exhauriunt.

§. VII.

Ex his quidem breviter præmiſſis pro indole pleuritidis in ſymptomatum ſuorum ſerie & conſuetis naturæ vindiciis conſideranda ad ipſum in ægro noſtro morbi decurſum et medelam me converto. Parum læta primo obtutu ſpes ſalutis affulſit, oppreſ-
ſis

d) *l. c. p.* 509. 23. *ſq.* in tuto ſunt omnes pleuritici, inquit, cum libera & liberali anacatharſi ſub illis urinis; at ſine iis libere liberaliterque ſpuere parum profuit. *Jo. Rhodius l. c. obſ.* 15 ipſo pure excreto largiter per ſputa urinas & alvinas dejectiones ſimul ſolutam pleuritidem enarrat.

ſis fere magnitudine morbi Naturæ viribus, nec per illam ſibi familiarem in coquendo excernendoque morboſo ſolertiam niſi ſero conſpicuis, ut ars certe, quam præeunte magiſtra ſua viam ſequeretur, ſtratam nondum reperiret. Illa vehementia febris inter acutiſſimos dolores & ſummas reſpirationis anguſtias, ſuffocationis periculum comminantes, certe præcipiti gradu in gangrænam magis quam reſolutionem vergere viſa non aliud ſuggerere conſilium potuit, quam tantum impetum circa vitalia maxime loca urgentem miſſo ſine mora & ubertim ſanguine infringere, & quantum fieri poſſet, moderari. Hoc princeps in tali caſu auxilium, ſi *Helmontianos* excipis, concors ſententia medicorum tantum non omnium agnovit, inter quos graviter *Herm. Boerhaave e*) citam largamque protinus venæ ſectionem ad notabilem doloris remiſſionem vel prima ſigna deliquii animi *f*) injungit. Cunctatus igitur non ſum, & ſanguinem ſtatim ad uncias duodecim eousque detraxi, donec labeſcere pulſum ægri faciemque ejus palleſcere obſervarem. *g*) Miſſus ille ſanguis, ubi refrixit, more acutiſſimarum ex inflammatione febrium cruſtam albam craſſam tenacem et vix novacula ſciſſilem formavit. Superius quidem monuimus, Naturæ in coquendo & excernendo morboſo molimina per intempeſtivam venæ ſectionem facile inhiberi;

e) *in aphor.* 890. præcipit pro ſpiſſioris ſanguinis, quippe inflammatorii, faciliori ac pleniori effluxu mittere illum ex magno vaſe & per magnum vulnus ſub fotu lenique frictu loci affecti, & inter ea, qua reſpirationem ex ſenſu doloris ſupprimi ſolitam intendunt ſub ſtimulo, velut aceti naribus ſubjecti. Fieri denique V. S. vult in corpore quieſcente & reſupino, in quo minus quam erecto deliquium animi ex magna jactura ſanguinis imminet. Hujus enim triplo plus ex jacente quam ſtante vel ſedente elici ante illud deliquium poſſe calculus eſt *Laur. Bellini.*

f) ad ipſum animi deliquium mitti ſanguinem non debere ob periculum peripneumoniæ ſapienter monet *Aretæus de cur. morb. ac. L. I. C.* 10. *p.* 90.

g) ſaluberrimum vocat ex maximi momenti præceptum in prima ſtatim venæ ſectione tantum intrepide detrahere, ut arteriarum pulſus langueſcere & vacillare quaſi incipiat, *Trillerus de pleurit. p.* 36. *n.* 42.

hiberi; *h*) at verum non minus eſt, illa per furorem morbi inhibita per tempeſtivam venæ ſectionem potius liberari, ut quæ præſto antea non erant, defervecſcente jam impetu luculentius exſurgant. Inter quæ merito tamen illum ſequimur, quam ſibi præſcripſit *Thom. Sydenham*, *i*) nempe ex una parte vehementiam morbi, ea altera vires ægri ad ſe invicem trutinare. Sane in principio maxime ſævientis morbi & in corpore juvenili validoque metuenda non eſt largiſſima miſſio ſanguinis, quæ opportune inſtituta ſæpe morbum in herba ſuffocat, neglecta vero aut retardatr, aut parcius timidiusque adminiſtrata, irreparabile plerumque damnum infert. *k*) Poſt breves enim utplurimum inducias vis morbi revaleſcit, ut ter quaterve et aliquando crebrius phlebotomo opus ſit, ſemper tamen ſub juſta ad vires ægri, quid ferre poſſint, attentione.

§. VIII.

Poſt venam ſectam curæ mihi fuit internis remediis inflammationi oppoſitis ſubvenire, iis nempe, quibus poteſtas eſt ſpiſſiores in morbo inflammatorio hnmores diluere & attenuare, vaſa pro tranſitu ſtagnantium laxare, motum vehementiorem moderari, vi etiam quadam blanda anodyna *e*) perpetuas illas inquietudines

h) quod & ipſe *Trillerus*, qui adeo inculcat, non parcere ſanguini, agnoſcit ingenue, & cum *Williſio*, *Tulpio*, *Hoffmanno* aliisque concedit, vim vitalem nimio ſanguinis impendio dejectam ſputis coquendis & egerendis aliisque criſibus ſalutaribus promovendis imparem reddi. Hinc in ſingulari quidem caſu, ubi anceps remedium tentare præſtat quam nullum, haud improbat audax experimentum, quale *Jo. Heurnii*, qui ex pleuritico utriusque lateris ultra libras quatuor ſanguinis una vice extraxit, verum in ſimili aliorum tentamine judicium *Heurnii* requirit, *l. c. p.* 33 & 34 *ad* §. 39 & 40.

i) *Op. S. VI. C. III. p. m.* 266.

k) bis & ter, aliquando quater, quod de *Praxagora* legimus, venam ſecare probant plerique. At quamvis id fieri in magna morbi pertinacia etiam crebrius oportuerit, ipſe tamen *Trillerus*, ſi prima & ſecunda vice

tudines vigilias dolores, quantum liceret, conſolari. Præmiſſa igitur leui potiuncula mannata, quæ ſine turbis primas vias nonnihil abſtergeret, præſcripſi fol. tuſſilaginis malvæ & veronicæ Mj. flor. altheæ ſambuci & papaveris erratici āā Pj rad. liquirit. ʒj ſem. fœnic. d ℥ij, quorum omninum in juſta quantitate aquæ ſ. coctorum colaturæ libris tribus acceſſerunt ſyrupi de althea Fernelii 2 Unz. Hujus igitur decocti 2 Unz. omni hora ſorbillare calide ſuaſi, utpore quem morem calide ſorbillandi in pleuritide & aliis morbis pectoris in ſecretis habuit *G Baglivius*, *m*) id teſtatus, ſe ſervido uſu ejusmodi decocti pectoralis breviſſime liberatos vidiſſe, qui jam ſub ſtrangulatu fere liveſcebant. Obtuli quoque ad æſtum temperandum ægro meo mixturam ex △ſt. flor. ſambuci, papaveris rhoeados & borraginis āā 2 Unz. ß cum arcani duplicati & ♀ii diaphoretici non abluti āā ℥ij oxymel.

ſquillit.

ſatis eductum ſanguinis fuerit, ſuffeciſſe ſibi ait, ter ad ſummum quater venam ſecuiſſe, l. c. p. 22. n. 17. Negat quoque p. 36. n. 41. adactum ſe unquam fuiſſe, ut lin toto morbi decurſu ultra 24 vel 26 unicas detraheret. Ita *Th. Sydenham l. c.* continuis quatuor diebus V. S. repetiit, ſi ſymptomata ſævirent, addit, confirmatam pleuritidem minori quam 40 unciarum impendio ſanatam ſe non vidiſſe. At in remiſſiori morbo & imbecillitate virium prodigus ſanguinis non fuit, gnarus etiam, nocuiſſe V. S. in epidemicis quibusdam & ſymptomaticis pleurititibus *v. Op. S. V. C.* 5. ut & *Act. Edimb. T. V. P. I. et journal. Oecon.* 1753. *dec.* in quo *le Camus* pleuritides vernales ejus anni Pariſiis deſcripſit, quibus noxa fuit a V. S.

l) *v. Trallian. L.* 6. *c.* 1. Non hic narcotica intelligenda, quæ ſenſum doloris manente cauſa tollunt, ſed lenia paregoriea, qualia papaverina, inprimis ex papavere rhoead. parata, ut apud quosdam flores illi nomen ſpecifici an ipleuritici obtinuerint.

m) *prax. med. L. I C.* 9. *p.* 35. certe frigidi potus ferendum hic nihil eſt, cujus noxam *Aretæus* in pleuriticis redarguens medicis ſuccenſet, qui aquam frigidam concedunt iis, quos, ſi evaſerint periculum, non credit laboraſſe pleuritide, ſed forſan morbo quodam ex bile, cui febris nulla vel exigua ſe ſociavit. Nec frigidam tantum aquam *Aretæus*, ſed & frigidam reſpirationem noxiam dicit, *de cur. morb. acut. L. I. C.* 10. *p.* 93.

ſquillit. & ſyrup. viol. āā ℥iij, de quibus probe agitatis omni bihorio duo cochlearia præberi juſſi. *n*) Nec præter rem eſſe cenſui, emulſionem commendare ex ſem. IV frigid. maj. et min. āā ℥iß, ſem. papav. alb. ℥iij, quibus cum aqua decocti hordei emulſis nitri ♁iati ℨj & ſyrup. de alth. Fern. ℥j miſceri juſſi. Non minoris momenti cura ſollicitum me eſſe voluit de fomentis externis dolenti lateri ſub juſto caloris gradu provide conſervando applicandis, quæ hic virtute ſua vix ipſi cedunt venæ ſectioni. Imo & ante hanc, proxime certe poſt illam *o*) moris ab omni ævo fuit lintea molliſſimis decoctis ebria dolentibus locis imponere, ut blandi halitus bibulis vaſis recepti quaſi in tepidario foverent, dolores ex ſtaſi diſtrahente vaſa natos delinirent, & ſputa ipſa citius percoquerent. Sic fotus ex herbis emollientibus, farina lini ſimilive in lacte coctis parati, pannis laneis excepti admotique, & quoties opus, renovati non facile ſpem medici fefelle-

n) poſt ſcalpellum phlebotomum interne aqua acetum mel nitrum oleum & pauciſſima alia *Trillerus* arcana hic & ſpecifica & polychreſta vocat *l. c. C. II. p.* 16. *n.* 4. Præcipue hic nitrum et ex nitro parata & oxymel ſpecificorum nomen tuentur. Nitrum in aqua vel rob ſambuci vel ſucco florum rhoeados ſolutum, vel cum melle infuſo florum bellidis mixtum in febrili æſtu ac ſiti multum præſidii pollicetur. Decocta etiam hordeacea cum nitro & oxymelite in hoc morbo non raro ſola ſufficiunt, quo pertinent illæ ptiſanæ, quas acetum vini ingreditur, vel alia in acorem prona ut rob ſambuci & juniperi, ſyrupi ceraſorum & ribeſiorum &c. quæ convincere *Helmontianos* poterant, quam vana eorum conjectura ſit de acido in pleuriticis peccante.

o) antiquiſſimis temporibus nihil tentatum eſt citius quam hæc fomenta, ad quæ ille ſtatim tam acris dolorum ſenſus impellere poterat. Perſuadet ipſa auctoritas *Hippocratis* & *Tralliani*, prius de his quam ſecanda vena cogitatum eſſe. Bene tamen urgente morbo incipiendum citra moram a venæ ſectione eſſe, deinde topicis illis utendum, docet *Aretæus l. c. L. I. C.* 10. *p.* 89. 90. De tentandis fomentis ut primo auxilio v. *Gal. Op. Cl.* 7. *p.* 116. *B. in L. Hipp. de vict. rat. in morb. ac.* Poteſt quoque dolorem conſolari faſcia *Italorum* more thoracem adſtringens, ut hoc immoto coſtæ quaſi immobiles ſint nec intercoſtales muſculi in gravi tenſione, dum reſpirat æger ſolo motu diaphragmatis & muſculorum abdominis. At non ideo omittenda, quæ cauſæ doloris opponuntur.

fellerunt. *p*) Præſcripſi etiam in alternos uſus linimentum ex unguento dialtheæ ℥ j. anodyn. ℥ ß camphor. ʒ ß. Magna certe in illis fomentis litibusque ſpes eſt, quibus in ipſa ſuppurationis periodo aliquando continuatis pus licuit extrorſum vertere & intro empyema præcavere. Diæta denique in victu ad tenuiſſima omnia, juſcula hordeacea, avenacea, amygdalina ſimiliaque reſtricta fuit excluſo omni victu animali, etiam iis, quibus ſub cardiacorum nomine plus eſt ad calorem febrilem ſtimuli. Nec aeris puri & caute renovati temperatus calor neglectus eſt, nec æger ſtragulis obrutus, quem omnino fas eſt, ſi vires ferunt, per horas aliquot quotidie ex conſilio *Sydenhami q*) lecto eximi.

§. IX.

Veſperi cum redirem, et æger de punctorio illo dolore longe conquereretur acerbius, bisque alvum poneret, rurſus, adeoque eodem die, venam eandem brachii aperire non hæſitavi, *r*) & ſanguis ad duodecim uncias velut ante extractus colore & conſiſtentia primum miſſo reſpondit, urina copioſa & rubicunda ſed ſine ſigno coctionis fuit. Nec die tertio inviſens ægrum reperi binis illis

p) ſimilis virtutis fotus eſt *P. Foreſti* ex fl. chamœm. melilot. ā Mj fol. malv. ſummit. aneth. ā Mß rad. alth. Drachm. ß ſem. lin 2 Drachm. coquendis cum aqua. Vir cel. *G. van Swieten* ſolutum ſaponem in æquali parte aquæ & lactis vel ita dilutum in decocto emolliente, ut illius Unz. ß in hujus lb. j ſolvantur, in pannis laneis exceptum ad dolentia loca admoveri cum calidis lateribus curavit, ita tamen, ut noctu ob difficilem fomenti renovationem unguento altheæ ſimilive inunctum latus tegere emplaſtro de meliloto ſufficiat. *v. Comm. in aph. Boerh. T. III. p.* 43. 44.

q) tanti hoc putat, ut ſi æger jugiter lecto affigatur, neque tam larga ſanguinis evacuatio nec remedia alia utcunque refrigerantia ad dicta ſymptomata perdomanda vel minimum aliquando ſufficiant. *Op. S. VI. C.* 3. *p. m.* 266.

r) ad exemplum *Th. Sydenhami*, qui quo die venerat, decem uncias, ſique vehemens dolor urgeret, eandem denuo quantitatem eodem adhuc die detrahi præcepit. *Op. S. IX. C.* 3. *p. m.* 266.

illis venæ ſectionibus magnopere levatum, potius major anxietas, creſcens reſpirationis difficultas, dolor vehemens lateris ipſiusque capitis cum pertinaci tuſſi, lingua ſicca, ſputis ſubcruentis, urina flammea pellucida & ſine ſedimento, me facile impulerunt, ut ex vena ſiniſtri lateris *s*) pertuſa uncias decem educerem ſanguinis, qui poſt aliquot horas craſſiorem quoque & tenaciorem cruſtam exhibuit, haud fallaci nondum diminutæ inflammationis indicio. Tum vero remittere æſtus & liberior fieri reſpiratio cœpit. Inter hæc non deſtiti antea recenſita remedia aſſidue in uſum internum externumque trahere. At quod fieri ſolet in hoc ſtadio morbi adhuc invaleſcentis ſub veſpera exacerbatam febrem deprehendi, & æger admiſſo tunc molliente clyſtere fœtidas nigras & copioſas feces dejiciens viſus eſt pauxillum levari. Verum in progreſſu omnia circa noctem graviora apparuerunt, ut etiam æger ſub intenſiori æſtu floccos colligeret & muſcas venaretur. Igitur in animum induxi quarta jam vice ſanguinem ad uncias novem mittere, & pro derivandis deorſum magis humoribus epiſpaſtica *t*) plantis pedum applicare. Inde omnino

s) Sunt, quibus delectus lateris pro V. S. non adeo magni momenti eſſe videtur poſt inventam circulationem. At favet conſtantioris obſervationis fides venæ in latere affecto ſecandæ. Auctoritatem *Hippocratis, Celſi, Galeni* aliorumque ita ſentientium ſtrenue vindicavit contra ſcholam Arabicam *P. Priſſotus* ſub feliciſſimo in ſanandis pleuriticis ſucceſſu. Fuerunt quoque recentiori ævo & adhuc ſunt magni hujus ſententiæ vindices. *Th. Sydenham l. c. p.* 265. ut primum accerſitus fuit, ſanguinem ex lateris affecti brachio extrahi juſſit, & *G. F. Hildanus* nunquam ſe optatum ſucceſſum vel rariſſime vidiſſe ſcribit ex ſectione venæ in parte oppoſita. *Obſ. chir. C. V. O.* 30. *p.* 415. Hodie *D. W. Trillerus* multiplici experientia nixus graviter monet, Naturæ proximo loco ſuccurrere, nec alio loco quam brachio lateris affecti venam ſecare, teſtaturque inter plures quam 40 pleuriticos ſe vix unum reperiſſe, cui non mox a prima paulo largiori venæ ſectione proxime ad locum dolentem inſtituta dolor incantationis inſtar ſopiri, & liberius meare anima cœperit, cum ſi idem tentaretur in latere oppoſito, ægri in vehementiores reſpirationis difficultates, majores anxietates & inquietudines conjecti fuerint. *de pleurit. p.* 30. §. 32-34.

t) Sic *G. Baglivius in prax. med. L. I. C.* 9. *p.* 37. ſtatim admovit duo

omnino in melius verti omnia videbantur, dolor lateris ſiniſtri punctorius & ſcindens nunc hebetior, lingua humidior, ſputum coctum magis & liberale cum panco cruore mixtum ſub facili anacatharſi ſpem meam fere collapſam rurſus erigebant. Præſcripſi ad juvandam anacatharſin ecchyma ex ſpermatis ceti ʒ ß olei amygdal. d. rec ℥ ß ſyrup capillor. ♀ is altheæ Fern. āā ℥ j Oxymel. ſquillit. ʒij crebris doſibus parvo cochleari exhibendum *u*)

§. X.

Die tamen quinto mutata rurſus omnia ſunt in deterius, anxietas, jactatio perpetua, pulſus durus ſerratus, quandoque intermittens, ſputum ſub irritante tuſſi ſuppreſſum, dolor punctorius circa loca affecta gravis, reſpiratio laborioſa, mens ſibi minime conſtans, urina tenuis alba ſubinde inſcio ægro elabens, omnia denique conclamata vix ſpei umbram relinquebant. Injectum enema eſt lene & aperiens, at fere ſine affectu. Inter dira hæc magisque ingraveſcentia ſymptomata valde deliravit æger. In his tantis ſpei anguſtiis, tanto adhuc morbi furore, quid præſidii exſpectare extra novam phlebotomiam potui? Quintum igitur ad venam ſecandam acceſſi, non nimis moratus judicium *Celſi, x*) qui nunquam utile eſſe cenſuit poſt diem quartum mittere ſanguinem,

veſicantia tibiis, quocunque die ante vel poſt V. S. difficultas ſpirandi & ſputum exſcreandi ſupervenit, quo facto ſtatim expectorationem promoveri, ſpirandi difficultatem imminui, & alvi fluxum, ſi adeſſet, ſiſti vidit. Id confirmans *Trillerus l. c. p.* 54. §. 6. addit, eidem ſcopo cucurbitulas ſiccas mente *Hippocratis* inſervire. Poterant quoque cucurbitulæ in cute ſcalpello inciſa laudari, ad extrahendum ex imo, quidquid noxii lateret. Sic enim continuo ſiluiſſe dolores, ut nec fomentis ullis nec alio medicamenti præſidio opus eſſet, ſcribit *Trallianus* L. II. C. 1. p. m. 108.

u) *Trallianus* L. II. C. 1. p. 110. amygdalas mundatas et tritas in ptiſana coctas pro ſputo plus eliciendo commendat.

x) *de Medic. L. II. C.* 10. *p. m.* 80. Ex *Galeno* quoque diſcimus, medicos tunc quaſi ex lege certa ultra quartum diem non ſecuiſſe venam: *in L. III. Hipp. de morb. vulg. Comm. III. Op. Cl. III. p.* 150. *B.* At licet prudentia opus ſit in decernenda poſt quartum diem venæ ſectione, omnino tamen in graviori morbo, quæ *Sydenhami* verba ſunt, curatio fere tota ſtat iterata venæ ſectione *l. c. p.* 268.

nem, imbecillitatem ex corpore vel jam exhauſto vel etiam corrupto in hoc ſtadio morbi metuens. Sane in hac vehementia morbi, quæ ſine omni virium apparatu eſſe nequit, has nimis proſtratas nondum ſuſpicari convenit. Duodecim circiter uncias ſanguinis ex ſiniſtro brachio eduxi, in quo educto alba iterum et craſſiſſima tunica apparuit. Qua ipſa re auſpicato tentata intra paucas horas remittere febrile incendium, reſpiratio levari, deliria mitius & per intervalla infeſtare ſenſi, & cum majori proſperi ſucceſſus exſpectatione in uſu dictorum remediorum internorum & externorum perrexi. Noctu facilis diarrhoea ſucceſſit, qua ter ſoluta alvus largiter fuit nec ſiniſtro omine, cum hoc ſpontaneum alvi profluvium die quinto cum criſi incideret. y)

§. XI.

Die quidem ſexto rediit ſubinde delirium, ſed levius multo breviusque, nec urina flammea rubicunda pellucida ſine indicio magni adhuc interni attritus fuit. Attamen pulſus mox mollis & æqualis, reſpiratio liberior, dolor lateris perexiguus, indicium decreſcentis morbi eo certius dederunt, quod ſimul ſputa inciperent prodire copioſa flava cocta, alvus etiam eodem die quinquies ſoluta fidem bonæ excretionis per varias vias confirmaret. Nec mali ominis fuit oriens circa veſperam vehemens dolor ad ſcapulas, inprimis ſiniſtram, dorſumque. z) Unde non vanus augur, bonam & multiplicem criſin inſtare, fomenta adhuc locis dolentibus admovi, ptiſanam calidam cum oxymelite exhibui, & per vices infuſum theiforme ex plantis pectoralibus & diaphoreticis, ſub quo uſu æger in ſomnum delapſus largiter ſudavit.

§. XII.

Luculentius omnia & conſtantius die morbi ſeptimo, inter criticos tam notabili, in melius ceſſerunt. Facilis enim & largus eo

y) v. *Aretæum* de *cauſ. & ſign. morb. ac.* L. I. C. 10. *p.* 9. C.

z) prædicere ſe ſecure, ſcribit *Trillerus*, nullum moriturum, cui poſt venæ ſectiones in progreſſu morbi dolor intenſus in claviculis, ſcapulis aut dorſo oriatur *l. c. p.* 37. *n.* 44. Tribuit hanc egregiam prorſus obſervationem Hippocrati ejusque genuinis in arte filiis *Baglivio* & *Bœrhavio*. Addit *ſub. n.* 45. nunquam feſelliſſe augurium ex ſalutari illo ſigno, ſub quo ii, qui ſine ſpe vita neglecti deſertique jacuerunt, ad ſe redierint ſenſim, vires recollegerint & intra paucos dies penitus convaluerint.

eo die ſudor fuit, ſputa cocta pinguia copioſa, urina optima cum ſedimento craſſo & nonnihil albicante. Ceſſavit dolor lateris, ſuperſtite tamen illo circa ſcapulas, ſurgere cœpit appetentia cibi, nox quoque inter manantes ſudores & placidum ſomnum tranſiit. Mane tuſſicula aliqua ſuperfuit ſuo paſſim ſtimulo irritans. At brevi elapſo tempore æger refectus viribus & minerali aqua cum lacte caprillo uſus ſilente pedetentim tuſſi in perfectam cum valetudine ſua gratiam rediit. Credo, ex hoc caſu illud inprimis, quod parvi momenti non eſt, elucere, crebram venæ ſectionem in ſæviente vehementer pleuritide magis morbo detrahere vires quam Naturæ, quæ tunc potius a vi hoſtili liberior in vindicias ſuas vegetiori coctionum & excretionum criticarum molimine reſurgit. Non hic dubitavi ægro meo conſulere magno ſanguinis impendio ad uncias nempe quadraginta ſex, quod ipſius *Sydenhami*, ad venam hic ſecandam alioqui tam proclivis, menſuram in confirmata pleuritide excedit. Factum id inconſulto fuiſſet in mitiori pleuritide, in qua cito ſatis Naturæ probe coquentis & excernentis præſidia apparent, haud temere per venæ ſectionem turbanda & impedienda, ut ab hac omnino diſpenſari interdum in integrum pleuritici poſſint, quod ſuperius præeunte *H. Bœrhavio* monuimus. *a*) Neque illud diffiteor, in graviori etiam pleuritide, quæ debiliores vel cacochymicos invadit, parcam convenire ſectionem venæ ob præmatura virium deliquia, ſub quibus virtus auxiliatricis Naturæ facile fatiſcit. Id vero manet inconcuſſum, in corpore forti & juvenili pleuritico, quod humoribus viribusque abundat, locum huic metui non eſſe, & detrahi omnino ſanguinem, qui morbo militat, liberaliter debere. Tunc enim nondum detractas eſſe vires, quæ Naturæ militant, patet velut in hoc caſu ex mirabili illo conſenſu criticarum excretionum, quæ ſequuntur, & per tot vias raro ſimul patentes coctum morboſum eliminant. Stat ſane ſententia *Th. Sydenhami*, *b*) morbum hunc, tametſi infamem & plerisque aliis ſuapte natura periculoſiorem, ſi perite tractetur, facile vinci.

a) *v. p.* 11. N. a.
b) *l. c. p.* 264.

Finis Voluminis Secundi.